

Ex Bibliotheca
ajori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-F-1
I

IO. GEORGII WALCHII
P. P. O.

PARERGA ACADEMICA

EX

HISTORIARVM ATQVE
ANTIQVITATVM MONIMENTIS
COLLECTA.

Biblioth. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu







LIPSIAE

SVMTV IO. FRIEDER. GLEDITSCHII
B. FILII.

M DCC XXI.



PERILLVSTRI ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO GOTTHILF MARSCHALL
DICTO GREIFF,
EX
EQVITIBVS FRANCONIAE,
QVI PROXIME IMPERIO ROMANO
GERMANICO SVBIECTI SVNT,
DOMINO IN EINOED, ERLEBACH,
ET OSSMANSTADIO,
A CONSILIIS SANCTIORIBVS
SERENISSIMORVM DVCVM SAXO-
VINARIENSIVM, ET SVPREMO AVLAE
MARESCHALLO,
NEC NON
CVRIAE PROVINCIALIS IENENSIS
ASSESSORI, AC PRAEFECTVRARVM ROSLENSIS
ET GEBSTADIENSIS DIRECTORI
GRAVISSIMO.
DOMINO SVO GRATIOSISSIMO
S. P. D.
IO. GEORGIVS WALCHIVS.



PERILLVSTRIS ATQVE
EXCELLENTISSIME
VIR,



Pus hoc musarum mearum, quibus colendis tradendisque consecraui animum, non potui non TIBI *sacrare, hacque deuota inscriptione meæ in* TE *obseruantiæ ac singularis pietatis statuere monimentum. ea enim sunt* TVA *in publicam, ea in litterariam rem merita, vt, quamuis ceteros in tanto fastigio, quo* IPSE *es, constitutos negotiorum publicorum copia & magnitudo alienos efficiat ab humanioribus musis;* TV *non solum ad Principum res explicandas valeas; sed litteras quoque mira felicitate earumque auctoritatem tuearis,* TVO*que præsidio spem cœtus eruditi semper conserues. qua publica prædicatione nullam adulationis notam metuo. satis me ab hac suspicione absoluunt tot præstantissima incre-*

incredibilis TVI *adfectus erga musas earumque cultores argumenta, quum in tanta cura ac sollicitudine, qua dies noctesque a salutis publicæ custodia oculos haud deflectis, doctrinæ liberalioris studiis semper pectus* TVVM *deuoueas, ac summa* TVA *auctoritate eorum pretia defendas, omnesque, qui ex litteris vtilitatem ac suauitatis fructum colligere instituunt, pro celsa animi virtute, pro constantia singulari suscipias libenter, susceptos foueas, &, dato ornandi loco, ornes cumulate. sic multi intelligunt & vltro fatentur, se* TVIS *vinci beneficiis, quorum quum memores sint musæ, id* TIBI *omnino præstabunt, vt gloria* TVA *vires ab æuo, atque incrementum ab annis capiat. in quorum numero & ego sum, meque magnam fortunarum mearum partem Tibi debere, pie agnosco, ac merita* TVA *in me, ac musarum mearum felicitatem, quæ maxima & plane singularia sunt, deuote semper veneror, suspicione ingrati hominis me liberaturus. recordatio temporis illius, quo Lipsiæ primus aditus ad* TE *mihi patebat, quo suaue & humanitatis plenissimum alloquium* TVVM, *sermoque omni doctrina refertus deducebat me in admirationem pietatemque, delectationem habet haud mediocrem, atque animum meum ad cultum*

grate ac pie memoriæ incitat. nam quum paullo post supremus mundi arbiter atque imperator me ex Lipsia exire & ab musis loci illius iucundissimis discessionem facere iuberet, ac miranda sua prouidentia curaret, vt serenissimi Principes ac Domini academiæ huius conseruatores me ad munus litteras humaniores profitendi publice euocarent; hac in caussa fortunarum mearum TE *benignissimum expertus sum patronum. ex quo diuinam vocem secutus, res meas meaque studia in hanc vrbem transtuli, vt ad clementissimam Principum meorum voluntatem totum me fingerem atque accommodarem, tanta* TVORVM *in me beneficiorum facta est accessio, vt non possim non pie agnoscere,* TE *ad salutem meam tuendam, augendam, amplificandamque summa eaque benignissima contulisse studia. quapropter animus meus ad gratæ memoriæ ac pietatis significandæ cultum procliuis, in id curas & cogitationes semper direxit, quomodo publice declararem, quantum* TIBI *debeam, ac beneuolentiæ* TVAE, *qua me ornasti, luculentissima documenta prædicarem, etiam præsidio* TVO *fortunas meas sartas & tectas conseruandas iterum commendarem. soluo igitur, quod debeo, neque vero, dum soluo,* TIBI *met*

debere

debere desino. accipies hoc opusculum, quod, vt vides, auspicio illustris nominis TVI *emitto, ea, qua solitus es, beneuolentia, & agnosces, spero, magis pium rectumque animum, quam doni modum & pretium. quamuis enim* TE *esse principem virorum egregiorum, qui hæc politiora studia atque elegantiorem doctrinam ex æquo & vero æstiment, lætari possim; fateor tamen, ipsum munus hoc, quod musæ meæ* TIBI *offerre sustinuerunt, esse tenue atque exile. id tantum velim,* TIBI *sit persuasissimum, nullam curam mihi esse antiquiorem, quam vt perpetua obseruantia ac pietate, quam diu fuero superstes, animum submissi erga* TE *cultus plenissimum significem. deum veneror, vt* TV *diutissime viuas, valeas, ac litterarum incrementis felicissime, vt facis, prospicias.*

Ienæ d. I. *aug. anno reparatæ salutis*
MDCCXXI.

BENEVOLO LECTORI
S.

VIdes hic parerga academica, de quibus pauca monebo, quamuis de argumentis, quæ illis explicantur, adhuc disputandi materia non deesset, si & temporis & aliarum occupationum ferret ratio. animum quippe induxi, parergis hisce varia momenta elegantioris doctrinæ ac philosophiæ, quæ & vtilitate & suauitate illustriora sunt, diligentius explanare, ac illorum studiis, quorum animi harum pulcerrimarum rerum pascuntur, consulere. primo loco deprehendis dissertationem *de fabulosa historia Semiramidis*, qua præcipue disputaui aduersus CTESIAM CNIDIVM, qui captus bello, quod Cyrus minor cum fratre Artaxerxe gessit, & in Persidem delatus ibi per XVII annos exercuit medicinam. ex ipsius monimentis præter pauca fragmenta & excerpta, quæ HENRICVS STEPHANVS, ANDREAS SCHOTTVS, GOTHOFREDVS IVNGERMANNVS collegerunt, nihil ad nos peruenit, quamuis luculenta lubricæ ac malæ fidei documenta dederit, id quod non solum antiqui, ARISTOTELES, STRABO, PLVTARCHVS; sed ex recentioribus quoque IOSEPHVS SCALIGER, HERMANNVS

CON-

CONRINGIVS, BERNH. de MONTFAVCON, CHRISTOPHORVS CELLARIVS aliique obſeruarunt. cuiusmodi errores & fabulas tradidit quoque in hiſtoria Semiramidis, quippe quam primum ea, qua decet, fide ex vetuſtis monimentis commemoraui, ac deinde regulas probabilitatis hiſtoricæ ſecutus expoſui, quod illius ſit pretium, quamue mereatur auctoritatem. equidem diſſertatio hæc iam anno M D CC XIII. Lipſiæ prodiit; heic autem iſtam emendatam & acceſſionibus non leuioris momenti auctam deprehendes, cuius rei ea tantum documento ſunt, quæ de ipſo CTESIA CNIDIO, de matre Semiramidis, quam fabuloſa prodidit ætas, item de θηριοτρόφοις, de origine Babylonis, de Belis diſputaui copioſe.

Diſſertationem hanc excipit *diatribe de variis modis litteras colendi apud veteres romanos*, quæ quum non mediocris antiquitatum rei litterariæ ſit dignitas, cultoribus atque alumnis illarum fructum quendam, ſpero, adferet, vt adeo operam meam in hoc non male collocaſſe videar. nam quamuis fuerint, qui ingenia ſua in hoc litterarum genere exercuerunt diligenter, atque in his rerum antiquarum ſtudiis magna elaborarunt cura, quorum notitiam præcipue IO. ALBERTO FABRICIO & IACOBO FRIDERICO REIMMANNO debe-

mus; nemo tamen argumentum hoc a me expoſitum, iuſto ordine, & ea, qua decet induſtria, eſt perſecutus. veteres romani nominis ſui magnitudinem implerunt non ſolum armorum peritia, ſed litterarum quoque ſtudiis, quibus a prima ætate animum tradiderunt, ex quorum diſcendi modo, nec non educationis atque inſtitutionis ratione, & iucunda & vtilia exempla capere noſtramque doctrinæ culturam ad iſta fingere poſſumus.

Tertio loco videbis diſſertationem *de præmiis veterum ſophiſtarum, rhetorum & oratorum*, quod argumentum, quum LVDOVICVS CRESOLLIVS, cui debemus *theatrum rhetorum, oratorum & ſophiſtarum*, leuiore attigiſſet induſtria, vberius ex antiquæ ætatis monimentis illuſtrandum elegi, & ad id præcipue ſtudium meum contuli, vt varia præmiorum genera, quibus veteres ſophiſtæ adfecti ſunt atque ornati, diſtincte exponerem, cuiusmodi ſunt ſalaria, tituli honoris, adclamationes, coronæ, ſtatuæ, legationes, magiſtratus, victus publicus. nec non varias adieci obſeruationes ex elegantiori diſciplina, quæ loca obſcuriora ſcriptorum diuinorum illuſtrant, multisque demonſtraui exemplis, litteras humaniores, præcipue ſtudia antiquitatum veterum gentium interpreti oraculorum ſacrorum operam præſtare

vtilem, siue res ipsas, siue dicendi genera ac formulas respiciamus. extiterunt viri grauissimi, qui in eo collocarunt studia sua, vt doctrinam graecae litteraturae, quam ex lectione scriptorum profanorum hauserant, ad codicem noui foederis enarrandum illustrandumque adferrent, quam gloriam propriam sibi fecere aetate paullo superiore STEPHANVS, BEZA, CASAVBONVS, HEINSIVS, PRICAEVS, GROTIVS, ERASMVS SCHMIDIVS, STOLBERGIVS, & nostra memoria HENRICVS HAMMONDVS, IO. CLERICVS, LAMBERTVS BOS, GOTTFRIED OLEARIVS aliique. nec ipsis horum studiorum felix defuit euentus, quum non solum multarum vocum ac formularum, quas scriptores foederis posterioris vsurparunt, auctoritas firma; sed & vis significandi ex profanis graeciae libris vindicari atque ostendi, adeoque suspicio loquendi generis barbari remoueri ac via ad rectam sententiam parari possint, si modo tale studium cum cautione quadam instituatur.

Sequitur diatribe de *amoenitatibus historicis ex Ciceronis peregrinatione collectis*, qua verba CICERONIS, quibus ipse iter suum litterarium commemorat, illustraui, multaque collegi de Athenis, scholis Atheniensibus litterariis, praeceptoribus Ciceronis, de Asia, eiusdemque littera-

rum

rum domiciliis atque eloquentia Asiaticorum oratorum, deque re litteraria Rhodiorum, quæ cultoribus antiquitatum grata fore, confido. hæc dissertatio quidem anno MDCCXV Lipsiæ prodiit; aliam autem iam faciem præ se fert, quum & multæ factæ sint accessiones, eaque, quæ breuiter erant dicta, copiosius tradita, & varia momenta meliori studio emendata fuerint. habes deinde exercitationem historico-philosophicam de *atheismo Aristotelis*. primum generatim disputaui de varia existimationis Aristotelis fortuna, quæ omnino fuit dubia; quum alii doctrinas illius cum scripturis sacris voluerint conciliare; alii vero ipsum in atheorum ordinem adscripserint. quibus expositis ad opus atque argumentum dissertationi huic propositum sum aggressus, atque obseruaui, quod partim doctrina philosophiæ Aristotelis, siue ad speculationem, siue ad mores humanos spectet, ad atheismum viam possit munire; partim ipse philosophus sua mente nullum de deo ac diuino cultu sensum & studium habuerit, id quod posterius probabili ratione adfirmaui. atqui hoc discrimen inter atheismum doctrinæ & ipsius auctoris, quod satis est apertum ac firmum, diligenter ante oculos proposui, quum hoc neglecto, non possint non ea, quæ distincte tractanda

da sunt, perturbari, ac sæpe sine caussis philosophi adcusentur atheismi, a quo animus cuiusdam interdum alienus est, quamuis ipsius doctrina ac præcepta ad istum quemdam perducere queant. quid præstiterim, quisque ad æquitatis rationem iudicet, nullo prauorum affectuum studio captus, qui rationi inimici mentis oculos aciemque perstringunt atque impediunt, quo minus quid in quaque re verum ac falsum sit positum, videamus. in eam sententiam, quod Aristoteles male senserit de deo rebusque diuinis, iam alii quidem sunt ingressi, quorum in ipsa dissertatione a me facta est mentio; nemo tamen argumentum hoc ea ratione atque industria, qua id copiose persecutus sum, exposuit atque accurate principia, quibus Aristotelis doctrina & rerum naturalium & moralium nititur, examinauit. ex quibus omnibus non obscure colligi potest, quam misera philosophiæ fuerit conditio superiori ætate, quum & in scholis christianis Aristotelem vnice sequerentur, ipsum pie colerent veluti oraculum philosophicum, effata eius sancte ac religiose haberent, de quo acerbissimo seruitutis iugo diuino numine repulso, nobis gratulamur merito.

His accedit diatribe *de enthusiasmo veterum sophistarum & oratorum*, de qua scribenda

benda cogitandi materiam mihi dedit PHILOSTRATVS, cuius opus memoriis veterum sophistarum celebrandis consecratum, quum studiose perlegerem, obseruaui oratorum exempla, qui diuino afflatu se incitari crediderunt. quam in caussam partim CRESOLLII *theatrum rhetorum*, partim scriptores de enthusiasmo, MERICVM CASAVBONVM, HENRICVM MORVM, HENNINGIVM, IO. GERDESIVM & alios adii, vt quid lucis ex illis peti possit, viderem, qui quum multa momenta industriae meae relicta esse deprehenderem, mentem meam eiusque consilium confirmarunt. quapropter hac dissertatione id egi, vt varia enthusiasmi huius genera ex antiquis monimentis distincte exponerem, etiam in caussas illius curatius inquirerem, id quod copiam mihi fecit, veterum doctrinam de daemonibus atque hominum cum illis congressu tradendi, etiam historiam sophistarum illustrandi, in qua quamuis CRESOLLIVS insignem posuerit laborem, multa tamen, quae diligentius ac maiori cura exponenda sunt, reliquit, vt dissertatio, quam meditor ac paro *de imitatione oratoria veterum sophistarum* testari debet. subiicitur huic *historia logicae*, de qua bene meriti sunt PETRVS RAMVS, BARTHOLOMAEVS KECKERMANN, GERH. IO. VOSSIVS, PETRVS GASSENDVS, IA-

COBVS FRIDERICVS REIMMANNVS & alii, quos copiose prolegomena historiae huius recensent. quorum studia quum animo meo cogitarem, fateor me facile a proposito de historia logicae scribenda fuisse abductum, ne post clarissimorum virorum labores Iliadem post Homerum in lucem producerem. contra quum animo pensitarem, aliorum historias neque ad nostram vsque aetatem esse perductas, neque fata ipsarum doctrinarum attigisse, neque ad id perfectionis fastigium peruenisse, vt nullae accessiones fieri possent; non frustra operam consumturus videbar, si historiam logicae hac forma rationeque adornarem, vt & notitiam scriptorum logicae, qui hanc disciplinam commentationibus suis aetate & antiqua & media & recentiori illustrarunt; & fata ipsarum doctrinarum traderet. quibus de caussis tres libros constitui, quorum primus *de origine artis logicae;* secundus *de progressu ac fatis logicae*, tertius *de varia existimationis logicae fortuna* differit, ex quibus secundus recenset varios logicarum scriptores, atque exponit originem, progressum & fata doctrinarum logicae, nec non varios modos istam tradendi. atqui hac ratione, si deus velit, historiam aliarum doctrinarum philosophiae *metaphysicae, physicae, ethicae, iurisprudentiae ac theologiae*

natura-

naturalis & *politicæ* adornare animum induxi, atque efficere, vt parerga nostra academica cultoribus philosophiæ & historiarum vtilitatem quamdam adferant. illi enim, qui adhuc sibi persuaserunt, historiam litterariam absolui sola scriptorum & librorum notitia, a vera illius indole cognoscenda discesserunt, quum fata & scriptorum & librorum & doctrinarum explananda sint, quod postremum momentum a multis, qui huic historiarum generi operam dederunt, aut plane prætermissum, aut leuiore industria fuit expositum. tandem videbis hic diatriben de *orationibus panegyricis veterum* cum græcorum, tum romanorum, qua diuersas harum orationum species recensui, ac veram illarum originem demonstraui, principes oratores, quibus sermones panegyricos debemus, commemorans.

Hæc igitur sunt momenta, quæ hæc parerga academica complectuntur, ex historiarum atque antiquitatum litteris collecta. cuiusmodi studia qui haud abiiciunt, illis operam non plane inutilem aut ingratam me præstitisse, confido, in eo posthac elaboraturus, si aliarum occupationum ratio sic ferat, vt opus hoc feliciori continuatum euentu in lucem prodeat publicam. Ienæ d. 1 aug. anno reparatæ salutis MDCCXXI.

EXERCITATIO HISTORICA DE FABVLOSA HISTORIA SEMIRAMIDIS ADVERSVS CTESIAM CNIDIVM.





ΣΥΝΟΨΙΣ.

Quam incerta omnia sint in historia de rebus Assyriorum, demonstratur §. I. *de genere Semiramidis* §. II. *de ipsius educatione, maturiore ætate ac matrimonio* §. III. *quo modo Semiramis ad regiam dignitatem peruenerit* §. IIII. *de operibus Semiramidis* §. V. VI. *de ipsius expeditionibus* §. VII. *indole corporis atque animi* §. VIII. *de extremis fatis* §. VIIII. *sepulcri monimento* §. X. *de fide historica generatim disputatur* §. XI. *num fuerit Semiramis?* §. XII. *contra auctoritatem Ctesiæ Cnidii copiose disseritur* §. XIII--XXI. *pluribus ostenditur, quam fabulosa sit Semiramidis origo* §. XXII--XXVI. *&* *educatio* §. XXVII--XXVIIII. *num Semiramis Babylonem condiderit aut ornauerit?* §. XXX--XXXIII. *historia de Semiramidis expeditione Indica reiicitur* §. XXXIIII. *num fortitudinis laudem mereatur Semiramis?* §. XXXV.

QUi historiæ monimenta vel leuiore industria perlustrauit, quibus ea, quæ in Assyriorum imperio inlustria sunt, vel breui summa, vel iusto elaboratoque opere traduntur, is facile historicorum modo negligentiam, modo prauitatem ingenii ac animi poterit adcusare. siue enim ad regni illius primordia; siue ad ipsius amplitudinem & diuturnitatem; siue ad regum administrationem; siue denique ad finem eius atque interitum aduertamus animum, vbique quod dubium est, inuenimus. ita quæ tradita sunt de initiis regni Assyriorum, auctorum sententiis discrepant maxime. namque sunt, qui *Ninum* regni illius auctorem produnt, vti non solum IVSTINVS, [1] qui sub Antonino Pio TROGVM in sum-

1 *lib. I. c. 1.*

ſummam contraxit; ſed & DIODORVS SICVLVS, [1] quum ait: *πρῶτος δὲ τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, Νῖνος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων μεγάλας πράξεις ἐπετελέσατο, primus inter eos, quorum hiſtoriæ memoriam propagarunt, Ninus Aſſyriorum rex res magnas peregit*; & OROSIVS [2] teſtatur, omnes hiſtoriarum veterum auctores incipere a Nino. alii, ex quorum numero GEORGIVS SYNCELLVS eſt, qui IVLII AFRICANI EVSEBIIque chronographorum fragmenta ſeruauit, [3] *Belum* primum Aſſyriorum regem ponunt, a qua ſententia alii diſcedunt, quum plura Babylone, quam in Aſſyriis veſtigia Beli, religio, templum, monimentum fuerint, nec ipſe, neque ſucceſſores vtrumque coniunxerint regnum. dantur quoque, qui *Nimrodum* id condidiſſe adfirmant, quæ opinio multorum ſeculorum conſenſionem habet: quo nomine vt fidem hanc diſſimilem conciliarent, opera adlaborarunt non vulgari grauiſſimi ac hiſtoriarum litteris clariſſimi, qua de re conſulas PETRVM IOSEPHVM CANTELIVM [4] C. S. SCHVRZFLEISCHIVM [5] VLRICVM HVBERVM. [6] nec imperii Aſſyriorum diuturnitatem genuina & indubitata fide litteris conſignatam tenemus, quum alii annorum numerum nimis amplificant; alii corruptum illum tradunt. regnum illud ultra annos cIↃ CCCC ſtetiſſe ex CTESIA CNIDIO commemorat DIODORVS SICVLVS, [7] quamuis paullo ante in ea fuerit ſententia, quod regnum hoc ad Sardanapali ætatem flo-

1 *lib. II ſub init.* 2 *lib. II. cap. 2.* 3 *p. 96. 206. edit. Pariſ.* 4 *obſeru. in Iuſtinum.* 5 *oper. hiſt. polit. p. 5.* 6 *ciuil. hiſt. lib. I. Sect. 2. cap. 2. p. 11.* 7 *lib. II. c. 21.*

ruerit per annos *πλείω τῶν χιλίων καὶ τριακοσίων ἔτι δ' ἑξήκοντα*, *plus quam* 1360 qua CTESIAE auctoritate permoti multi pro huiusmodi antiquitate Assyriorum regni propugnarunt, prout illud durasse per annos CIↃ CCC TROGVS apud IVSTINVM [1] scribit: AVGVSTINVS vero [2] habet annos CIↃ CCCV. VELLEIVS PATERCVLVS [3] CIↃLXX. EVSEBIVS [4] CIↃ CCXL. SYNCELLVS CIↃ CCCCLX. verum HERODOTVS [5] arctioribus regnum hoc terminis includit & annos DXX. ponit: *Ἀσσυρίων ἀρχόντων τῆς ἄνω Ἀσίης ἐπ' ἔτεα εἴκοσι καὶ πεντακόσια, πρῶτοι ἀπ' αὐτῶν Μῆδοι ἤρξαντο ἀπίστασθαι*, *quum Assyrii superiori Asiæ imperassent annis DXX. Medi primi ab ipsis deficere cœperunt*; quem numerum multi recentioris æui CONRINGIVS [6] CELLARIVS [7] GRAEVIVS [8] MARSHAMVS [9] BVDDEVS [10] aliique maioris esse fidei adfirmarunt. de ipsis regibus eorumque ordine ac numero nihil habemus certi, nisi quæ oraculis diuinis legimus inserta, sed quum ista tantum regum nomina declarant, parum ad adcuratiorem pertinent notitiam. missis iam ceteris, quæ sunt malæ fidei, unam *Semiramidem* ex aliis, cuius opera stupenda sane multi vetustioris ætatis prædicant, in præsentia examinabimus, quod curatius nobis peregisse videbimur, si feminæ huius virilis animi, vt traditur, originem, res gestas, præclara alia facinora & fata demum extrema per-

1 *lib. I. cap.* 2. §. 13. 2 *de C. D. lib. XVIII. c.* 21. 3 *lib. I. c.* 6. §. 1. 4 *chronic. n.* 1197. 5 *lib. I. c.* 95. 6 *aduers. chronolog. de Asia & Aegyptior. antiqu. dynast.* 7 *dissert. acad. p.* 61. 8 *ad Iustin. lib. I cap.* 2. *p.* 9. 9 *canon chronol. p.* 521. 10 *hist. eccl. V. T. t.* 1. *p.* 229. 467. 970.

spicue

ſpicue ad contemplanda prius propoſuerimus.

§. II. Genus Semiramidis reginæ Aſſyriorum non generoſum antea, vt in aliis gentibus non paucis extitiſſe, poſtea vero ad ſummam nobilitatem regiumque faſtigium perueniſſe, aiunt. nata dicitur a Dea Syria, quæ *Derceto* ac *Derce* adpellatur, prout DIODORVS SICVLVS [1] qui Semiramidis momenta verboſius perſecutus eſt, de patria ipſius atque origine, ita diſputat: κατὰ τὴν Συρίαν τοίνυν ἐστὶ πόλις Ασκάλων, καὶ ταύτης οὐκ ἄποθεν λίμνη μεγάλη καὶ βαθεῖα πλήρης ἰχθύων. παρὰ δὲ ταύτην ὑπάρχει τέμενος θεᾶς ἐπιφανοῦς. ἣν ὀνομάζουσιν οἱ Σύροι Δερκετοῦν. ἄυτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος, διά τινας τοιάυτας αἰτίας, μυθολογοῦσιν οἱ λογιώτατοι τῶν ἐγχωρίων, τὴν Αφροδίτην προσκόψαι τῇ προειρημένῃ θεᾷ δεινὸν ἐμβαλεῖν ἔρωτα νεανίσκου τινὸς τῶν θυόντων οὐκ ἀειδοῦς. τὴν δὲ Δερκετοῦν μιγεῖσαν τῷ σύρῳ, γεννῆσαι μεν θυγατέρα, καταισχυνθεῖσαν δὲ ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις, τὸν μὲν νεανίσκον ἀφανίσαι, τὸ δὲ παιδίον ἔις τινας ἐρήμους καὶ πετρώδεις τόπους ἐκθεῖναι, *eſt in Syria vrbs Aſcalon, a qua non procul ingens & profundus lacus, piſcium copia abundans & in vicinia illuſtris deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur; facie mulierem & toto alio corpore piſcem referens; idque has ob cauſas. accolarum hic diſſertiſſimi fabulantur, Venerem ab illa offenſam, aerem iuuenis in ſacrificantium turba non inelegantis amorem deæ inieciſſe: ſuſceptaque ex complexu Syri filia, quum facinoris eam puderet, iuuenem necaſſe puellulamque in petricoſum*

[1] *lib. II.*

 quem-

quemdam locum ac desertum exposuisse. LVCIANVS [1] vero ait: ἄλλοι δὲ Σεμίραμιν τὴν Βαβυλωνίην, τῆς δὴ πολλὰ ἔργα ἐν τῇ Ἀσίῃ ἐςὶ, ταύτην καὶ τόδε τὸ ἕδος εἵσασθαι νομίζουσι. οὐκ ἥρῃ δὲ εἵσασθαι, ἀλλὰ μητρὶ ἑαυτῆς. τῆς Δερκετοῦ οὔνομα. Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθηησάμην, θέημα ξένον. ἡμισέη μὲν γυνή. τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας, ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται, *alii autem Babyloniam illam Semiramidem, cuius multa per Asiam extant opera, hoc templum consecrasse putant, non Iunoni, sed matri suæ, cui Derceto fuit nomen. Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi, spectaculum insolitum. erat dimidia parte mulier: & quantum a femoribus ad pedes imos protenditur, in piscis caudam desinebat*: & HYGINVS [2] dicit: *murus in Babylonia, quem fecit Semiramis Dercetis filia*; item [3] *Semiramis Dercetis filia Babylonem* (condidit.) quæ Semiramidis mater *Derceto* dicta, *Atargatis* quoque fuit adpellata, quamuis ipsum nomen scribatur varie, *Atergatis* quippe, *Adergatis*, *Adargatis*, *Atargata*, *Adargadis*. quæ omnia vocabula corrupta esse ab *Adirdaga* ebraice אדיר דג id est *piscis potens*, SELDENVS [4] pronunciat. namque vti ex superioribus cum DIODORI SICVLI, tum LVCIANI verbis adparet, Derceto facie speciem mulieris, reliquis vero corporis partibus piscis figuram præ se habere fingitur, quamobrem a PLINIO [5] *prodigiosa Atargatis* adpellatur. quumque Derceto huic Syri diuinum cultum retulisse dicantur, teste STRABONE [6] ὑπέρχεται δὲ ποταμοῦ χοίνοις

1 *de Syria dea p. 662. tom. II. opp.* 2 *fab. CCXXIII* 3 *fab. CCLXXV.* 4 *Synt. II. de diis Syr. cap. 3.* 5 *lib. V. c. 23. H. N.* 6 *lib. XVI. p. 748.*

τέτ7α-

τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν Θεὸν τὴν Ἀταργάτιν, *quatuor schœnorum spatio trans flumen est Bambyca, quam Edessam & Hierapolim quoque, id est sacram vrbem vocant. in ea Atargatim Syriam Deam colunt*; factum est, vt piscibus abstinuerint, quæ res est plurium ex antiqua ætate testimoniis confirmata. LVCIANVS [1] ἰχθύας χρῆμα ἱρὸν νομίζουσι καὶ οὔποτε ἰχθύων ψαύουσι, *pisces sacros putant, nec pisces attingunt vnquam*; & paucis interiectis: ὅτι Δερκετὼ μορφὴν ἰχθύος ἔχει, *quia Derceto piscis formam habet*: XENOPHON [2] μετὰ δὲ ταῦτα Κῦρος ἐξελαύνει σταθμοὺς τέσσαρας παρασάγγας εἴκοσιν ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δ' ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς, *postea Cyrus castris quartis parasangas XX ad Chalum fluuium progreditur, cuius latitudo erat vnius plethri: erat is refertus piscibus magnis & mansuetis, quos Syri pro diis habent, vti & columbas nec lædi patiuntur.* CLEMENS ALEXANDRINVS [3] τῶν τὴν Φοινίκην Σύρων κατοικούντων, ὧν οἱ μὲν τὰς περιστεράς, οἱ δὲ τοὺς ἰχθῦς οὕτω σέβουσι περιττῶς ὡς Ἠλεῖοι τὸν Δία, *Syrorum Phœnicen incolentium, quorum alii quidem columbas, alii pisces tam impense colunt quam Elei Iovem*: confer. MACROBIVM [4] RHODIGINVM [5] VOSSIVM [6] RELANDVM [7]. ab hac sententia, quod Semiramis nacta fuerit matrem Derceto, discedunt alii, qui istam ex Nino genitam esse adfirmant,

1 c. l. 2 ἀναβ. κύρ. lib. I. p. 156. 3 admon. ad gentes p. 19. 4 Saturn. Lib. I. c. 23. 5 lection. antiqu. lib. XVIII. c. 34 p. 1028. 6 de orig. & prog. idolol. lib. I. c. 18. p. 175. 7 Palæst. lib. III. p. 591.

adeoque matrimonii cum illa societatem ipsi abiudicant. etenim CONON [1] tradit, Σεμίραμιν ἐχὶ γυναῖκα κατὰ τὲς ἄλλες φησὶ Νίνε γενέσθαι, ἀλλὰ θυγατέρα, *Semiramidem non uxorem, vt alii prodiderunt, sed filiam fuisse Nini;* & MACROBIVS [2] *Nam supra Ninum, a quo Semiramis secundum quosdam creditur procreata, nihil præclarum in libros relatum est.*

§. III. Ex quo in vitam hanc ingressa est Semiramis, corpus ipsius per columbas conseruatum, ad robur maius atque incrementum peruenisse, dicit DIODORVS [3] περὶ τὸν τόπον, ὅπε τὸ βρέφος ἐξετέθη, πλῆθες περισερῶν ἐννοσσευόντος, παραδόξως καὶ δαιμονίως ὑπὸ τέτων τὸ παιδίον διατρέφεσθαι, *quum vero ad expositæ infantis locum magna columbarum vis nidularetur, miro quodam fato & nutricatio & salus ei contigit:* quo fato partim *Semiramidis* nomen illi inditum, partim diuinæ venerationis columbarum, quas Syri colebant, morem ortum fuisse, auctores scriptum reliquerunt, prout TIBVLLVS [4] dicit:

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

quod momentum & testimonia illa, quæ paullo ante collegimus, corroborant satis. * Verum quum Semiramis ad eam ætatis partem peruenerit, quæ ad labores & officia aliis præstanda satis matura, necessitati temporis sese accommodans, seruitutem perpessa fuit, nec libertatis fructus potuit percipere, quapropter PLVTARCHVS [5] dicit: ἡ δὲ Σύρα Σεμίραμις

1 *apud Photium narr. IX. p. 427.* 2 *in somn. Scipion. lib. II. cap. 20.* 3 *lib. II.* 4 *lib. I. eleg. 8.* 5 *amator. tom. II. opp. p. 753.*

οἰκο-

ὁικοτρίβου μὲν ἦν βασιλικοῦ θεράπαινα παλλακευομένη, *Semiramis Syra ancilla fuit famuli regii regisque pellex*, & PLINIVS [1] *Echionis sunt nobiles picturæ. Liber pater, item tragœdia & comœdia. Semiramis ex ancilla adipiscens regnum anus lampadas præferens.* matrimonii fœdus cum Menone iniit, de quo DIODORVS SICVLVS [2] refert, quod fuerit πρῶτος τῶν ἐκ τοῦ βασιλικοῦ συνεδρίου καὶ τῆς Συρίας ἁπάσης ἀποδεδειγμένος ἔπαρχος *senatus regii princeps & Syriæ totius administrator*: qui quum expeditionem aduersus Bactra cum Nino suscepisset, Semiramidem militiæ illius comitem secum habuit. at Ninus expertus ipsius ingenii singulares dotes mirificasque animi virtutes, nec tardius elegantissima faciei forma captus, amore in illam accensus est, quo nomine insidiatus est arti, qua Semiramidem illam sibi posset adiungere, & quamuis Menon Nini voluntatis esset aduersarius, vi tamen acerbiore ipsum adduxit, vt vxorem perditæ eius libidini traderet, quæ omnia sæpenumero dicto loco persequitur DIODORVS ac plurium quidem, qui DIODORVM ducem sunt secuti, sententia est, Semiramidem Nini fuisse vxorem; dantur tamen, qui id negatum iuerunt, prout supra iam obseruauimus. via igitur hac ratione ad regium fastigium Semiramidi munita est.

* Tanta enim superstitio per paganos fusa erat, oppresseratque illorum animos, vt & animantia, quæ rationis vsu destituta sunt, cultu diuino ac religioso prosequerentur, prout coruum, miluum, vulturem, bouem, bufones, canem, caprum, feles, serpentem, vaccas,

1 *H. N. lib. XXXV. cap. 10.* 2 *lib. II.*

AEgyptii; accipitrem Tentyritæ, ciconias & mustelam Thebani; picum Latini; vespertilionem Mexicani; capram Mendesii; ouem Saitæ, vt de aliis taceamus, in deorum receperunt numerum, vide ALBERTI disput. histor. de cultu idololatric. bestiarum Lipf. 1669. & IO. SCHMIDII diss. histor. mor. de honore brutis non competente Lipf. 1686.

§. IIII. Quo modo & iure Semiramis Assyriorum regnum ceperit tenueritque, in quo nulla nisi virilis sexus ratio gentilisque & successio hereditaria obseruata est? hoc inter auctores fuit controuersum. sunt, qui callido sane fraudisque pleno consilio Semiramidem regem Ninum interficiendum curasse, adeoque obtruncato Nino viam sibi ad maiestatem regiam parasse, tradunt, cuius rei testes habemus DIONEM apud AELIANVM [1] & PLVTARCHVM [2]. verum siue Ninus fato naturali, siue violento fuerit defunctus, princeps quæstionis momentum in eo positum est, quo iure Semiramis ad regium fastigium Assyriorum peruenerit? quoniam constat, quod nationes hæ imperia feminarum non ferant, ac ipsarum infirmitatem, ingeniique rudiorem indolem maiestati aduersam esse, obstinate sibi persuadeant. quapropter CEPHALIO apud SYNCELLVM [3] commemorat, quod Assyriorum reges prioribus ita successerint, vt παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδεχόμενος τὴν ἀρχὴν καὶ ἔχων ἧτταν οὐδεὶς αὐτῶν ἐτελεύτησεν, *filius a patre excipiens regnum, & nemo illorum cladem passus fuerit mortuus*: imo VELLEIVS PA-

1 *lib. VII. cap. I. V. H.* 2 *amator. tom. II. opp. p. 753.* 3 *p. 167.*

TER-

TERCVLVS [1] clariſſime dicit: *in ſequenti tempore, imperium Aſiaticum ab Aſſyriis, qui id obtinuerant annis MLXX. translatum eſt ad Medos, abhinc annos ferme DCC LXX. quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis fluentem & nimium felicem malo ſuo, tertio & triceſimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylonem condiderant, natum*; ita vt ſemper ſucceſſor regni paterni foret filius *Pharnaces Medus imperio vitaque priuauit.* quibus de cauſſis vero ſimile eſſe putamus, quod Semiramis regni tantum adminiſtrationem filio ad regnandum immaturo præripuerit, ac pro illorum temporum ratione ſibi vindicauerit, quod non obſcure ex hisce IVSTINI [2] verbis colligi poteſt: *hæc* (vidua Semiramis) *nec immaturo* (filio Ninyæ) *auſa tradere imperium* (id eſt, adminiſtrationem, quam velut tutelæ nomine ſuſceperat Semiramis: quoniam ius imperandi iam penes Ninyam erat) *nec ipſa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum feminæ parituris, ſimulat ſe pro vxore Nini filium, pro femina puerum*; & DIODORVS SICVLVS [3] adfirmat, quod Ninus γεννήσας ἐκ Σεμιράμιδος υἱὸν Νινύαν ἐτελεύτησε, τὴν γυναῖκα ἀπολιπὼν βασίλισσαν, quæ poſteriora verba notant, quod Semiramidi non ſucceſſionem, ſed eam duntaxat reginam reliquerit, confer c. s. SCHVRZFLEISCHIVM. [4] quo igitur fundamento HVGO GROTIVS [5] & MARSHAMVS [6] ad exemplum Semiramidis prouocent, quum de

1 *lib. I. cap. 6. n. 1. 2.* 2 *lib. I. cap. 2. n. 1.* 3 *lib. II. cap. 7.* 4 *operib. hiſtoric. polit. p. 17.* 5 *de I. B. & P. lib. II. c. 7. §. 12.* 6 *canon. chronic. ſec. IV. p. 69.*

iure

iure mulierum differunt, exinde facile iudicari potest.

§. V. Magna sunt merita atque opera, quae Semiramis praestitisse, adeoque fama nominis sui terrarum orbem impleuisse dicitur, quippe quae nacta sunt multorum seculorum memoriam & in quotidiano hominum sermone & ore fuerunt, prout IVLIANVS [1] de Semiramide pronunciat, quod ὑπὲρ ταύτης πολὺς μὲν λόγος, ὡς ἐναυμάχει ναυσὶ τρισχιλίαις καὶ πεζῇ παρετάττετο, μυριάδας ὁπλιτῶν τριακοσίας ἄγουσα, τότε ἐν Βαβυλῶνι τεῖχος ᾠκοδόμει πεντακοσίων σταδίων μικρὸν ἀποδέον, καὶ τὰ περὶ τὴν πόλιν ὀρύγματα, καὶ ἄλλα πολυτελῆ καὶ δαπανηρὰ κατασκευάσματα ἐκείνης ἔργα γενέσθαι λέγουσι, *de ea frequens extet apud scriptores mentio, quod classem ter mille numero nauium instrueret, peditum vero tricies centena millia in aciem educeret: tum quod Babylone murum excitarit quingentorum fere stadiorum & quae circa hanc vrbem fossiones aut ceterae id genus magnificae ac sumtuosae structurae sunt, ob ea omnia perfecta dicuntur.* sed distinctius accuratiusque opera ipsa recensere, operae pretium est. Semiramidem Babylonem, vrbem illam maximam & Chaldaicarum gentium lumen condidisse, tradunt CTESIAS, DIODORVS, HERODOTVS, STRABO, MELA, IVSTINVS, VELLEIVS PATERCVLVS aliique quam plurimi, quae vrbs quum magnitudinis, splendoris, mirae structurae aliorumque ornamentorum laude ab antiquis historiarum auctoribus praedicatur, ea omnia quoque Semiramidi vindicarunt. inter alia enim laudantur *muri*

1 *orat. III. in laudem imperatric. Eusebiae p. 127.*

Baby-

Babylonici, de quibus, quod ad ipsorum altitudinem inprimis adtinet, variæ & inter se discrepantes sententiæ extant. PHILO BYZANTIVS [1] ita dicit: τὸ μὲν ὕψος ἐςὶ τȣ̃ τείχȣς πλέον ἢ πεντήκοντα πήχεων· τὰ δὲ πλάτη τῶν παραδρομίδων ἅρματα τέτρωρα τέσσαρα κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν διιππεύει, *muri altitudo quinquaginta cubitorum mensuram excedit: at deambulationum altitudines quadrigas quatuor eodem tempore in equestre certamen admittunt*; quem cubitorum numerum præter CTESIAM apud DIODORVM STRABO [2] quoque posuit, nec non CVRTIVS, [3] si quorundam scripturæ habeamus fidem, qui legunt: *altitudo muri quinquaginta cubitorum eminet spatio*, quamuis alii pro *quinquaginta* scribant *centum*. at vero HERODOTVS [4] muris hisce altitudinem CC. cubitorum regiorum adtribuit, quem quidem regium cubitum fuisse tribus digitis vulgari cubito ampliorem, confirmat: quotue cubitos ponit HERODOTVS, tot pedibus altitudinem horum murorum definiunt PLINIVS [5] ac SOLINVS: [6] quorum ille dicit: *Babylon Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia adpellata est, sexaginta millia passuum amplexa*, muris ducenos pedes altis, *quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore, quam nostra, interfluo Euphrate, mirabili opere vtroque*; hic vero *Babylonia vrbs*

1 *de septem orbis mirac. t. VIII. p.* 2674. *thesaur. antiquitat. græcar.* GRONOVII. 2 *lib. XVI.* 3 *lib. V. cap. I.* 4 *L.* 178. 5. *lib. VI. cap.* 26. *H.N.* 6 *cap.* 65.

est

eſt ſexaginta millia paſſuum circuitu patens, muris circumdata, quorum altitudo ducentos pedes detinet, latitudo quinquaginta in ſingulos pedes ternis digitis vltra quam menſura noſtra eſt altioribus; qui pedum numerus ex HYGINI [1] ſententia adhuc minor fuit, quoniam murum Semiramidis altum pedes LX. fuiſſe dicit, in quo auctorum diſcrepantia certi quid definire, omnino eſt difficile, confer BRISSONIVM [2] FREINSHEMIVM [3] KIRCHERVM. [4] nec minus ſcriptorum ſententiæ ſunt diuerſæ, quod ad ipſius vrbis ambitum adtinet, quem CTESIAS ſtadia CCCLX. CLITARCHVS CCCLXV. vterque apud DIODORVM; HYGINVS CCC. STRABO CCCLXXXV. DIO CASSIVS CCCC. HERODOTVS CCCCLXXX. ſcribunt, item ſi reſpicimus materiam, ex qua muri hi fuerunt conſtructi, quamuis plures tradant, illos laterculo coctili & bitumine fuiſſe ſtructos, vti HERODOTVS, DIODORVS, CVRTIVS, IVSTINVS, PLINIVS, IVVENALIS, MARTIALIS, PROPERTIVS, AMMIANVS MARCELLINVS; ſed HYGINVS dicto loco ſcribit, fuiſſe latere cocto & ſulphure, ferro vinctos, ea fortaſſe cauſſa, quod teſte PLINIO [5] ſulphuris & bituminis vicina eſt natura, vti FREINSHEMIVS [6] & MVNCKERVS [7] obſeruant.

§. VI. Vt ſilentio dimittamus pontem Babylonium, cuius primordia Semiramidis opera & ſtudio vindicantur, & de quo DIODO-

1 *fab. CCXXIII.* 2 *de regio Perſar. principat. lib.* I. §. 81. *p.* 117. 3 *ad Curtium lib. V. cap. I. n.* 26. 4 *turr. Babel. lib. II. cap.* 4. *p.* 53. 5 *lib. XXXV. cap.* 15. 6 *dicto loco.* 7 *ad Hygin. p.* 290.

RVS

RVS [1] pluribus differit, cuiusue figuram exhibet KIRCHERVS, [2] cogitationes nostras conuertimus ad hortos pensiles, qui inter septem mundi miracula narrantur, auctore LACTANTIO, [3] multarum arborum vmbra & proceritate amoeni, quorum ornatum & splendorem commemorant STRABO [4] CVRTIVS [5] PHILO BYZANTIVS [6] * quamuis CVRTIVS dicat, hortos hosce esse miraculum vulgatum graecorum fabulis. at vero quum illi horti pensiles à tot scriptoribus sint laudati, non plane in censu fabularum haberi possunt, licet poetae, vt id, quod per se magnum est, veluti incredibile & humanis viribus maius praedicare solent, multa addiderint ficta. inprimis vero de eo inter scriptores disputatur, quis hoc hortorum opus fuerit molitus? EVSTATHIVS [7] istos acceptos fert Semiramidi, quum de ista dicit: ἔκτισε δὲ καὶ δεξαμενὴν μεγάλην ἧ κῆπον ἐπήγειρε θαυμαστὸν, ἐπιλεγόμενον κρεμαστὸν, ὃς τετράπλευρος μὲν ἦν, ἑκάστην δὲ πλευρὰν ἔχε τετράπλεθρον, *extruxitque ingentem cisternam, in qua hortum stupendum erexit, qui pensilis vocabatur, & quatuor habebat latera, quorum vnum quodque quatuor plethrorum erat,* cui opinioni addictus quoque est KIRCHERUS. [8] sed discedit ab ista DIODORVS [9] qui dicit: ὑπῆρχε δὲ καὶ ὁ κρεμαστὸς καλούμενος κῆπος παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, οὐ Σεμιράμιδος, ἀλλά τινος ὕστερον Σύρου βασιλέως κατασκευάσαντος, *erat etiam pensilis, vt vocatur, hortus iuxta arcem, non a Semiramide, sed Syrae*

1 II. 8. 2 turr. Babel. lib. II. cap. 5. p. 56. 3 lib. III. cap. 24. instit. diuinar. 4 lib. XVI. p. 738. 5 lib. V. cap. I. n. 31. seqq. 6 apud Gronou. dicto loco p. 2650. 7 ad Dionysium de sit. Orb. v. 1010. 8 turr. Babel. II. 6. 2. 9 II. 10.

quo-

quodam rege posteris temporibus ædificatus, quem sequitur CVRTIVS [1] *Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum, memoriæ proditum est, amore coniugis victum quæ desiderio nemorum siluarumque in campestribus locis, virum compulit amœnitatem naturæ genere huius operis imitari*; in qua sententiarum diuersitate PLINIVS [2] nullam ex illis suam sibi fecit, ipsamque rem veluti dubiam reliquit in medio, quando scribit: *itemque pensiles* (hortos) *siue illos Semiramis, siue Assyriæ rex Cyrus fecit, de quorum opere alio volumine dicemus*. sola sane auctoritas EVSTATHII, qui hortos hosce vindicat Semiramidi, non firma est, cui opus hoc omnino denegari potest, præcipue quum DIODORVS, & qui istum sequitur CVRTIVS, scriptores in rebus Semiramidis commemorandis diligentes ac copiosi, huic opinioni refragentur. equidem vterque regem quemdam Syriæ commemorat, veluti auctorem operis huius admiratione digni; sed nomen ipsius prætermittit silentio, qua in re ex IOSEPHO [3] petere possumus lucem. namque ex BEROSO, antiquissimo rerum Chaldaicarum scriptore in Nebuchodonosori, Assyriæ regis, quidquid magnifice de conditore mœnium hortorumque Babylonis prædicatur, operibus numerat; & quamvis DIODORVS ac CVRTIVS mentionem faciant regis cuiusdam *Syriæ*, voluerunt tamen dicere *Assyriæ*, quas gentes sæpe confundunt veteres nouique scriptores, confer BRISSONIVM [4] FREINS-

1 *cit. loc.* 2 *histor. nat. lib. XVIIII. cap.* 4. 3 *antiq. Iudaicar. X, II. & contra Apion. lib.* 1. 4 *de regio Persarum princip. lib.* 1. §. 80.

HEMIVM

HEMIVM [1] PITISCVM [2] CELLARIVM. [3] **

* Hortus hic græce dicitur κῆπος κρεμαςὸς, DIODOR. II, 10. κρεμαςὸς παράδεισος, IOSEPH. contra Apion. lib. I. p. 1045. latine *pensilis*. pensile autem significat, quod suspensum est & in aëre pendet.

** Imago hujus modi hortorum extat in KIRCHERI turr. Babel. p. 58. & CVRTIO edito cura PITISCI p 273. de mole illa lapidea, quam adpellant *obeliscum* & Semiramidi adtribuunt, differit quoque DIODORVS. hic quoque legi potest SERVILIVS de mirandis antiquorum operibus lib. I. cap. 47. 51. 52. tom. I. thesauri antiqu roman. SALLENGRE.

§. VII. De expeditionibus, quas Semiramis contra hostes suscepisse traditur, nunc disquirendum est. duæ ex illis illustres celebrantur, quarum altera *Aethiopica*; altera vero *Indica* adpellatur. de priore testatur DIODORVS, quod Libyam magna ex parte redegerit in ditionem, & hisce peractis plurima Aethiopiæ loca subegerit, cuius rei testis quoque est PLVTARCHVS, [4] quando scribit: τῆς αὐτῆς δυναμεως ὑποκειμένης καὶ ἡγεμονίας, Σεμίραμις μὲν ȣ̃σα γυνὴ, ςόλȣς ἐπλήρȣ, καὶ φάλαγγας ὥπλιζε, καὶ Βαβυλῶνας ἔκτιζε, καὶ περιέπλει τὴν Ερυθρὰν θάλασσαν, Αἰθίοπας καλαςρεφομένη καὶ Αραβας, *eadem potentia, eodem regno proposito, Semiramis quum esset mulier, classes instruebat; legiones armabat, Babylonas condebat, rubrum mare circumuecta Aethiopes & Arabes subigebat*; item IVSTINVS, [5] quod mulier hæc non contenta acquisitos viro regni terminos

1 *obseru. ad Curtium c. l.* 2 *ad Curtium p.* 274. 275. 3 *histor. antiqu. p.* 7. *& ad Curtium p.* 205. 4 *p.* 336. *tom.* 2. *opp.* 5 *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 8.

tueri Aethiopiam quoque imperio adiecerit. sic rebus ex sententia DIODORI Aethiopiæ atque Aegypti compositis, bellum Indiæ intulit, qua tempestate *Stabrobates* regnum administrabat, militum atque elephantorum, quorum India ferax est, copia maxime abundans. quapropter Semiramis immensam magnitudinem copiarum conscripsit, prouinciis suis trecenta boum millia imperauit; & quamuis legati ad ipsam missi, istam crudelitatis adcusarent, quod nulla caussa commota bello Indiam premere sibi sumeret; regio tamen spiritu litteras illas contemnebat, nec a crudeli consilio, quod animo conceperat, ad humanitatem mentis poterat reuocari, adeo vt vtrinque pugnatum sit crudeli marte & victoria demum licet cruenta Semiramidem secuta gloriosissime. ita enim scribit DIODORVS: ἐπὶ πολὺν δὲ χρόνον τοῦ κινδύνου παρατείνοντος καὶ προθύμως ἑκατέρων ἀγωνισαμένων, τὸ τελευταῖον ἡ Σεμίραμις ἐνίκησε, καὶ διέφθειρε τῶν πλοίων περὶ χίλια. συνέλαβε δ' αἰχμαλώτους οὐκ ὀλίγους, *postquam certamine ad longum tempus extracto acriter pugnatum esset vtrinque, victoria tandem penes Semiramidem stetit, quæ ad* CIↃ *naues submersit, nec exiguo captiuorum numero potita fuit.*

§. VIII. Et tantum de operibus, quæ narrantur, Semiramidis. nunc ad indolem corporis pariter ac animi adgrediamur. corporis ac faciei ipsius elegantiam pulcritudinemque vehementer prædicant scriptores, adeo vt auctore AELIANO [1] fuerit ὡραιοτάτη γυναικῶν *speciosissima inter omnes feminas*, qui vero ad-

[1] *lib. VII. cap. 1. var. hist.*

 dit:

dit: εἰ καὶ ἀφελέστερον ἐχρῆτο τῷ κάλλει, *tametsi remissius & negligentius formam curabat*. etenim libidinis mollitie plane fuisse corruptam, multi auctores confirmant, & ipse DIODORVS testatur, quod rex Indorum Semiramidis perditas Veneris voluptates litteris perstrinxerit acriter, quippe quæ adeo libidini indulserit, vt milites, qui speciosa forma fuerint, ad scorta sibi ipsi inferenda impulerit: quin immo tradit PLINIVS [1] Iubam esse auctorem, equum adamatum a Semiramide vsque coitum, per huiusmodi sane dedecus, quod nulla virtutis species, nulla imperii magnitudo, nulla bellorum felicitas redimere potest. sic & refert AMMIANVS, [2] quod Semiramis omnium prima teneros mares castrauerit, ita vt inde mos hic ad Persarum gentem sit translatus. * in tanta vi libidinis nihilominus Semiramis singulari animi fortitudine prædita celebratur, quamobrem IVSTINVS [3] dicit: *nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non feminas modo virtute, sed & viros anteiret*; & apud AELIANVM [4] legimus, quod memoriæ sit proditum, Semiramidem cepisse, etiam interfecisse leonem, pardalim, leonam & alias huiusmodi feras; & iræ, cuius adfectui animus ipsius succubuerit, argumentum exhibet VALERIVS MAXIMVS, [5] quando dicit: *in puerili pectore non tantum vis odii potuit, sed in muliebri quoque æque multum valuit. namque Semiramis Assyriorum regina, quum ei circa cultum capitis sui occupatæ nunciatum esset,*

1 *hist. nat. lib. VIII. cap.* 42. 2 *lib. XIIII. cap.* 17. 3 *lib. I. cap.* 2. §. 6. 4 *lib. XII. cap.* 39. *var. histor.* 5 *lib. IX. cap.* 3.

Babylonem defeciſſe; altera parte crinium adhuc ſoluta protinus ad eam expugnandam cucurrit; nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam vrbem in poteſtatem ſuam redegit.

* Quod Perſæ pueris teſticulos amputauerint, ac forma præſtantisſimos quoque mares caſtraueriut, teſtatur HERODOTVS & DIO CHRYSOSTOMVS orat. XXI. quæ de pulcritudine inſcribitur, Perſas pulcritudinis fuiſſe ſtudioſos hoc probat argumento, quod pulcros facerent eunuchos. STEPHANVS de vrbibus exiſtimat, morem caſtrationis cœpiſſe *Spadæ*, quæ vrbs eſt Perſidis, vnde & nomen *Spadonis* ſit deductum, quamuis alii obſeruent, vocem hanc a verbo græco σπάδω, eſſe deriuandam. BRISSONIVS de regio Perſarum principatu lib. II. §. 164. monet, ab Aſſyriis & Medis luxum hunc manaſſe, & Babyloniorum regem Nebuchodonoſorum ex Iudaica iuuentute quosdam, nec non ex aliis gentibus bello captos ipſo ætatis flore caſtrandos curaſſe. adde DEMPSTERVM ad Claudianum p. 376. 377. cum notis varior.

§. VIIII. Tandem ad extrema Semiramidis fata perueniamus. IVSTINVS [1] tradit, quod quum concubitum filii petiiſſet, ab eodem fuerit interfecta, XLII. annos poſt Ninum regno potita, in quibus annis IVSTINVS, aut potius TROGVS ab aliis diſcedit, qui Semiramidem imperium per XXXII. annos tenuiſſe adfirmant, quæ diſcrepantia nulla admiratione digna eſt, quum quidquid de Nino & Semiramide traditur, incertum eſt & dubiæ fidei. quod autem inceſtum fecerit cum filio,

1 lib. I. cap. 2. n. 10.

idem

idem teſtatum facit CONON [1] ὡς ἡ Σεμίραμις ἄυτη τῷ υἱῷ λάθρα καὶ ἀγνοῦσα, μιγεῖσα, εἶτα γνοῦσα, ἄνθρα ἐν τῷ φανερῷ ἔσχε. καὶ ἐξ ἐκείνου, πρότερον βδελυκτὸν ὄν, Μήδοις καὶ πέρσαις καλὸν καὶ νόμιμον ἔδοξε μητράσι μίγνυσθαι, *Semiramidem clam primum & ignaram cum filio ſuo concubuiſſe, ſed deinde cognita re, viri etiam loco publice habuiſſe. ex eo itaque tempore quod prius execrandum habebatur, Medis ac Perſis jus faſque viſum, matribus commiſceri.* non ignotum enim eſt, Perſarum gentem fuiſſe libidinoſiſſimam, & ſi non in tota, tamen in parte barbariore nefanda illa conſuetudo inualuiſſe videbatur. hinc MINVCIVS FELIX [2] *ius eſt apud Perſas miſceri cum matribus*; & HIERONYMVS [3] *Perſæ, Medi, Indi & Aethiopes cum matribus & auiis, cum filiabus & neptibus copulantur.* Verum enim vero DIODORVS refert, quod Semiramis, minus ab inſidiis filii tuta, regnum ipſi tradiderit, quoue facto confeſtim ex hominum conſpectu, ad Deos migratura ſeſe ſubduxerit, prout fabuloſis poëtarum carminibus in columbam transmutata traditur: * hinc NASO [4] de Semiramidis, quæ credita eſt, matre diſſerit & addit:

an magis vt ſumtis illius filia pennis
extremos albis in turribus egerit annos.

* GEORGIVS SABINVS interpret. fabular. Ouidii p. 60. dicit: *Semiramis Aſſyriorum regina fertur nutrita a columbis, vnde & Syriaca lingua nomen Semiramidis hoc eſt columbæ ei inditum fuit. nam quum eſſet a matre expoſita in loco deſerto. columbæ infantem alis confoue-*

1 *Narrat. IX. apud Photium biblioth. p. 427.* 2 *Octau. cap. 31. § 2.* 3 *lib. II. adu. Iouianum cap. 6.* 4 *metam. lib. IIII. v. 47.*

runt:



runt: & coagulato lacte ex pastorum mapaliis surrepto, nutriuerunt: in cuius rei memoriam Babylonii columba, vt romani aquila, vsi sunt. hac igitur occasione conficta est fabula de Semiramidis transformatione in columbam.

§ X. De sepulcri monimento, quod ipsa Semiramis sibi condidisse dicitur, ita disserit PLVTARCHVS [1] Σεμίραμις δὲ ἑαυτῇ κατασκευάσασα τάφον, ἐπέγραψεν, ὅστις ἂν χρημάτων δεηθῇ βασιλεὺς, διελόντα τὸ μνημεῖον, ὅσα βούλεται λαβεῖν. Δαρεῖος οὖν διελὼν, χρήματα μὲν οὐχ εὗρε, γράμμασι δὲ ἑτέροις ἐνέτυχε τάδε φράζουσιν· εἰ μὴ κακὸς ἦσθ' ἀνὴρ καὶ χρημάτων ἄπληστος, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνεις, *Semiramis quum ipsa sepulcrum condidisset, inscripsit hæc: si quis rex pecunia indiguerit is recluso hoc monimento, sumat quantum volet. Darius aperto eo, nullam inuenit pecuniam, sed in aliam incidit inscriptionem, cuius hic erat sensus: nisi malus fuisses homo & pecuniæ insatiabilis, nunquam sane loculos mortuorum inuasisses.* sic & POLYAENVS [2] statuæ, in memoriam Semiramidis positæ mentionem facit, cui hæc fuerint inscripta: *me natura quidem mulierem finxit: at ego rebus gestis nullo fortissimorum virorum inferior extiti. ego Nini regnum tenui, ad orientem terminans fluuium Hinamanem: ad meridiem eam terram, quæ thure ac myrrha abundat: ab hyeme Saccas & Sogdas. mare antea nemo Assyriorum vidit: ego vero quatuor, quibus propter longinquitatem appropinquare nemo potest. quis enim ea impetu continet? fluuios coëgi fluere, quocunque vellem. volui autem, quo conduceret. terram sterilem fœtam*

1 *apophth. tom. 2. opp. p. 173.* 2 *lib. VIII. stratagem. cap. 26. p. 761.*

red-

reddidi. fluuiis enim meis eam temperaui. munitiones inuictas constitui. inuias petras ferro domui. vias meis pecuniis straui, quas ne feræ quidem prius ambulaverant & a rebus gerendis satis mihi superfuit temporis, quod mihi & amicis impertiui. sufficiat, hæc de Semiramide eiusdemque præclaris operibus nos collegisse, quæ a nobis nunc adcuratius sunt examinanda, vt adpareat, quæ eorum sit veritas.

§. XI. Inquiramus igitur in veritatem dignitatemque historiarum, quas de Semiramide iam protulimus, quod vt feliciori fiat successu, non ab re esse ducimus, quædam de historica fide eiusdemque fundamento præfari. duo quippe sunt momenta, quibus rerum gestarum, quæ a scriptoribus humanis commemorantur, nititur veritas, quibus vc adduci possumus, vt illis nostram adhibeamus fidem; alterum est testimonium, alterum vero ipsius facti, quod describit historia, conditio. quod ad testimonium pertinet, illius varia sunt genera, siquidem modo ab illis, qui interfuerunt & præsentes id, quod accidit, viderunt, modo vero ab illis, qui per alios ad cognitionem huius vel illius facti peruenerunt, exhibetur: quale posterius testimonium iterum duplicis est generis, quoniam primum alii historiarum auctorum iisdem temporibus floruerunt; alii vero ab illis abfuerunt, quibus res, quas narrant, euenerunt; deinde ipsum testimonium modo litteris est consignatum, modo vero fama traditum. quod si autem ope testimoniorum veritatem historiarum diiudicare adeoque vera a falsis distinguere sustineamus, necesse est, non solum ad ipsorum copiam multitudinem-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que, sed & dignitatem animaduertere animum, quippe quam dignitatem ipsius scriptoris auctoritas intuitu cum ingenii, tum animi, num & possit & velit vera dicere, efficit. etenim prima est historiæ lex, ne quid falsi dicere audeat, ne quid vere non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, neque simultatis, vt CICERO [1] dicit. neque minus in hac veritate cognoscenda intueamur adcurate omnia momenta facti ipsius, quod commemorant, num quædam sint, quæ speciem præ se habeant miraculi, aut saltem adpareant mirabilia; numue omnia inter se ita cohæreant, vt alterum alteri respondeat, de quo argumento pluribus differunt RECHENBERGIVS [2] EISENHART [3] PERIZONIVS [4] IANVS [5] & alii. quibus positis, non est difficile historiam Semiramidis plane suspectam reddere, quoniam non solum consignata est litteris ab eiusmodi scriptore, cuius auctoritas nullius est momenti, sed & tales descriptiones complectitur, quæ omnem fidem humanam excedunt, sibi ipsis sunt contrariæ & aperte produnt fabulas.

§. XII. Num Semiramis vnquam fuerit? de eo dubitat VOSSIVS, [6] & CASPAR ABELVS [7] summa ope nititur demonstrare, quod femina hæc rex ille fuerit, qui oraculis diuinis modo *Salmanasar*, modo *Sennacherim* vocetur, quæ nomina essent vnius personæ. vtque opinionem, in quam ingressus est, stabiliat ac confirmet, primum ad ipsorum nomi-

1 *de orat. lib. II. c. 15.* 2 *disput. historic. politic. part. 2. n. 23.* 3 *comment. de fide historica.* 4 *orat. de fide historica.* 5 *de veritate historic. apud histor. æra christian.* 6 *de idololatr. lib. 1. cap. 33.* 7 *histor. monarch. orb. antiqu. lib. I. cap. 7. p. 376. sqq.*

num

num similitudinem prouocat, quum regem illum, qui hebraico codice adpelletur *Sancherib*, graeci *Sennacherimem* vocent; ex *Sennacherim* vero addita feminea flexione *is* sublataque adspiratione & *n* in *m* mutato facile potuerit fieri *Semarimis* & tandem *i* quoque & *a* transpositis *Semiramis*. deinde sententiae huic robur quoque adferat temporis ratio, quoniam HERODOTVS testetur, Semiramidem vix quinque generationes ante Nitoerin chaldaeorum reginam floruisse, quum generatio apud graecos teste DIODORO & STRABONE triginta tantum annos complectatur, adeoque Semiramis ex HERODOTI opinione Nitocrin CL. annis aetate superauerit, id sane cum Senacherimis aeuo non male cohaereat, quem tot circiter annos regina hac Nabonidi vltimi chaldaeorum regis matre vetustiorem fuisse, ex chronologia sit manifestum. ad haec ABELVS comparat facta Semiramidis cum factis Senacherimis, quibus inter ipsos magna sit similitudo, quaeue Senacherimi non conuenire videantur, ea quoque intuitu Semiramidis falsa & commentitia esse, obseruat. nolumus in praesens in opinionem hanc inquirere, quin etiam opinamur, coniecturam hanc prae se habere multum ingenii, praesertim quum nobis tantum sit in animo, Semiramidis historiam fabulosam esse quam maxime probare.

§. XIII. Primum dispiciamus de auctoritate ac testimoniis, quibus historia haec nititur; deinde speciatim omnia momenta, quae de Semiramide produnt scriptores, paullo adcuratius sub censuram reuocemus. quod ad testimo-



stimonia pertinet, plures quidem sunt auctores, apud quos de femina hac multa legimus relata, HERODOTVS, DIODORVS, PLVTARCHVS, TROGVS ac IVSTINVS, AELIANVS, CVRTIVS, POLYAENVS, HYGINVS aliique; sed vt illis iustum statuamus pretium, obseruandum esse existimamus, quod partim scriptores hi non solum descriptionibus suis, sed & aetate, qua floruerunt, discrepent; partim princeps rei huius momentum ad fidem atque auctoritatem CTESIAE CNIDII redeat, quem DIODORVS & hunc alii sunt secuti, adeo vt integra fere Semiramidis historia vnius CTESIAE testimonio nitatur, cuius fides si fuerit labefactata, ista dignitatem suam, qua verior historia digna est, minus poterit sustinere. CTESIAS autem ille fuit *Ctesiochi* filius, patria Cnido Cariae vrbe, & captus bello, quod Cyrus minor cum fratre Artaxerxe gessit, & in Persidem delatus medicinam ibi per XVII. annos exercuit. hic inter alia, vt apud PHOTIVM [1] est, viginti tres libros de rebus Persicis scripsit, in quorum sex prioribus *τὰ τε Ἀσσύρια διαλαμβάνει*, *res Assyriorum pertractauit*; a septimo autem libro ad postremum vsque historiam Persicam a Cyro & Cambyse regibus ad annum tertium Olympiad. XCIII. siue annum Artaxerxis Mnemonis octauum persecutus est, quos posteriores libros patriarcha PHOTIVS excerpsit satis verbose, priores vero de Assyriorum rebus non attigit, quorum tamen summam DIODORVS & EVSEBIVS non plane nos sinunt ignorare, vt de aliis operibus, quae reliquerat CTESIAS, ta-

1 *codic. LXXII.*

ceamus

ceamus, de quibus MEVRSIVS [1] & FABRICIVS [2] legi possunt.

§. XIIII. Quod CTESIAS hic nulla fuerit fide dignus, iam varii ex antiqua ætate prodiderunt. Scripsit auctor hic librum quemdam de *rebus Indicis*, quibus allegatis ARISTOTELI [3] visus est indignus, cui crederetur, ὡς φησι Κτησίας ὐκ ὢν ἀξιόπιςος, & ANTIGONVS *Carystius* [4] negat se ex CTESIA quidquam prolaturum, διὰ τὸ πολλὰ ψεύδεσθαι αὐτὸν & PLVTARCHO [5] πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐπιτρεπόμενος τῆς ἀληθείας, *a veritate ad fabulas conversus* dicitur, cui etiam ibidem [6] λαμπρὸν ψεῦσμα *manifestum mendacium* imputauit. e recentioribus idem in eo vitium notarunt IOSEPHVS SCALIGER [7] HERMANNVS CONRINGIVS, [8] qui in Persicis quoque parum fidei eum mereri disputat, quod & faciunt DOVNAEVS [9] & MONTFAVCON; [10] inter paucos tamen auctoritatem ipsius tueri adnisus est VLRICVS HVBERVS. [11] qui igitur in aliis fuit sublestæ fidei, illum certe in antiquissimis momentis tuto sequi non possumus, præsertim quum in illis rebus, quas vidit, & quibus interfuit, antiquis scriptoribus fidem atque auctoritatem suam neutiquam potuerit probare. quod vt eo clarius adpareat, notamus in ipso animum affectibus ac inprimis invidiæ deditum, cuius mo-

1 *Cypr. II. c 29.* 2 *biblioth. græc. lib. II. cap. 25 §. 16.*
3 *lib. IIX. hist. anim. cap. 28.* 4 *in historiis admirand.*
5 *vit. Artaxerxis p. 1014.* 6 *p. 1017.* 7 *p. 39. notar. in fragm. subi. operi de emendat. tempor.* 8 *advers. chronol. de Asia & Aegypt. antiqu. dynast.* 9 *not. ad Demosthenem p. 171.*
10 *de veritate histor. Iudith. p. 120.* 11 *dissertatio. de temporib. ante Cyrum apud hist. eius civil.*

tu

tu atque impulsu non potuit non de veritatis via deflectere.

§. XIX. Namque primum, quod inuidia flagraret aduersus HERODOTVM *Halicarnassensem*, historiam scripsit in plerisque illi, quam HERODOTVS ediderat, contrariam, de quo PHOTIVS [1] testatur: *σχεδὸν ἐν ἅπασιν ἀντικείμενα Ἡροδότῳ ἱστορῶν. ἀλλὰ καὶ ψεύστην αὐτὸν ἀπο καλῶν ἐν πολλοῖς*, narrat *fere in omnibus repugnantia Herodoto, imo illum in multis mendacem adpellat.* equidem me non fugit, quod fuerint quoque utriusque ætatis, STRABO, DIODORVS, GELLIVS, PLVTARCHVS, AELIVS HARPOCRATION, LVD. VIVES, IO. BODINVS & alii, qui de HERODOTI fabulis disputarunt, vt videre possumus apud FABRICIVM. [2] verum vt taceamus de eo, quod HERODOTVS antiquior fuerit CTESIA, quia SALMASIO [3] perperam traditur æqualis HERODOTI, quum iuniorem fuisse, clarissimis constat argumentis; longissime sane abest a fingendi studio, & ipse ingenue profitetur, se quædam, quæ fabulosa ætas protulit, notare; minus vero asserere, verbi gratia, quum de monstris Lybiæ dixisset, [4] *ταῦτα εἰ μὲν ἐστι ἀληθέως, οὐκ οἶδα, τὰ δὲ λέγεται, γράφω.* indoles vero animi CTESIAE plane alia fuit, qui quum famæ nominis amplissimæ sibi conficiendæ non mediocrem daret operam, reliquorum scriptorum gloriam & merita sugillare & penitus infringere, sibi sumsit. id quod etiam ex eo adparet, quod & XENOPHONTI, qui Cyro minori militauit, contradixerit,

1 *cit. loc.* 2 *bibl. græc. lib. II. cap. 20. §. 3.* 3 *ad Solin. p. 871.* 4 *lib. IV.*

vt

vt a PHOTIO obseruatum fuit: ἀλλ᾽ Ἡροδότῳ δὲ μόνῳ τἀναντία ἱστορεῖ ἀλλὰ καὶ πρὸς Ξενοφῶντα τὸν Γρύλλου ἐπ᾽ ἐνίων διαφωνεῖ, *non Herodoto soli contradicit, verum etiam in aliquibus a Xenophonte discordat*, quem vero vt peritissimum rerum Persicarum omnes semper laudauerunt.

§. XX. Vt quaedam breuiter attingamus, quae contra fidem & probabilitatem in rebus Assyriorum scripsit, primum est, ditioni Nini tam vastum imperium subiectum fuisse, vt fines ipsius ab Indo ad Hellespontum & a Nilo ad flumen Tanaim prolati fuerint: deinde suspectae quoque fidei est diuturnitas imperii Assyriorum, quod vltra CIↃ CCCC annos stetisse DIODORVS ex CTESIA tradit, qua in re alii potius cum HERODOTO & APPIANO *Alexandrino* faciunt, quorum ille [1] scribit Assyrios regnasse vsque ad Medorum defectionem per *annos quingentos & viginti*; hic vero [2] ait, Assyriorum & Medorum & Persarum tria maxima imperia nondum tempus DCCCC annorum compleuisse, quae sententia, quod nihil habeat sacris scripturis repugnans, omnino praeferenda est Ctesianae & vulgari. nec maior illius fides est in locorum descriptione. *Ninum*, vrbem omnium quondam circuitu amplissimam, ciuium numero maximam, quamue PLINIVS [3] & HERODOTVS [4] Tigri impositam fuisse tradunt, CTESIAS, qui tot annos in Persia versatus est, Euphrati adpositam fuisse dixit, auctore DIODORO, [5] vt alia silentio dimittamus, quae CELLARIVS [6] docte & solide examinauit, quamue sint erronea, demonstrauit.

1 *lib. I. cap. 95.* 2 *praef. oper.* 3 *lib. VI. cap. 13.*
4 *lib. I. c. 193.* 5 *lib. II, cap. 3.* 6 *dissert. acad p. 54. sqq.*

§. XXI.

§. XXI. At magnam CTESIAE auctoritatem apud graecos fuisse, multi obiiciunt, id quod minime negamus, caussam, cur historia ipsius eo cupidius a pluribus fuerit recepta, facile cognoscentes, quod ipse, teste DIODORO, dixit, se ἐκ τῶν βασιλικῶν διφθερῶν, *ex regiis membranis* sua omnia edidisse, confer VOSSIVM.[1] quamuis & experientia doceat, quod etiam errores & fabulae suos inueniant patronos, quae saepius adprehendantur tenacius, quam ipsa simplex veritas. sicque adparet, lubricam esse fidem, quam prae se habet CTESIAS, quumque id, quod in DIODORO TROGOque extat, ex ipsius riuulis sit deriuatum, facile ex inde colligere possumus, quam dignitatem illorum narrationibus habere debeamus. accedit, quod CTESIAE ingenium Semiramidis aetate minus inluxerit, vnde probabilitas historica alias vim quandam accipere potuisset; & quamuis DIODORVS prodat, quod libris annalibus iisque arcanis fuerit vsus; nemo tamen a se poterit impetrare, vt persuadeat sibi, veteres tantos errores & fabulas annalibus conseruasse, quorum curae viri cordatiores praeerant. multo minus caussam deprehendimus, cur Nini, inprimis Semiramidis merita litteris tueri iisque seculorum laudes comparare voluerint: quoniam in ceteris regibus res non tam expedita est, quam in Semiramide, & constat, quam difficile sit eorum aetates atque opera dilucide exponere, & quantum auctores in descriptionibus suis inter se discrepent, ex superioribus prolatis quisque colligere potest; attamen vis probabilita-

1 *de histeric. graec. lib. I. cap. 5.*

tis

tis historicæ in testimoniis probis eorumque coniunctione posita est.

§. XXII. Verum vt censura nostra plane æqua & iusta adpareat, non ab re erit, si & ipsa historiæ huius momenta singillatim ac diligenter examinare instituamus. ea, quæ ex DIODORO ac LVCIANO de origine ipsius, quod nata sit ex Derceto commemorauimus, indubitatam præ se habent fabulam, quam autem adeo turbatim litteris traditam apud veteres auctores deprehendimus, vt ad veriorem ipsius sententiam peruenire sit difficile. sunt multi in ea opinione, quod hæc Ascalonitarum Dea sit illa, quæ in sacris litteris adpellatur *Dagon*, apud SAMVELEM [1] ויקחו פלשתים את־ארון האלהים ויבאו אתו בית דגון *vbi sumserunt Philistæi arcam Dei, & deduxerunt eam* (in) *ædem Dagonis*, quam sententiam variis argumentis confirmare adnituntur. etenim primum prouocant ad similitudinem, quæ sit inter vtriusque nomina, quoniam adpellatio *Dagon* deducenda sit a דג *piscis*, * quod *Dagon* fuerit Deus maris, vt apud latinos Neptunus, cui respondeat vox *Atergatis*, quam corruptam esse ab *Adirdaga*, ebraice אדיר דג id est *piscis potens* ex sententia SELDENI, iam superioribus obseruauimus. deinde sententiæ huius auctores id quoque obseruant, quod Dagon eadem ratione, ac Derceto, Atergatis, repræsentetur ab antiquis scriptoribus, quippe qui superiori parte speciem hominis, inferiori autem piscis præ se habuerit, prout *Triton*, Deus marinus, Neptuni & Salaciæ filius ab au-

[1] *I Sam. V. v. 2. seqq. conf. Iud. XVI. v. 23. I. Maccab. X, 83. 84.*

ctoribus

ctoribus carminum fabularumque fingitur, quando VIRGILIVS [1] dicit:

hunc vehit immanis Triton & cærula concha
exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
frons hominum præfert, in pristim desinit aluus:

item Nereides, maris nymphæ. quapropter putant nonnulli, ARIAS quippe, TREMELLIVS, per Dagonem significari *Tritonem*; alii vero quum Triton minoris fuerit gloriæ, in eam ingressi sunt sententiam, quod commentitius & fictus Deus Dagon idem sit, ac *Neptunus*, præses ille maris, cui sententiæ sese addixerunt STVCKIVS [2] & KIPPINGIVS. [3]

* PHILO *Biblius* apud EVSEBIVM lib. 1. præp. euang. cap. 7. GYRALDVS histor. deor. syntagm. II. p. 109. DRVSIVS quæst. Ebr. lib. 1. quæst. 82. DICKINSON delph. Phœn. cap. 7. deriuant nomen *Dagonis* ab Ebræorum voce דגן *frumentum* quasi fuerit præses, Deus frumenti, vt apud latinos *Saturnus*, quem fabulosa ætas credidit, præsidere agriculturæ, hortis. sed PFEIFFERVS dub. vexat. cent. II. loc. 67. p. 363. nominis *Dagon* originem a voce דג *piscis* veriorem esse putat, quoniam constet, quod Philistæi fuerint maris accolæ, piscatus, adeoque numinum maris cultores, etiam antiquissimi scriptores testentur, Syrophœnices & Philistinos piscibus præstitisse cultum. at vero IO. HEINRICVS REITZIVS not. ad GOODWIN. Mos. & Aaron lib. IV. cap. 4. p. 376. existimat, quod Phœnices in vno idolo Deum suum & maris & terræ venerati sint, quoniam ex vtraque parte ipsis

1 *Aen. X. v. 209.* 2 *de sacris & sacrific. gentil. pag. 25.*
3 *antiquit. rom. lib. 1. cap. 6.*

fuerint

fuerint diuitiæ, prout maiores nostri *Crodum* suum Deum coluerint: qua coniectura vox *Dagon* respiciat cum terram ac frumenta, tum mare ac pisces, & significet *Saturnum* & *Venerem*, quæ ex mari nata sit, aut *Opem*, quæ multos Deos maris genuerit marito Saturno.

§. XXIII. Plurium est opinio, quod Derceto siue Adergatis Venus sit Syrorum, quippe quæ apud fabularum auctores in piscem mutata fingitur, quamuis ipsa fabula miris modis turbata ad nos peruenerit. etenim MANILIVS [1] dicit, immersam fuisse lacui Babylonico:

scilicet in piscem sese Cytherea nauavit
quum Babyloniacas submersa profugit in vndas
anguipedem alatis humeris Typhona ferentem
inseruitque suos squammosis piscibus ignes.

OVIDIVS [2] tradit, Venerem insiluisse in Euphratem & aquam illam, in quam insiluerit, Palæstinam vocat, vt adeo non sit dubium, lacum Palæstinum aut Palæstinæ proximum cum Euphrate aut aquis Babylonicis confusum esse. quæ Venus quum quoque intelligenda sit per Dagonem, quæ sententia est SCALIGERI [3] SERARII [4] SANCTII [5] SELDENI [6] quæstio oritur: quo pacto Dagon & Venus intuitu generis possint conciliari, quum ille Deus virilis, hæc vero dea feminei generis fuerit? ea de caussa momentum illud ex antiquitatum historiis attingunt, quod veteres deos ἀῤῥενοθήλεις, mares simul feminasque,

1 *lib. IV. astron.* 2 *fastor. lib. II. v. 460.* 3 *ad Varron. p. 25.* 4 *comm. ad Iud. 16. qu. 23.* 5 *ad Samuel. I. cap. 5.* 6 *de diis Syr. Synt. II. c. 3.*

hoc est, qui soli ad rerum generationem conferrent hoc, quod in hominibus & ceteris animantibus mas & femina, coluerint, adeo vt hac opinione Venus sit Deus & dea. sic enim *Saturno* respondeant Rhea, mater Deum, Idæa mater, Latia: *Ioui* Iuno, Diana Pallas, Αθήνη siue Minerua: *Vulcano* Maia & Proserpina: *Marti* Venus, Mola & Nerie; etiam in nummis non modo Liber Bacchus sit, sed & Libera, nec modo Venus Dea, sed Deus quoque Venusque mascula: sicque sit Luna dea & Deus Lunus, de quo argumento plures auctores collegit FABRICIVS [1]. alii autem contendunt, quod Derceto plane diuersa sit a Dagone & ex simili vtriusque figura potius adpareat, huiusmodi idolorum species, quæ partim hominem, partim piscem referrent, apud Phœnices non fuisse inusitatas. sunt quoque, qui adfirmant, quod Derceto sit *Iuno*, qua de re adhuc conferri possunt DIETRICVS [2] LEVSDENIVS [3] BAYERVS [4].

§. XXIIII. Quamuis sit difficile, hanc fabulosam controuersiam componere, nec instituti nostri ratio permittat, de ista copiose disserere; paucis tamen dicamus, quid ea de re venerit in mentem nostram. constat quippe, quod deorum dearumque nomina ab antiquis scriptoribus sæpe confundantur ac perturbentur, adeo vt sicut *Iupiter*, *Saturnus*, *Titan* sit vnus idemque deus & significet solem; ita quoque *Venus*, *Iuno*, *Dagon*, *Isis*, *Lucina*, *Diana*, *Derceto*, *Atergatis* communis sit Venus seu dea, notetque lunam. namque Derceto

1 *bibliograph. antiqu. c. VIII. §. 7.* 2 *antiquit. V. T. p. 348.* 3 *philol. Hebr. mixt. differt. 45. p. 315.* 4 *obseru. ad Selden. p. 285.*

dicitur

dicitur quoque *Aſtarte*, qua voce profani auctores vtuntur, nec dubium eſt, quin *Aſtarte* eadem ſit ac *Aſtaroth* ſeu *Aſtoreth*, cuius mentio fit in ſacris ſcripturis, [1] verum plerique eruditorum in eo conueniunt, Aſtarten ſeu Aſtaroth eſſe lunam, cuius rei præter alios teſtis eſt LVCIANVS [2] ἔνι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα, τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι. ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσιν, Ἀςάρτης ἐςί. Ἀςάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι, *eſt & aliud templum in Phœnicia, quod Sidonii tenent, Aſtartæ vt ipſi quidem dicunt: Aſtarten autem Lunam eſſe puto.* idem confirmat HERODIANVS [3] λίβυες μὲν οὖν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, Φοίνικες δὲ Ἀςροάρχην ὀνομάζουσι, σελήνην εἶναι θέλοντες, *hanc Afri Vraniam vocant, Phœnices Aſtroarchen, lunam eſſe affirmantes*; ſed tamen in eo auctor hic à veritate diſcedit, quod apud Afros lunam adpellatam fuiſſe *Vraniam* exiſtimet, quum iſti nomen quoque *Aſtarte* vſurpauerint, ſi AVGVSTINI [4] auctoritas mereatur fidem; prout & perperam dicit pro Aſtarte Ἀςροάρχην, nomen Phœnicium mutans in græcum. de cultu autem, quo etiam orientis gentes proſecutæ ſunt lunam, teſtatur HERODOTVS [5].

* de origine vocis *Aſtaroth* diuerſæ ſunt auctorum ſententiæ, quas collegit BVDDEVS hiſtor. eccleſ. V. T. tom. I. p. 952. qui & de ipſa re diſſerit ſolide: confer VOSSIVM de idololatr. gent. lib. I. cap. 21. SALMASIVM ad Solin. p. 574. REINESIVM de deo Endouellico p. 15. PFEIFFERVM dub. vexat. cent. II. loc. 55. p. 339. extat quoque AVGVSTINI

1 *Iud. II, 13. X, 6. 1. Sam. VII, 3. 4. XII. v. 10. XXXI. v. 10.*
2 *de Syria dea t. II. opp. p. 657.* 3 *hiſt. lib. V. cap. 6.* 4 *lib. VII, quæſt. in libr. Iud. c. 16.* 5 *lib. I. cap. 130.*

CALMET differt. de Philistinis eorumque diis Dagone, Beelfebub, Astaroth, Marna & Baal Berith, inferta commentario ipsius ad libros regum Paris 1711. 4.

§. XXV. Sic Derceto, quæ mater fingitur Semiramidis, Venus fuit. sub cuius specie coluerunt lunam, quapropter etiam dicta est *Astarte*, quippe quæ fabulosam ipsius originem satis superque significant. nec est, quod rei huius nos subeat admiratio. etenim, vt originis crederetur summa antiquitas nobilitasque, veteres, inprimis poetæ pro fingendi libidine genus familiarum interdum a diis aut heroibus, ac præcipue a Venere deduxerunt, cuius rei exemplum est Aeneas, qui traditur Veneris & Anchisæ filius, hinc & de Cæsare dicit VELLEIVS [1] *Cæsar nobilissima Iuliorum genitus familia & quod inter omnes antiquissimos constabat, ab Anchise & Venere deducens genus.* sic Alexander magnus sibi videbatur obscurus, nisi abdicato mortali patre Philippo Amyntæ filio, ab Ione genitus crederetur, addita insolentiæ fabula, draconem * in cubuli matris visum, quem Iupiter induerit, vti PLVTARCHVS [2] IVSTINVS [3] aliique referunt. idem de P. Scipionis quoque matre memoriæ traditum est, auctore A. GELLIO [4] & de Atia, Augusti matre apud SVETONIVM [5] hæc legimus: *in Asclepiadis Mendetis* θεολογυμένων *libris lego, Atiam quum ad solenne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum ceteræ matronæ dormirent, obdormiisse; Draconem repente irrepsisse ad eam, paulloque post egressum: illamque expergefa-*

1 *lib. II. cap. 41.* 2 *vita Alexand. pr.* 3 *lib. XI. cap. II. §. 3.* 4 *lib. VII. cap. I. N. A.* 5 *vit. Aug. cap. 94.*

ctam,

ctam, quasi a concubitu mariti, purificasse se, & statim in corpore eius exstitisse maculam, velut depicti draconis: nec potuisse vnquam eximi: adeo vt mox publicis balneis perpetuo abstinuerit: Augustum natum mense decimo & ob hoc Apollinis filium existimatum. tanta fuit fingendi licentia, tanta ambitio mortales ad diuinitatis studium duxit & tam creduli homines esse cœperunt, vt huiusmodi commentitiis rebus fidem suam adiunxerint.

* Serpens enim plurium deorum signum erat propter animalis huius felicitatem, vigilantiam, salutem, potentiam, singulari autem & proprio modo Aesculapii, Apollinis filii. crediderunt quidam, quod ab æneo serpente, salutis caussa in solitudine erecto manauerit ad gentes, vnde serpentem Aesculapio suo adfingerent, vide HVETIVM demonstrat. euangel. prop. IV. cap. 8. CELLARIVM antiqu. med. cap. 2. §. 6. 7.

§. XXVI. Equidem sententiæ huic, quod Derceto sit Venus, quæve significet lunam, varia obiici possunt. namque primum DIODORVS deam, quæ Derceto vocata est, plane distinguat a Venere, cuius motu quippe ac impulsu dea hæc amore erga iuuenem quemdam fuerit accensa; deinde autem ipsa forma, quæ deæ huic affingatur, cum luna nequaquam conueniat, quin etiam, quum superiori parte præ se tulerit figuram hominis, inferiori piscis, respiciat mare deumque quemdam marinum. at vero si hæc penitus inspiciamus, leuiora sane sunt, quam vt nos de iam proposita sententia dimoueant. ita est, quod DIODORVS deam Syriam aut ex nostra sententia Venerem a Venere distinguat, nec sine grauiori

caussa pro gentilium religione, quoniam plures erant Veneres, de quibus CICERO [1] loquitur: *Venus prima cœlo & die nata: cuius Elide delubrum videmus: altera spuma procreata; ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus: tertia Ioue nata & Diona, quæ nupsit Vulcano; sed ex ea, & Marte natus Anteros dicitur: quarta Syria Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est.* quod autem Veneri duplicem formam commentitiam adiunxerint, partim piscis, partim hominis, quæ nihilominus denotet lunam, huius rei occasio fuit fabula illa, quod Venus mutata sit in piscem, cuiusmodi fabulas veteres inter se confuderunt perturbaruntque, ita vt altera nata sit ex altera.

§. XXVII. Sed satis diximus de fabulosa Semiramidis origine. nec maior fides erit in educatione ipsius, quod a columbis prima acceperit nutrimenta. produnt cum sacræ tum profanæ litteræ exempla eorum, qui ab animalibus, quæ intelligendi vi carent, nutriti & ab interitu per prouidam ipsorum curam sint conseruati. namque ex oraculis diuinis [2] cognoscimus, quod singulari summi numinis prouidentia corui * in extrema annonæ caritate prohetæ Eliæ carnem panemque adtulerint ipsumque adeo ad torrentem *Crith* aluerint benigne. inprimis autem plurima exempla de θηριοτρόφοις apud paganos scriptores reperimus. sic apud IVSTINVM [3] legimus, Cyrum a cane, Habidem a cerua, Hieronem

1 *de N. D. lib. III. cap. 23.* 2 *1 Reg. XVII. v. 1. seq.* 3 *lib. I. cap. 4. lib. XLIII. cap. 4. lib. XXIII. c. 4.*

ab

ab apibus; apud AELIANVM [1] Telephum Agaues & Herculis filium a cerua, Peliam Neptuni & Tyrus filiam ab equa, Alopes Priamique filium ab vrsa, & Aegisthum Thyestæ & Pelopiæ filium a capra; apud DIONYSIVM [2] FLORVM [3] IVSTINVM [4] Romulum & Remum a lupa educatos fuisse atque enutritos, vt de aliis taceamus exemplis.

* dicuntur הָעֹרְבִים quæ vox his punctis vocalibus munita semper significat *coruos* Gen. VIII. v. 7. Leu. XI. v. 15. Deut XIIII. v. 14 Psal. CXLVII. v. 9. Prou. XXX. v. 17. Cantic. V. v. 11. Es. XXXIIII. v. 11. Iob. XXXVIII. v. 41. hinc & LXX interpr. habent κόρακες eandemque interpretationem adprobant R. DAVID KIMCHI, R. LEVI ben GERSOM, R. ABARBANEL quæ & cum integra oratione contexta, miraculique excellentia maxime conuenit sunt qui per ערבים intelligunt *mercatores;* item incolas a loco vel petra עֹרֵב *Oreb Orebim* seu *Oresim* adpellatos, prout HERM. van der HARDT *de coruis Eliæ* existimat, incolas huius vrbis aluisse Eliam; sed nunquam vrbis *Oreb* aut in Oreb sitæ, verum rupis, cui nomen fuit *Oreb*, mentio fit. & si fuissent homines, qui cibum præbuerunt Eliæ, cur iidem non & potum suppeditarunt? nec intelligi possunt *Arabes*, qui ab hebræis dicuntur עַרְבִים *Arsim* 2. Chron. XXI. v. 16. non עֹרְבִים, *Oresim*. CLERICVS in h. l. procliuior est in eam sententiam, qua coruos fuisse negatur, quapropter BOCHARTI argumenta tom. II. lib. II. cap. 13. hieroz. quibus

1 *lib. XII. cap. 42. var. histor.* 2 *antiq. roman. lib. I.* 3 *lib. I. cap. I.* 4 *lib. XLIII. cap. 4.*

interpretatio de coruis munitur destruere, ope adnititur.

§. XXVIII. De auctoritate horum exemplorum disputatur in vtramque partem & quidem quod ad illa attinet, quæ a scriptoribus paganis sunt tradita, quoniam historiæ de Elia quisque fidem habet, qui partim diuinam excellentiam atque auctoritatem sacri codicis tuetur, partim veram ac genuinam interpretandi rationem sequitur. sunt itaque, qui durius esse censent, omnia huiusmodi exempla reddere suspecta, aut ad nugas referre fabularum, ita vt qui huius sit opinionis, maximam vim dignitati ac fidei historicæ inferat, præsertim quum & recentioris æui auctores prodant testimonia, quod a feris homines sint nutriti. summi enim numinis prouidentia sit maxime larga, & prout totum hoc, quod videmus & quidquid non videmus effecerit, ita rector quoque sit & custos huius uniuersi omniaque sustineat vi sua, speciatim autem per incredibilem benignitatem consulat rebus humanis, hancque prouidentiam per miracula confirmet nec solum inter illos, qui voluntati ipsius morem gerunt, sed & inter nationes a veris sacris maxime alienas, confer FLEETWOOD [1] in cuius curæ diuinæ erga gentes, eiusque per miracula manifestæ ac testatæ factæ documenta adferuntur præter exempla de θηριοτρόφοις, mutatio illa, quæ in filio Crœsi subito accidit apud A. GELLIVM [2] VALERIVM MAXIMVM [3] SOLINVM [4] prodigium illud, quod Xerxi inter cœnam euenerit, quum consilium Lacedæmonios bello op-

1 *de miraculis dial. II. p. 230. sqq.* 2 *lib. V. cap. 9. N. A.* 3 *lib. V. cap. 4.* 4 *cap. 7.*

primendi

primendi animo concepisset, auctore VALERIO MAXIMO; [1] item quod caput arserit Seruio Tullio dormienti multorum in conspectu, hæcque flamma visu euentuque mirabilis futuram regiæ maiestatis dignitatem, ad quam Seruius Tullius posthoc peruenit, prædixerit, cuius historiæ testes habemus LIVIUM [2] FLORUM [3] VALER. MAXIMUM [4] & CICERO [5] dicit: *caput arsisse Seruio Tullio dormienti, quæ historia non prodidit?* necnon somnia, quibus summum tenentibus imperium fata futura prædicta sint, cuiusmodi plura VALERIUS, CICERO aliique commemorant. at vero alii nec auctoritatem nec fidem exemplis ac paganorum testimoniis de θηριοτρόφοις adiungunt, eaque, digna esse pronuntiant, quæ pari censu cum commentitiis rebus habeantur.

§. XXVIIII. Neutiquam negamus, quod Deus quoque per indulgentiam suam & prouidentiam rebus paganorum consuluerit; sed num exempla ista de θηριοτρόφοις veritate historica ita sint munita, vt vi sua hancce rem corroborare ac confirmare possint; id adhuc dubium nobis videtur. etenim obseruamus exempla, quæ aperte sapiunt fabulas, quando Iouem & Aesculapium per capram educatos fuisse legimus; & quamuis alia quandam veritatis speciem præ se ferant, facile tamen, si omnia perspiciamus penitus, veriora deprehendere possumus, quæ pro perdita fingendi licentia mutata fuerunt in commentitia. sic Cyrus per canem nutritus ac seruatus dicitur, cuius fabulæ autem ea fuit occasio, quod vxor

1 lib. I. cap. 6. 2 lib I. cap. 39. 3 lib. I. cap. 6. 4 lib. I. cap. 6. 5 lib. I. de diuin.

Mithridatis, quæ Cyro præbuit alimenta, nomen habuerit *Spaco*, quo Medi vocarunt canem, hinc & HERODOTVS [1] *τὴν γὰρ κύνα καλέουσι Σπάκα Μῆδοι*, IVSTINVS [2] autem: *nutrici Spaco postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant*, vid. GVIL. BVRTONVM [3] Romuli nutrix traditur lupa, quæ fuit Faustuli vxor propter vulgati corporis vilitatem *lupa* *, inter pastores, id est meretrix nuncupata, vti præter alios obseruat LACTANTIVS; [4] nec ab re esse videtur, si adfirmemus, quod dotes corporis æque ac animi fictionibus locum dederint sæpe, quo factum est, vt poetæ virum eloquentem ab apibus, celerem ab equa, crudelem a tigride nutritum esse, fictis fabulis memoriæ prodiderint. qua ratione facile intelligi possunt versus VIRGILII [5] de Metabo, Priuernatium tyranno, Camillæ patre:

hic natam in dumis interque horrentia lustra,
armentalis equæ mammis & lacte ferino
nutribat, teneris immulgens vbera labris:

quod si ita est, sicuti est, satis subinde adparet, quid de educatione Semiramidis eiusque nutricibus columbis sentire debeamus. VOSSIVS [6] quippe existimat, quod fabula hæc ex voce *Semiramidis*, quæ Syrorum lingua significet columbam, ortum suum traxerit, quamuis alii nomen hoc ipsi adtributum fuisse propter educationem ope columbarum adfirment. sic quoque PIERIVS [7] putat, quod columbæ, quarum indoles ad libidinem maxime sit procliuis, propter hanc Veneris voluptatem, cui

1 *lib. I. cap. 110.* 2 *lib. I. cap. 4.* 3 *λειψαν. veter. lingu. Persicæ p. 85.* 4 *lib. I. cap 20. institut. diuinar.* 5 *Aen. lib. XI. v. 570.* 6 *de idololatr. lib. I. cap. 23.* 7 *hierogl. lib. XXII. cap. 8.*

Semi-

Semiramis quoque indulserit æstuante animi ardore, occasionem fabulæ huius proferendæ dederint, quæ utraque sententia multum præ se habet probabilitatis, vt in cuiusque positum sit arbitrio, quam ex illis, veluti probatam atque expeditam sibi eligat.

* meretrices *lupæ* dicebantur, ob rapacitatem PLAVTVS Epidic. act. 3. scen. 3. v. 22. *diuertunt mores virgini longe ac lupæ.* CATVLLVS carm. 97. *tanquam commincta spurca saliua lupæ.* vnde *lupanar* & *lupanarium*, id est domus inhonesta, vbi impune permittebatur libido. Faustuli autem vxor dicitur *Laurentia* & *Larentia*, quam MACROBIVS saturn. lib. I. cap 10. vocat *Aciam Larentiam.*

§. XXX. Quum iam perspiciamus modum, quo Semiramis peruenerit ad regiam maiestatem tenueritque Assyriorum imperium, in mentem nostram veniunt ea, quæ ABELVS [1] hac de re monet. scilicet obseruat, quod omnia, quæ de momento hoc a scriptoribus litteris sint consignata, Semiramidem maritum Ninum interficiendum curasse, seque pro vxore Nini filium, pro femina puerum simulasse, fidei historicæ atque omni rationi repugnent, nec facile quis sibi persuadeat, quod vxor hæc Assyriis, qui omnia tam perspecta tamque cognita habuerint, fraudem hanc facere potuerit. sed tamen sunt quædam, quæ auctores veteres a suspicione fabularum liberare, ipsorumque fidem tueri possint, si dicamus, quod Semiramis regni tantum administrationem filio præripuerit, adeoque veluti sub persona filii tenuerit imperium, vt superioribus a nobis est obseruatum. de cetero grauiora adhuc restant,

1 *histor. monarchiar. orbis antiqui lib. I. cap. 7. p. 388.*

ſtant, quæ merentur cenſuram. etenim quæ de *Babylone* traduntur, partim MOSES [1] partim BEROSVS apud IOSEPHVM [2] feliciter confutant. namque ille de Nimrodo per anticipationem dicit: ותהי ראשית ממלכתו בבל hic vero *μέμφεται ἑλληνικοῖς συγγραφεῦσι reprehendit græcos hiſtoricos*, qui credidiſſent perperam & Babylonem & eius ornamenta a Semiramide Aſſyriorum regina oriri. imo nonnulli ex ipſis græcis originem vrbis huius retulerunt ad *Belum*, vt teſtantur excerpta EVSEBII [3] ex variis autoribus de Babylone a gigantibus & Belo condita; hinc & CVRTIVS [4] *Semiramis eam condidit, vel vt* plerique *credidere, Belus, cuius regia oſtenditur*, & PHILO *Byblius* apud STEPHANVM [5] tradidit, eſſe hanc vrbem *opus Babylonis, viri ſapientis, qui filius fuerit ſapientiſſimi Medi* (pro quo alii legendum eſſe *Beli* exiſtimant,*non vero, ſicut Herodotus, a Semiramide conditam; ea enim antiquiorem eſſe urbem Babylon, duobus annorum millibus*; * quod etiam refert EVSTATHIVS [6] niſi quod vrbem Semiramide antiquiorem dicat *mille & octingentis annis*.

* PERIZONIVS orig. Babylonic. cap. 7. p. 90. cum VOSSIO de idololatr. lib. 1. cap. 24. coniecturæ fauet, quod Belus potius nominauerit filium ſibi natum ab vrbe, quæ *Babel* vel græca pronunciatione *Babylon* dicebatur, prout *Ninus*, aut ſaltem *Ninyas* nomen ſuum accepiſſe videatur ab vrbe *Nino* vel *Niniue*, quæ dudum ab Aſſure fuiſſet iam condita.

§. XXXI. At vero plures in veterum mo-

1 *Gen. X. v. 10.* 2 *lib. 1. contr. Apion. p. 1045.* 3 *præpar. euangel. lib. IX. cap. 14. 15. 17. 18. 41.* 4 *lib. V. cap. 1.* 5 *voc. Βαβυλών.* 6 *ad Dionyſii perieg. v. 1005.*

nimentis

nimentis commemorantur *Beli*, *Tyrius* quippe & Phœnicius, de quo VIRGILIVS [1]

hic regina grauem gemmis auroque poposcit
impleuitque mero pateram, quam Belus & omnes
a Belo soliti

item *Aegyptius*, Neptuni & Libyes filius *Assyrius*, qui pater fuisse Nini dicitur, & *Babylonius*, quippe qui Babylonem condidit, & prioribus multo antiquior, quapropter AELIANVS [2] dicit istum τὸν βῆλον τὸν ἀρχαῖον, *Belum illum antiquum*. nec difficilis est cognitio caussæ, cur tot reperiamus Belos in historiis diuersarum gentium. etenim quæque natio in oriente suum progenitorem in deorum numerum retulit, ipsumque diuinis adfecit honoribus; *Beli* autem vox significat *deum* seu *dominum*. chaldæis quippe בעל est *dominus*, item *præses*, quæ vox hebræorum nomen בַּעַל & significatione & origene præ se habet, quod græci ad chaldæorum pronuntiationem paullo propius accedentes, scripserunt βῆλ vel βῆλος; sic & *Baal* est vocabulum Punicum, dominum vel dominantem significans, vnde etiam duces ipsorum id cognomenti loco sibi assumserunt, vt *Hanni-bal*, *Hasdru-bal*, confer SELDENVM [3] THOMAM REINESIVM [4].

§. XXXII. Nimrod igitur, quem tradunt sacræ litteræ, idem est ac Belus, quem profani commemorant auctores. quod haud obscure confirmant ea, quæ legimus apud EVSEBIVM, [5] vbi Belus dicitur πρόγονος Nebucad-

1 *Aen. I. v. 732.* 2 *lib. XIII. cap. 3.* 3 *de diis Syris Synt. II. cap. 1.* 4 *de lingu. Punic. cap. 6. §. 4.* 5 *Præpar. euangel. lib. IX. c. 41.*

nezaris:

nezaris: & ALEXANDER *polyhiſtor.* apud eundem EVSEBIVM [1] de Belo hoc eadem magna ex parte narrat, quæ liber diuinæ generationis tradit de Nimrodo. namque dicit: *gigantes, quum Babyloniam incolerent, a diis propter impietatem exſtinctos fuiſſe, quorum vnum Belum ſubductum Babylone habitaſſe, turrimque exſtruxiſſe, & in ea vitam egiſſe, eamque a Belo, qui eam exſtruxerat, Belum nominatam.* ex quibus verbis adparet, turrim, quam diuina ſcriptura commemorat, tribui Belo, cuius auctor Ebræis eſt Nimrod, IOSEPHO [2] & Rabbi SALOMONI [3] aliisque, quamuis BOCHARTVS [4] dicat, *Nimrod tum vix natus erat.* adhæc Belus refertur inter gigantes, qui tenuerint Babyloniam, & omni religioni vim inferentes, acerbiſſimam dei iram experti, ita vt penitus fuerint deleti; plane ſicuti Nimrodus in diuinis oraculis a LXX. interpretibus *gigas* fuiſſe dicitur, & turbarum ſeditionisque auctor duxque eorum fuit, qui aduerſus dei voluntatem turrim ædificare cœperunt, & iis de cauſis non quidem exſtincti, ſed ex eo loco per terrarum orbem ſunt diſperſi. quapropter fixum ſtatutumque nobis eſt, eundem fuiſſe Belum, qui aliter Nimrodus dicitur, atque a profanis ſcriptoribus adpellatur *Belus*, id eſt deus ſeu dominus, quoniam ordini deorum pro gentium conſuetudine eſt adſcriptus, confer BOCHARTVM [5] SCHVRZFLEISCHIVM [6] PERIZONIVM [7] CHRISTIAN SCHOTANVM [8]. *

1 *lib. IX. cap. 18.* 2 *lib. I. cap. 5. antiqu.* 3 *in Gen. XI.* 4 *Phaleg. lib. I. cap. 14.* 5 *Phaleg. lib. IV. cap. 14.* 6 *oper. hiſtoric. polit. diſſert. I. §. 18. ſqq.* 7 *orig. Babyl. cap. 5. & 7.* 8 *biblioth. hiſt. ſacr. de ætate ſecunda mundi p. 48. ſqq.*

* alio-

* aliorum sententias de *Nimrodo, Belo*, & *Nino*, silentio præterimus. sunt quippe, quibus vel idem Nimrod ac Belus; vel Nimrod & Ninus idem; aliis singuli diuersi Nimrod, Belus, Ninus, quas diuersas opiniones collegit IO. GODOFR. HARTVNGIVS] specim. historic. contin. monarchiam I. §. 15. p. 32. adde CELLARIVM dissertationibus academ. p. 56. seqq.

§. XXXIII. Sunt quoque, qui diuersas sententias de Belo & Semiramide, quod ad Babylonem adtinet, ita conciliant, vt originem vrbis huius Belo; ornamenta vero Semiramidi vindicent, quapropter AMMIANVS MARCELLINVS [1] dicit: *Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit, arcem enim antiquissimus rex condidit Belus*; & HERODOTVS [2] refert, molem ἀξιοθέητον id est *spectabilem* Euphrati coërcendo a Semiramide esse constructam; sed quum addit similis ingenii *Nitocrin*, πέντε γενῆσι, *quinque generationibus* Semiramide posteriorem, ipse testimonium suum reddit suspectum fidemque facit obscuriorem. etenim si *Nitocris* a Semiramide per *quinque ætates* id est per CLX annos fuerit separata, Semiramis sane esset multo recentior, quam traditur vulgo. quam ob rem necesse est, aut adfirmare duas fuisse Semiramides, alteram priorem, alteram posteriorem, quæ molem hanc struxerit, cuiusue fecerit mentionem HERODOTVS, prout SCALIGER [3] sententiam hanc de duabus Semiramidibus tenet; aut pronunciare, ipsa HERODOTI verba πέντε γενῆσι male esse sana, ita vt pro πέντε scribere debeamus δεκαπέντε, *quindecim*. id exploratum ac diuina humanaque fide confirmatum est, quod

1 *lib. XXIII*, 2 *lib. I. c. 184*. 3 *ad Eusob. n. DLXXXIII. p. 37*.

Nebu-

Nebucadnezar notiſſimus monarcha, Tyro, Aegypto & Hieroſolymis captis Iudæisque in captiuitatem abductis, Babylonem ornauerit operibus, in quibus BEROSVS [1] etiam muros & hortos penſiles numerat, græcos reprehendens, qui Semiramidi adtribuant. quamobrem Nebucadnezar ingenti elatus ſuperbia dixit: הלא דא-דיא בבל רבתא די־אנה בניתה לבית מלכו *nonne hæc eſt Babel magna, quam ego ædificaui*, id eſt ornaui, ampliorem ac ſplendidiorem feci, *in domum*, hoc eſt ſedem *regni* apud DANIELEM. [2] de cetero auctoritate HERODOTI nonnulli adducti ſunt, vt ornamenta quædam Babylonis Semiramidi adtribui poſſe, exiſtimauerint, qua de re videas PERIZONIVM [3] & VITRINGAM. [4]

§. XXXXIIII. Superioribus mentionem quoque iniecimus expeditionum, quas Semiramis ſuſcepiſſe traditur, quo in momento multa quoque deprehendimus, quæ ſunt contra fidem. primum enim MEGASTHENES, auctor indicarum, ſcribit apud ARRIANVM [5] neque Indos cum hominibus bellum geſſiſſe, neque vllos Indis bellum intuliſſe, quamuis addat, Semiramidem quidem Aſſyriam tentaſſe exercitum in Indos ducere, ſed mortem ipſius conſilia conatusque fregiſſe, vt adeo expeditionem quamdam Indicam Semiramidi adſcribendam eſſe neget, adde STRABONEM. [6] at vero MEGASTHENES, quum Indica conſignauerit litteris, apud Indorum reges commoratus eſt, atque ipſi commoda fuit occaſio, omnia genuina bonaque fide tradendi,

1 *apud Ioſeph. contra Apion. lib. I.* 2 *cap. IV. v. 27.* 3 *orig. Babylon. cap. 7. p. 91.* 4 *comm. in Eſaiam cap. XIII. p. 495.* 5 *hiſtor. Indic. p. 318.* 6 *lib. XV. p. 686.*

dendi, testibus PLINIO [1] & SOLINO [2] deinde si quis apud animum expendit, quantum exercitum Nino adscribat DIODORVS [3] quantamue multitudinem militum collegisse Semiramis tradatur, obstupescendum sane est & maxime demirandum, vnde primo post diluuium æuo, in quo ea, quæ de Nino & Semiramide narrant, non possunt non incidere, tam paucis ex aqua seruatis, infinita hominum multitudo enata fuerit, vt tot bellis ac exercitibus vel mediocriter suffecerint. facile omnino ignosci potest paganis scriptoribus, ignorantibus quippe, quæ cum humano genere diuinitus fuerant acta: sed christianos imitari illos, id est, quod animum in admirationem deducere potest.

§. XXXV. Multi effunduntur in laudes Semiramidis, quæ virtutibus magna fuerit ac conspicua, vti IVSTINVS admirator ipsius extitit, quippe qui dicit [4] *nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit, quod mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros anteiret.* sed qualis est virtus, quæ in Semiramide elucet? laudant admiranturque fortitudinem bellicamque virtutem, cuius tam præclara omnique memoria digna dederit documenta. at vero tantum abest, vt animus ipsius vera fortitudinis virtute munitus fuerit, quippe quæ caute & circumspecte agit omnia, vt temeritati atque imprudentiæ succubuerit. sic multis nemo fortior Alexandro magno adparuit; SENECA tamen rationibus subnixus nequaquam contemnendis, ipsi omnem fere virtutis laudem ademit, ac belli-

1 *lib.* 17. *cap.* 17. *H. N.* 2 *cap.* 49. 3 *lib. II. cap.* 5.
4 *lib. I. cap.* 2. §. 6.

cam virtutem adeo denegavit, vt *felicem temeritatem* [1] adpellet, sequutus forte Darium apud CVRTIVM [2] dicentem: *temeritas est, quam adhuc pro virtute timuistis.* & si quis sua cupiditate, non communi vtilitate impellitur ad subeunda pericula, is sane officium vere fortis ducis ac militis minime potest implere. indoles sane Semiramidis, quæ mollitie & luxu diffluebat, quæ castitati bellum quasi indicebat, quæue pudicitiam habebat in propatulo, plane ab heroica virtute ac magnitudine animi aliena fuit. ratio denique, qua diem supremum obiisse traditur, fabulam quoque sapit, quumue nobile fuerit scortum, nemo sibi persuadeat, quod ingrauescente demum ætate cupiditate flagrauerit, cum filio muliebria exercendi. hinc VSSERIVS [3] dicit: *Semiramis, quum concubitum cum filio petiisset, ab eodem interfecta est, duos & XL. annos post Ninum regno potita, quanquam 62. annorum anum de ejusmodi incestu cogitavisse, vix videatur esse credibile.* de eo, quod Semiramis transmutata sit in auem, nihil dicamus, quoniam indubitata est fabula.

1 *de benef. I, 13. VII, 3.* 2 *lib. IV. cap. 14. §. 13.* 3 *annal. V. T. p. 26.*

DIATRIBE

DIATRIBE
DE
VARIIS MODIS
LITTERAS COLENDI
APVD
VETERES ROMANOS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Ratio instituti §. I. *de praeceptoribus veterum romanorum* §. II. *de scholis publicis & priuatis veterum romanorum* §. III. *de ipsorum peregrinationibus litterariis* §. IIII *de libris illorum ac de modo istos legendi* §. V. *de ipsorum anagnostis* §. VI. *de meditatione litteraria veterum romanorum* §. VII. *de ipsorum recitationibus* §. VIII. *de disputationibus veterum romanorum* §. VIIII. *de lucubrationibus ipsorum* §. X. *ac secessibus* §. XI.

Quum mihi in animo est, breuibus declarare, quae fuerit ratio colendi litteras apud veteres romanos, non in varia doctrinarum genera illorum, in quibus exponendis alii sese exercuerunt, inquiram, sed in rationes quasdam, quibus litterarum culturae se tradiderint. primum disputabo de institutione litteraria, quum romani aliorum auxilio adiuti, ad musarum peruenerint scientiam, ratione habita partim ipsarum litterarum in primis humaniorum, partim locorum, quae earum fuerunt officinae. magnae curae romanis fuit educatio, quorum disciplina eo spectabat, vt sincera puerorum natura, nullis detorta prauitatibus, toto statim pectore in virtutem & honestas artes incumbendi locum haberet, id quod pulcre docet auctor de caussis corruptae eloquentiae: [1] *iam primum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emtae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum & inseruire libris. eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatisque mo-*

1 *cap.* XXVIII.

ribus

ribus omnis cuiuspiam familiæ ſoboles committeretur. coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere, quod inhoneſtum factu videretur. ac non ſtudia modo curasque, ſed remiſſiones etiam luſusque puerorum, ſanctitate quadam ac verecundia temperabat. conſtat quoque, romanos ex ſtudiis eos percepiſſe fructus, vt ad tantum faſtigium romana maieſtas eueheretur, & per tot ſecula in eodem immota & inconcuſſa perſtaret, ac ipſi a barbarie ad vitam cultiorem, & ab inſcitia ad humanitatem & variam doctrinam traducti eſſent. quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, operæ pretium facturus mihi videor, ſi in hoc argumento diſputando curatius verſer, vt æmulatione incitati, quod ſalubre nobis ſit & muſis noſtris, tanquam ab exemplo ad imitandum propoſito capiamus.

§. II. Pro diuerſa ætatis ingeniique indole neceſſe fuit, diuerſa quoque ratione litteras excolere. plerumque domi & in contubernio matris diſcebantur elementa, & ipſi parentes liberos ſuos inſtitutis & præceptis erudiebant. CICERO [1] dicit, ſe legiſſe epiſtolas Corneliæ matris Gracchorum & apparere, filios non tam in gremio educatos, quam in ſermone matris; & alio loco [2] mallem *Cicerones noſtros meo potius labore ſubdoceri, quam me alium eorum magiſtrum quærere*: item ad Quintum fratrem: [3] *maximæ mihi curæ erit, vt Ciceronem tuum noſtrumque videam, ſcilicet quotidie: ſed inſpiciam quid diſcat, quam ſæpiſſime: & niſi ille contemnet, etiam magi-*

1 *de clar. orator. cap. LVIII. adde cap. XXVII.* 2 *lib. VIII. ep. 4. ad Attic.* 3 *lib. II. ep. 14.*

strum me ei profitebor: cuius rei nonnullam consuetudinem nactus sum in hoc horum dierum otio, Cicerone nostro minore perdocendo, quamuis alii scribant *producendo.* NEPOS de Attico refert, [1] quod patre vsus sit diligenti, indulgente & tum vt erant, diti, inprimisque studioso litterarum, qui omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debeat, filium erudiuerit. Iulius Agricola in sinu indulgentiaque matris Iuliæ Procillæ educatus per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit, teste TACITO; [2] id quod etiam Marcus Aurelius Antoninus, imperator de se ipso fatetur, [3] vt de aliis taceam. verum ad litterarum elementa ope præceptorum quoque adducti sunt, quod non solum priuatim, sed & multorum conuentu factum est. LIVIVS [4] de Camilli ingressu ad Tusculanos: *intentos opifices suo quemque operi, & ludos litterarum strepere discentium vocibus* vidit, & alio loco: [5] *mos erat Faliscis, eodem magistro liberorum & comite vti; simulque plures pueri, quod hodie in græcia manet, vnius curæ demandabantur.* idem de Virginii filia [6] *virgini venienti in forum (ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) minister decem viri manum iniecit.* de eadem Virginii filia DIONYSIVS HALICARNASSEVS [7] ταύτην τὴν κόρην ἐπίγαμον οὖσαν ἤδη θεασάμενος Ἄππιος Κλαύδιος ὁ τῆς δεκαρχίας ἡγεμὼν, ἀναγινώσκουσαν ἐν γραμματικοῦ· ἦν δὲ τὰ διδασκαλεῖα τῶν παίδων τότε περὶ τὴν ἀγοράν· εὐθύς τε ὑπὸ τοῦ κάλλους

1 *vit. Attic. I, 2.* 2 *vit. Agricol. cap. 4. n. 3.* 3 *lib. I. pr.* τῶν ὡς ἑαυτὸν *adde* GATAKER *not. p. 2. &* BVDDE *de stud. liber. veter. roman. p. 8. 9.* 4 *lib. VI, 25.* 5 *lib. V, 27.* 6 *lib. III, 44.* 7 *lib. XI. antiq. rom. p. 709.*

τῆς

τῆς παιδὸς ἑάλω, καὶ ἔτι μᾶλλον ἔξω τῶν φρενῶν ἐγένετο, πολλάκις ἀναγκαζόμενος περιϊέναι τὸ διδασκαλεῖον, ἤδη κρατέμενος ὑπὸ τῦ πάθυς, *eam puellam iam nubilem Appius Claudius decemvirorum princeps in ludo litterario legentem conspicatus (erat autem tunc ludus litterarius in foro) & tunc statim puellæ forma captus est, & magis indies extra se abripiebatur, dum amore iam correptus, ludum multoties obire cogeretur*; quibus patet, quod hic prima elementa sint tradita, quodue pueri & puellæ institutionem habuerint communem. huiuscemodi præceptores dicti sunt ludimagistri, quoniam romani scholam dicere solebant ludum, item litteratores, magistri litterarii, magistri ad prima elementa, quos cum grammaticis haud confundas, qui maiori erant dignitate, ingenio præstanti & eruditione excellentiore, quod WOWERVS [1] fuse tradit. quamuis in cœtu erroribus non modica, sed largissima sit materia, & integritas morum facilius possit corrumpi, malebant tamen in scholis & multorum conuentu suos, quam priuatim & singulares institui, vt æmulatione ingenium accenderetur & certatim promouendo maiores facerent progressus. namque alit æmulatio ingenium, & nunc inuidia, nunc admiratio incitationem accendit. [2] attamen fuerunt, qui liberis suis a primis pueritiæ annis magistros priuatos ad ingrediendam studiorum rationem elegerunt. elementis adreptis, grammaticos græcos audiuerunt, modo priuatim & domi, modo in scholis & conuentu plurium, quia prima cura litterarum græcarum fuit, quod testantur plura

1 *de polym. cap. IV. p.* 1017. *tom. X. Th. A. G.* GRONOVII.
2 *conf.* CELLARIVM *dissert academic. p.* 351.

exempla, ex quibus mentionem faciamus M. Antonini philoſophi, qui vſus eſt magiſtro ad prima elementa Euphorione litteratore; grammaticis græco Alexandro, quotidianis latinis Troſio Apro & Pollione & Eutychio Proculo Siccenſi, vt tradit IVLIVS CAPITOLINVS.[1] auſpicium fiebat a poetis, inter quos Homerum maxime diligebant, quippe qui princeps magiſter, vitæ hominum informator, tuba virtutis, inprimis eloquentiæ pater habebatur, quem & Hippodromus apud PHILOSTRATVM[2] *πατέρα καὶ φωνὴν σοφιςῶν, patrem & vocem ſophiſtarum* adpellat. coniungebant cum Homero Menandrum, Euripidem, Sophoclem & pergebant ad hiſtoricos Thucydidem, Polybium, Herodotum, Xenophontem, reliquos, quæ eloquentiæ & philoſophiæ præmittenda eſſe arbitrabantur. litterarum harum doctores erant grammatici, quorum alii quum fuerint *τεχνικοί*, alii *ἱςορικοί*, ſeu *ἐξηγητικοί*, alii *κριτικοί*, illi qui ſecundi ordinis ſunt, præcipue huc pertinent, quippe qui litterarum alumnos ad interiora veterum ſcriptorum, poetarum inprimis ſententiam perducebant, id quod VOSSIVS[3] WOWERVS[4] PERIZONIVS[5] PITISCVS[6] SCIOPPIVS[7] MASSONVS[8] & alii vberius produnt. horum ductu legebant polita græcorum monimenta, quod fiebat ſtudioſe & diligenter: hinc PLINIVS[9] *non enim dixi, quæ legenda arbitrarer:*

1 *vit. Anton. philoſ. cap. II. adde* FABRICII *biblioth. græc lib. IV. c. 23. p. 21.* 2 *lib. II. de vit. ſoph. adde* CVPERVM *de apotheoſ. Homeri p. 119.* 3 *de arte grammatic. lib I. p.* 12. 20. 21. 23. 4 *cap. IX. p.* 1033. *d. l.* 5 *obſeru. ad Sanctii mineruam p.* 12. 13. 6 *adnot. ad Sueton. de inluſtr. grammat. p.* 1079. 1090. *& lexic. antiquit. rom. tom. I. p.* 882. 7 *de arte critica p.* 2. 8 *vita Horatii p.* 20. 9 *lib. VII. ep.* 9. *n.* 15.

quan-

quanquam dixi, quum dicerem, quæ scribenda. tu memineris, sui cuiusque generis auctores diligenter eligere. aiunt enim, MVLTVM LEGENDVM ESSE, NON MVLTA. quæue erant salubria & vtilia, obseruabant, & per memoriam non solum repetebant, sed ad imitationem quoque trahebant diligenti opera. QVINCTILIANVS [1] *vertere græca in latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant.* & paullo post: *sed & illa ex latinis conuersio multum & ipsa contulerit.* PLINIVS [2] *vtile in primis & multi præcipiunt, vel ex græco in latinum, vel ex latino vertere in græcum: quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur. simul quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt,* qua de re conferatur SCHEFFERVS. [3] imitati sunt modo scribendi indolem, quod ad elegantiam, formam, ac vim orationis adtinet, modo res & modum rerum tractandarum, quæ ex aliis subinde petierunt tam veteres, quam recentiores. sic Cicero imitatus est Demosthenem; Terentius Menandrum, Sallustius Thucydidem, Virgilius Theocritum, Hesiodum, Homerum, Tacitus Polybium & Thucydidem, Liuius Polybium. neque vero solum græcos scriptores vsurparunt, sed ex latinis quoque, quæ ad rem pertinebant, vtiliter & adposite transtulerunt, prout Terentius imitatus est Plautum, quod probat PAREVS [4] Cornelius Seuerus Manilium, obseruante GORALLO siue CLERICO [5] Silius Italicus Virgilium,

1 *X. 5. pr.* 2 *d. l. n. 2.* 3 *de stilo illiusque exercitiu cap. IV. seqq.* 4 *de imitatione Terentii Plautina.* 5 *ad Aetnam p. 90. 91.*

quem cum isto contulit ALEXANDER ROSSAEVS. [1] hoc decurso stadio, romani se philosopho dabant & rhetori, vt in illius schola artem disserendi, in huius declamandi exercerent, & vtramque græce magis, quam romane. minus fuerunt sine philosophia, quia non fuerunt sine arte oratoria, ad quam excolendam illa præsertim, quæ de moribus & officio animique caracteribus agit, opus erat, quanquam iacuit vsque ad Ciceronis ætatem, nec vllum habuit lumen litterarum latinarum, consulas PAGAN. GAVDENTIVM [2] & BVCHNERVM [3] princeps romanis studium fuit eloquentia, ad quam colendam multum tempus sibi sumserunt, ita vt imagines grauissimorum oratorum in cultura artis huius sibi proponentes, ingenium & dicendi facultatem conformarent & post hac ex penu eloquentissimo semper aliquid ad communem adferrent fructum atque in aspectum lucemque proferrent. in tradendæ eloquentiæ fontibus & præceptis sedulo operabantur primum grammatici, deinde rhetores: adhæc instituebant exercitationes varias, in quibus declamationes erant præcipuæ. adiungebant se clarissimi oratori nominis, quo vterentur paullo familiarius & a quo discerent facultatem loquendi, vti dicit auctor dialogi de caussis corruptæ eloquentiæ [4] *ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum*

1 *lib. I. Virgilii triumphantis.* 2 *de philos. apud roman. orig. & progress. Pis. 1643.* 3 *in Agricol. c. IV. p. 118. 124. 125.*
4 *XXXIV, 1, 2.*

in

in ciuitate tenebat. hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat, ita vt altercationes quoque excipere & iurgiis interesse, vtque sic dixerim, pugnare in praelio disceret: addatur GRONOVIVS. [1] in eloquentiae studio ingenia sua exercuerunt varia ratione. aut tradebant ficta, vt progymnasmata & declamationes, aut vera, vt orationes. iuuenum minora exercitia προγυμνάσματα, quae latini vocant dicendi primordia, dicendi elementa; maiorum ac prouectiorum erant declamationes. declamandi genera tria fuerunt apud veteres pro tribus caussarum generibus: vel enim panegyricae erant declamationes, quae in demonstratiuo, vel suasoriae, quae in deliberatiuo, vel controuersiae, quae in iurisdiciali genere versabantur. a declamationibus suasoriis faciebant auspicium, quia huiusmodi argumenta habentur facilia, sed controuersiae dignae erant maturo iudicio, in quibus & sententiarum acumen, & exquisitus quidam ornatus adhibebatur. rhetor aut sophista exedram conscendebat, vt sedens ad delectationis aucupium haberet praefationem, qua auditorum sibi conciliaret animos. postea poscebant controuersiam & proposita materia vel arbitrio proprio delecta, caussae genus exponebat rhetor, quumque totius quaestionis statum prodidissent, diuidebant illam in partes, & explicabant breuiter & dilucide, quo facto, ipsam adgrediebantur controuersiam, quum aliquid spatii ad excogitandum sibi sumsissent. verum non omni tempore eadem fuit eloquentiae facies, nec eadem institutionis oratoriae ratio.

1 *Obseruat. lib. III. cap. 23. p. 654. seqq.*

ante

ante Ciceronem tractabant locos communes: ætate eius petebant argumentum ex veritate, quum modo in virtute prædicanda & vitio reprehendendo versarentur, modo ex historiarum monimentis, aut ex re, si qua forte recens accidisset, copiam sibi facerent dicendi laudando, vituperando, suadendo, dissuadendo. quæ exercitationes Ciceronis tempore dictæ sunt caussæ. sed quum Seneca rhetor ingenio niteret, fictas lites sumebant, ea denique, quæ nec facta fuissent, nec fieri commode potuissent, excogitabant. in foro frequentes ac in iudiciis vsum ipsum eloquentiæ perdiscebant: ipsimet faciebant periculum & aliqua actione nobili edebant specimen eloquentiæ. plerumque vero iuuenes, qui eloquentiæ & iuri ciuili dabant operam, caussarum patrocinium apud centumuiros auspicabantur. PLINIVS [1] *ad hoc perpauci, cum quibus iuuet dicere: ceteri, audaces atque etiam magna ex parte adolescentuli obscuri a declamando huc transeunt. tam irreuerenter & temere, ut mihi Attilius noster expresse dixisse videatur, sic in foro pueros a centumuiralibus caussis auspicari, vt ab Homero in scholis.* atque quum paucis tam clarum sit ingenium, vt possit emergere, nisi illi fautor commendatorque contingat, olim moris erat, vt magnæ auctoritatis viro, vel duce vel comite adolescens forum iniret, primamque susciperet caussam: saltem auspicio & consiliis talis viri cœpit ostendi in publico. adolescentes nobiles accusarunt viros, quod rudimentum forensis operæ non solum laudis gratia subibant, sed & accusanti & damnanti pecuniæ, honores aut magistratus dabantur, quæ ha-

1 *lib. II. epist. 14. n. 2.*

buisset

buisset reus. hic modus ætate CICERONIS fuit solennissimus, qui ait [1] *sed quum sint plura caussarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes & apud iudices & apud senatum; dicendo laudem adsecuti sint, maxima admiratio est in iudiciis; quorum ratio duplex est. nam & ex accusatione & defensione constat:. quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est.* sic ex accusatione sibi peperit laudem Lucius Crassus, qui accusauerat C. Carbonem, eloquentissimum hominem; M. Antonius adolescens accusauit Cn. Papirium Carbonem, qui & M. Aquillium defendit, nec minus P. Sulpicii eloquentiam inluminauit accusatio, dum inutilem ciuem C. Norbanum vocauit in iudicium. Inlustrior & splendidior erat accusatio, quæ rei publicæ caussa, aut patrocinii gratia, aut paternarum inimicitiarum suscipiebatur. in huiusmodi caussis sæpe tractabant res suas diuinitus, & magna vis animi, magnus impetus, magnus dolor vultu. gestu, digito significabatur. magnum erat flumen grauissimorum optimorumque verborum, erant integræ sententiæ, veræ, nouæ, sine pigmentis fucoque puerili, vt quibusdam non solum incendere iudicem, sed ipsi ardere viderentur: argumentum hoc pluribus persecuti sunt QVINTILIANVS [2] SVETONIVS [3] MANVTIVS [4] SIGONIVS [5] BARTHIVS [6] CRESOLLIVS [7] RVPERTVS [8]

1 *de officiis II,14.* 2 *institut. orat. variis locis.* 3 *de claris rhetorib. cum eiusd. interpp.* 4 *de leg. romanis c. XXI: sqq. p. 1094. tom. II. thesaur. antiq. rom.* GRAEVII. 5 *de iudiciis lib. II. cap. 9. p. 1748. ib.* 6 *ad Claudianum p. 76.* 7 *theatr. rhetor. lib. III. IV. tom. X. thes. antiq. graec.* GRONOVII. 8 *obseruat. ad Vellei. Patercul. II. 43. p. 191.*

VOS-

VOSSIVS [1] PROVSTIVS [2] MORHOFIVS [3] FRANCIVS [4] CLERICVS [5] KRIEGKIVS, [6] quos adire possunt, qui rerum harum cupidi plura desiderant.

§. III. Non ab re erit, si locorum quoque, in quibus litterarum perceperunt cognitionem, vberiorem habeamus mentionem. romanæ scholæ fuerunt partim priuatæ, partim publicæ. illas quisque priuatim pro voluntate & sententia sua eligebant, quarum magnum fuisse numerum, ex antiquitatis eruditæ monimentis patet. namque SVETONIVS [7] de grammatica: *post hac magis ac magis & gratia & cura artis increuit: vt ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quominus & ipsa aliquid de ea scriberent: vtque temporibus quibusdam super viginti celebres scholæ fuisse in vrbe tradantur.* postea rhetores & philosophi priuatas instituerunt scholas, quod publica factum esse auctoritate, tibi haud persuadeas. immo Caio Fannio Strabone, Marco Valerio Messala consulibus de philosophis & rhetoribus SC factum, VTI ROMAE NE ESSENT, de quibus interposito tempore Cnæus Domitius Aenobarbus & Lucius Licinius Crassus censores idem edixerunt, quod SVETONIVS [8] adnotauit. priuatæ erant plerumque domesticæ ædes, theatra interdum, templa, nonnunquam basilicæ, curia aliquando, sæpe conductæ diuitum aulæ. conf. PANCIROLL. [9] &

1 *de rhetorices natura & constit. præcipue c. XVI. p. 109.*
2 *obseruat. in Ciceron. libr. orat. in vsum Delphini Par. 1687.*
3 *polyhist. litter. lib. VI. c. 1. 2.* 4 *de ratione declam. p. 6. sqq.*
5 *arte critic. vol. I. part. 2. f. 1. c 17. p. 344.* 6 *de sophistarum eloquentia p. 83. de inclaresc. mod. apud rom. p. 6 sqq.* 7 *de inlustrib grammatic. c. III. n. 3.* 8 *de claris rhetor. cap. 1.* 9 *de script. vrb. rom. thes. antiq. roman.* GRAEVII *tom. III. p. 334.*

FER-

FERRARIVM.[1] ſic Marcus Antonius Gnipho docuit in Diui Iulii domo, pueri adhuc, deinde in ſua priuata, teſte SVETONIO.[2] templa quoque emporia fuiſſe muſarum, in quibus iuuenes bonis artibus inſtituerint, adparet ex antiquitatum hiſtoriis, quod & poſt alios OLEARIVS de philoſophis & ſophiſtis obſeruat.[3] baſilicæ ædes erant ad negotiationes & iudicia porticibus & ambulationibus magnifice exſtructæ, de quarum ratione BERGIERIVS.[4] in his habebant etiam olim orationes & alias honeſtiſſimas exercitationes, quod ex PLINIO[5] clarum eſt. publicæ ſcholæ conſtitutæ ſunt publica auctoritate. EVSEBIVS[6] adnotat, quod Quinctilianus primus talem ſcholam acceperit, quippe qui iuventutem per viginti annos docuit artem rhetoricam,[7] quamuis SVETONIVS & de Tito Flauio Veſpaſiano[8] dicat: *primus e fiſco latinis græcisque rhetoribus annua centena conſtituit, præſtantes poetas, nec non & artifices coemit.* namque grauiſſimus fuit litterarum patronus, & Baſſus ingenio ſuo tanti principis miram & eximiam liberalitatem indulgentiamque adeo percepit, vt ei quingenta ſeſtertia donauerit.[9] multis poſt annis Antonius pius philoſophis quoque ſtipendia & honores largitus eſt, quod tradit IVLIVS CAPITOLINVS,[10] dicens: *rhetoribus & philoſophis per omnes prouincias & honores & ſalaria detulit.*

1 *de acclam. & plauſ. III, 1. theſ. dicti VI. p.* 90. 2 *de inluſtr. gramm. c. VII. n.* 2. 3 *ad Philoſtr. p.* 479. 618. 4 *lib. V ſ.* 8. *de viis imperii rom. tom. X. theſ. ant. rom.* GRAEVII *p.* 562. 5 *lib. II. ep.* 14. 6 *in Chronic. p.* 164. 7 *procem. libr. I. init. inſtitut. orator.* 8 *vita eius cap. XVIII. n.* 1. *adde* PITISCVM *ad Suet. Caeſar. XLII. n. 2. p.* 118. 9 *dialog. de cauſſ. corrupt. elogu. IX,* 8. 10 *cap. XI.*

tulit. EVMENIVS rhetor de ſe ipſo adfirmat: [1] *ſalarium me liberaliſſimi principes ex huius rei publicæ viribus in ſexcenis millibus nummum accipere iuſſerunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora & prius & poſtea præmia contulerunt; ſed vt tercena illa ſeſtertia, quæ ſacræ memoriæ magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii addita pari ſorte geminarent.* & quamuis CASAVBONO [2] videatur nimium hoc profeſſoris ſalarium, ideoque *ſexagenis* legendum cenſeat: tamen quum ſic dimidium eius minus erit, quam pro dignitate magiſtri ſacræ memoriæ, iudicant GRONOVIVS [3] & CELLARIVS, [4] vtique retinendum eſſe *ſexcenis.* adde CONRINGIVM. [5] ipſæ publicæ ſcholæ erant athenæum, capitolium, & pergulæ magiſtrales. atheneum ſchola fuit artium liberalium ab Hadriano conſtituta, AVREL. VICTOR. [6] *græcorum more ſeu Pompilii Numæ ceremonias, leges, gymnaſia, doctoresque curare occœpit: adeo quidem vt etiam ludum litterarium ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtitueret.* erant in capitolio & tempore Theodoſii II. oratores tres, grammatici decem, ſophiſtæ quinque, philoſophus vnus, iuris conſulti duo ibi docebant, confer PITISCVM. [7] namque illo temporum tractu, & antea romæ quoque cathedra fuit ſophiſtica rhetorum græcorum, obſeruante FABRICIO. [8] pergula erat pars

1 *orat. pro reſtaur. ſchol. c. XI. n. 2.* 2 *in Sueton. Oth. c. 4.* 3 *de pecun. veter. lib. IV. cap. II. p. 330.* 4 *obſeru. ad Eumen. orat. p. 70.* 5 *antiquit. academic. diſſ. I. p. 15. & ſupplem. XII. p. 227. item de ſtudiis liber. vrb. rom. & conſtantinop.* 6 *de Cæſar. c. XIV.* 7 *lex. antiq. roman. tom. I. p. 196.* 8 *bibl græc. lib. IV. c. 24. p. 45.*

domus

domus exporrecta & propendens, quumque romæ magiſtri artium in huiusmodi pergulis docerent, dictæ ſunt *pergulæ magiſtrales*. VOPISCVS [1] de Saturnino: *in Africa rhetoricæ operam dederat, romæ frequentauerat pergulas magiſtrales*. adpellantur codic. Theodoſian. [2] *publicæ magiſtrationes & publicæ cellulæ*, his verbis: *vniuerſos, qui vſurpantes ſibi nomina magiſtrorum, in publicis magiſtrationibus cellulisque collectos vndicunque diſcipulos circumferre conſueuerunt, ab oſtentatione vulgari præcipimus amoueri*; quibus patet, ibi grammaticos & artium aliarum ingenuarum profeſſores docuiſſe publice. ludos litterarios habuerunt quoque in caſtris, prout SVETONIVS [3] commemorat *obſides abductos e litterario ludo*. gymnaſii nomen & ad romanos tranſiit, quo CICERO [4] pro ſcholis philoſophorum vtitur, item PLINIVS, [5] quibus addas PIGRELIVM. [6] huiusmodi locis frequenti populo celebratis philoſophi oſtentandæ doctrinæ cauſſa ſe immitebant, alioqui gymnaſia non litterarum ſtudiis, ſed exercitationibus corporis erant deſtinata. ſella docentium dicebatur cathedra, quæ genus erat ſellæ altioris & honoratioris operoſius ſtructæ cum ſuppedaneo, aliquando & cum vmbella, IVVENALIS de rhetorum ſcholis. [7]

Pœnituit multos vanæ, ſteriliſque cathedræ,
Sicut Thraſymachi probat exitus atque ſecundi
Carrinatis.

ratione diſcentium certi erant ordines, ſeu vt

1 *cap. X.* 2 *l. 3. de ſtud. libert. vrb. Conſtant.* 3 *vit. Caligul. c. XLV. n. 3.* 4 *de orat. I, 13.* 5 *lib. I. ep. 22. n. 6.* 6 *de ſtat. illuſt. rom. c. XXIV. p. 205.* 7 *ſatyr. VII. v. 203.*

QVINCTILIANVS [1] adpellat, *classes*, cum pro scientiæ & cognitionis modo, tum pro ætatis varietate, adde CRESOLLIVM. [2] ab alumnis artium magistro interdum magnus honos habitus est, quem omni cultu & vario munerum præmiorumque genere adficiebant, videatur ALCIATVS [3] & LAVRENTIVS. [4] nonnulli e doctrinarum doctoribus iterum ea præditi fuerunt honestate, vt non semper suo commodo, quam discipulorum potius consuluerint, prout tradunt quidam, quod Laberius Hiera, grammaticus proscriptorum liberos gratis & sine mercede vlla in disciplinam receperit, teste SVETONIO. [5] mortalium natura in præcipitia conuertitur, miraque est prauitate, adeo vt institutio parentum ac præceptorum destituta sæpius sit feliciori successu, nisi præceptis & exemplorum demonstrationi adiungatur pœna. quam ob rem veteres frena disciplinæ haud laxarunt, sed in id contulerunt studium, vt pueri temeritatis, desidiæ suæ & aliorum scelerum dederint pœnas, quod PETAVIVS [6] adnotat: quamquam nonnulli tam rustico & duro erant animo, vt & leuioris culpæ acerbissimas sæpius repeterent pœnas, vide CRESOLLIVM. [7] frequens vsus erat *ferularum* ad castigandos pueros, quæ quamuis fuerint leuissimæ, acerbiorem tamen doloris sensum excitarunt, hinc a MARTIALE [8] dicuntur *tristes ferulæ*: PRVDENTIVS. [9]

Aetas prima crepantibus
Fleuit sub ferulis.

1 *instit. Orat I. 2.* 2 *theatr. rhet. lib. IV. c. X. p. 186. dict. tom. thes.* GRONOVII 3 *Parerg lib. V. cap. 27. tom. IV. opp. p. 434.* 4 *de professor. orator. nomenclat. & litter. c. I.* 5 *de inlustr. grammat. c XIII.* 6 *ad Themistii orat. XXI. p. 511.* 7 *dict. libro lib. V. c. 6. sqq.* 8 *X, 62. 10.* 9 *Cathem. prol. v. 7.*

adpel-

adpellatæ sunt *sceptra* docentium, AVSONIVS.[1]

Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa supellex
Virgea: quod fallax scuticam prætexit aluta.

& prouerbium: *manum ferulæ subduxisse*, de illis dictum est, qui magistrorum disciplinæ dixerunt vale, vid. IVVENALEM[2] MACROBIVM[3] cum ERASMO[4] & PITISCO.[5] præter ferulas inter pædagogorum arma *scutica* recensetur, quæ fiebat ex corio, durissimo vero, siquidem ad hanc rem canina pellis, corium bubulum, corium anguillæ adhibebatur, confer FABRVM.[6] vt adeo facile ex hoc possimus conligere, huiusmodi pœnam haud fuisse leuiorem. attamen scuticam mitius flagrum, quam flagellum fuisse, cognoscimus ex HORATIO[7]

adsit
regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas,
nec scutica dignum horribili sectere flagello.

cuiusmodi caput, plagas discipulis sæpe easque acerbas inferens fuit Orbilius, de quo SVETONIVS[8] *fuit naturæ acerbæ, non modo in antisophistas, quos omni sermone lacerauit, sed etiam in discipulos, vt* HORATIVS[9] *significat*, plagosum *eum appellans*. messis & vindemiarum tempore lites forenses & musæ cessabant, quod & saturnalibus factum est. namque PLINIVS[10] *neque vt magistro magister, neque vt discipulo discipulus, sic enim scri-*

1 *Edyll. IV. 29.* 2 *satyr. I. v. 15. cum obseru.* GRANGAEI *p. 3.* 3 *sat. III. 10. cum not. in edit.* GRONOVII *p. 407.* 4 *Adag. p. 430.* 5 *ad Suet. Calig. c. XX. n. 4. p. 811.* 6 *semestr. lib. II. c. 6, p. 67.* 7 *lib. I. sat. 3. v. 117.* 8 *de inlust. gramm. IX. n. 4.* 9 *epist. II, 1, 70.* 10 *lib. VIII. ep. 7. n. 1.*

bis, sed vt discipulo magister. nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam reuocas, ego adhuc saturnalia extendo, librum misisti: & MARTIALIS [1]

Iam tristis nucibus puer relictis
Clamoso reuocatur a magistro:
saturnalia transiere tota.

adde HOFMANNVM [2] & generatim de hoc argumento SPANHEMIVM. [3]

§. IV. Nec veteres romani solum in patriis scholis coluerunt litteras, sed in alias quoque regiones, quæ bonis artibus feraces erant & habebant sapientiæ & honestarum musarum emporia, profecti sunt, vt bene cœpta doctrinarum studia magis perficerent exornarentque. ita ab omni litterarum memoria in more fuit, vt discendi studio in longinquas regiones demigrarent. num ad Phœnices, musarum vsu gentem excultissimam, Aegyptii doctrinæ caussa sint profecti, id accuratius haud definiamus, quum Chaldæorum, Phœnicum & Aegyptiorum monimenta ætas iam dudum consumserit. ad Aegyptios vero, qui sapientiæ sacræ & profanæ operam adeo consecrabant amplissimam, vt doctrinæ suæ gloriam spargerent & disseminarent in orbis terræ memoriam sempiternam, philosophi græci se contulerunt, quod exempla Musæi, Orphei, Thaletis, Solonis, Pherecidis, Pythagoræ, Lycurgi, Anaxagoræ, Democriti, Eudoxi, Archimedis & aliorum satis & abunde produnt. perceptis Aegyptiorum sapientiæ doctrinis, adhuc alias perlustrarunt regiones, prout Pythagoras Phœnices, Plato Italiam, Democri-

1 *lib. V. epigr. vlt.* 2 *lex. vniversal. voce:* schola *tom. IV. p. 95.* 3 *trat. de auditor. veter. tom. II. opp. p. 1367.*

tus

tus Abderita Chaldæos & Athenarum doctores adiit, id quod pluribus FRANCIVS [1] BVDDEVS [2] IACOBS [3] & IOECHERVS [4] exponunt. hunc modum colendi litteras felicioribus auspiciis romani quoque secuti sunt, qui vel post ingressum in forum, vel antea etiam, vel quandocunque occasio in bello, in prouinciis vel alia se ostendit, in exterorum litterarum sedes profecti. namque romanorum liberi, toga virili sumta, castra secuti stipendia merebant, etiam quibus animus non esset, ad fastigium ducis aliasque militiæ dignitates perueniendi, ne postea senatores aut proconsules ignari essent rerum bello gerendarum. nec in castris intermissa sunt studia litterarum; quum nec ipsi summi duces sibi temperarent, quin noctis saltem partem quandam litteris vindicarent; & sic fortitudinem ac bellandi peritiam cum humanitatis studiis & artium disciplinis tanto vinculo coniunxerunt, vt nemo in gente illa vel mediocriter clarus fuerit, quin vtroque præstare studio sibi curæ cordique haberet, si Caium Marium, facem illam ciuilis belli exceperis, cuius vox barbara apud SALLVSTIVM [5] legitur: GRAECAS LITTERAS NON DIDICI. quod commercium præstantissimarum virtutum religione confirmarunt, vno delubro & Herculis & Musarum sacra adeo arctissime complexi, vt LIPSIVS opere suo [6] nihil prodiderit, quod in admirationem æque rapiat, quam hæc diuersissimi ingenii deorum consociatio,

1 *de peregrin. veter. sapient. erud. ergo suscept.* 2 *analect. hist. philos. p. 4.* 3 *diatr de peregrin. erud. ort. progress. & fine.* 4 *analect. de philos. stud. mod. p. I. p. 15. sqq.* 5 *B. I. c. LXXXIX.* 6 *in admirand. veter. roma.*

quam armorum & litterarum concordiam plures exposuerunt, eamque ex historiarum monimentis protulerunt inlustratam, vide AVG. NIPHVM [1] IO. ROSAM [2] FREINSHEMIVM [3] BORRICHVM [4] CELLARIVM [5] MENCKENIVM [6] von SEELEN [7] CRENIVM [8] & alios, quos conlegit LINTRVPIVS. [9] qui ex romanis non semper militare sibi proposuerant, aut post certum temporis spatium reuersi, se oratori tradebant, quo vterentur, aut expeditionibus belli peractis frequentabant alias litterarum scholas, quod modo ante, modo post ingressum in forum factum est. romani filios ablegabant praecipue in graeciam, quae eloquentiae & bonae doctrinae omnis nutrix existimata. dicendi disciplina posteaquam sedem sibi ac templum delegerat *Athenas*, praecipue coeperunt eo se conuertere, quamuis illud incommodi prae aliis ciuitatibus haberent, quod innata gentis vanitate studia magis ad ostentationem, aut quaestum, quam ad vsum vitae & reipublicae referebant: de cetero autem linguae purioris Athenienses semper fuere custodes. *Apollonia* eloquentiae & politices studiis floruit, cuius officinas romani frequentarunt, in primis quum ei nihil defuit, ex quo eos, qui litterarum studiis consecrati, locorum natura & opportunitas adlicit. nec minus Asia musarum doctrinis abundauit, quarum saluti atque incremento in variis locis templa & domicilia erant sacrata, quo perti-

1 *de armor. literarumque comparatione.* 2 *de Martis & Musarum nuptiis.* 3 *in orat n XVII. p.* 309. 4 *dissert. acad. n. XVI. p.* 248 *tom. II.* 5 *orat. acad. n. I. p.* 8. *diss. acad. p. I. n. XV. p.* 353. 6 *de viris milit. aeque ac script. claris.* 7 *de praecoc. erud. p.* 33. *not.* 8 *in method. studior.* 1699. *p.* 553. 9 *praef. ad Borrich. orat.*

nent

.ent *Mitylene* vrbs clariſſima in Leſbo inſula; *Tarſus* nobiliſſima vrbs Ciliciæ, quam multi credunt eſſe, quæ toties in ſacris תרשיש Tharsis laudatur, quam peruulgarem opinionem uiſſe, HIERONYMVS [1] docet; *Cnidus* vrbs Cariæ; *Magneſia* Lydiæ, celebris propter ſtudia, quibus romani ibi addicti fuerunt, *Antiochia* Syriæ, & *Rhodus* præcipue, inſula Aſiatica clariſſima poſt Cnidi promontorium verſus orientem ſita. ſunt adhuc alii loci, quos petiiſſe romanos conſtat doctrinæ & culturæ ingenii cauſſa: prædicatur *Maſſilia* Phocæenſium ex Ionia colonia, portu, commerciis, munimentis, morum humanitate & litterarum ſtudiis celeberrima; *Neapolis*, cuius academia ob loci ſalubritatem opportunitatemque ita florebat, vt quasuis ſuo tempore alias ſuperaret; *Alexandria* totius Aegypti vrbs princeps & ſedes regum Lagidarum, omniumque græcarum artium & diſciplinarum, nec non mercaturæ opulentiſſimæ; *Croton* in magna græcia, vbi cœtus iuuenum æmulantium liberalioris doctrinæ ſtudia; *Sybaris* ab Achæis condita, quæ mira rerum proſperitate excelluit; *Locri* Epizephyrii; *Metapontus* clariſſima Pythagoræ obitu & templo. plures ſunt aliæ vrbes inprimis Italiæ, magnæ græciæ, quarum fama ad omnem memoriam propagata eſt, de quo momento pluribus poſſunt conferri CELLARIVS [2] & KRIEGKIVS. [3] eum in finem hæc loca docta abierunt potiſſimum, vt philoſophia, hiſtoria, eloquentia, quæ conueniret in vſu & luce forenſium

1 *in Daniel. X, 6. p. 1118. tom. III. opp. edit.* MARTIAN.
2 *in programmat. II. p. 6. ſqq.* 3 *diatrib. de peregrin. romanor. academico.*

rerum versaturis, ornarent animum. quemadmodum hæ fuerunt peregrinationes academicæ seu litterariæ, sic & alias susceperunt profectiones in regiones salubriores, ad tuendam valetudinem & firmum corporis habitum, vti præter alios SALOM. CELLARIVS[1] adnotat. spatium, per quod in his exterorum sapientiæ scholis sese exercuerunt & scientiæ ornamentis sua decorarunt ingenia, definiri non potest, quum id cuiusuis arbitrio, iudicio & voluntati erat relictum. sed tamen non defuerunt ex antiquiori ætate, qui de litterarum peregrinationibus haud benignius iudicarunt, quorum in numero censeti debet SENECA[2] qui ait: *& ex his, quæ mihi scribis, & ex his, quæ audio, bonam spem de te concipio. non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. ægri animi ista iactatio est.* hactenus de institutione litteraria.

§. V. Nunc rationes quasdam considerabo, quibus adultiores sua industria suaque opera variarum litterarum cognitionem duxerunt. quatuor etiam momenta debent notari: *lectio, meditatio, scriptio* & *disputatio.* libri, qui legebantur, varii erant generis pro diuersa multarum ratione. id, quod vel compaginari vel in volumen conuolui poterat, erat liber; quæ cura fuit librariorum. CICERO[3] *etiam vellem, mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio vtatur glutinatoribus, ad cetera administris, iisque imperes, vt sumant membranulam*, adde CARPZOVIVM[4] VOS-

[1] *de antiquit. medic. cap. V. & 104.* [2] *ep. 2. ad Lucil. adde ep. 28.* [3] *ad Attic. IV, 4.* [4] *ad Schickardum de iur. reg. Hebr. p. 92.*

SIVM

SIVM[1] SALMASIVM[2] PIGNORIVM[3] LEON. ALLATIVM[4] MANVTIVM[5] BARTHOLINVM[6] SAALBACHIVM[7] SCHWARTZIVM[8] PITISCVM[9] DOVGTAEVM[10] librarii dominis quoque exſcribebant libros. CICERO[11] *peto a te, vt quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem græcus: multum mihi enim eripitur operæ in exſcribendis hypomnematis.* confer PIGNORIVM[12] VRSATVM[13] BARTHIVM[14] WOWERVM[15] LONGVM[16] MASSON[17] CLERICVM,[18] libraria dominæ exſcribebat libros. lapis antiquus:

SEXTIA XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

quod veterum quisque manu ſua ſcripſerat, *αὐτόγραφον*, transſcriptum vero ſubinde *ἀπόγραφον* dicebatur, & quantum pretii & dignitatis habuerint *αὐτογράφοις*, ſolius Ptolomæi Philadelphi exemplum teſtatur, qui Athenienſibus annonæ penuria preſſis, non prius conceſſit alimenta, quam ſibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, Aeſchyli autographorum feciſſent poteſtatem. namque librarii ſæpe negligentes mendoſe ſcripſerunt codices, vti MARTIALIS[19] dicit:

1 *lexic. etymolog. p. 287. 567.* 2 *de modo vſurar. c. X. & ad olimum p. 278. 706.* 3 *de ſeruis p. 115. edit. Patau. 1656, proleg. libr de patria Homeri p. 20.* 5 *in Ciceron. famil. III, 7. 329.* 6 *de legendis libris diſſ. IV. p. 125 ſqq.* 7 *ſchediaſm. ſ libris veterum.* 8 *diſſert. tribus de ornament. lib. veter. seeni de nam. codicum.* 9 *lexic. ant rom. tom. II. p. 1104. voce volumen.* *analect. ſacris ad Eſai. XXXIV, 4. p. 256.* 11 *XVI, 21. ad Attic.* 12 *de ſeruis p. 113.* 13 *de not. rom theſ ant. rom* GRAE- *tom. XI. p. 828.* 14 *Aduerſ. L, 1. p. 2324.* 15 *de polymath. XVIII.* 16 *de annul. c. 8. p. 49.* 17 *vit. Horat. p. 76. 77.* *art. critic. p. 3. ſ. 1. c. 2. p. 24. vol. 2.* 19 *II. epigr. 8.*

Si qua videbuntur chartis tibi, lector in istis
siue obscura nimis, siue latina parum,
non meus est error, nocuit librarius illis,
dum properat versus adnumerare tibi:

quibus de caussis libros probæ fidei singulari studio vel vnius vocis gratia conquisiuerunt. Iulianus rhetor apud GELLIVM [1] *sed enim contentus, inquit, ego his non fui: & vt non turbidæ fidei, nec ambiguæ, sed vt puræ liquentisque esset* equus *ne*, *an* eques *Ennius scriptum reliquisset: librum summæ atque reuerendæ vetustatis, quem fere constabat Lampadionis manu emendatum, studio precioque multo vnius versus inspiciendi gratia conduxi: &* eques, *non* equus, *scriptum in eo versu inueni*. vtque certiores essent emendatæ & probæ scripturæ Codicum, vsi fuerunt grammaticorum sententiis, quod idem auctor [2] adnotat. hi libri manu exarati maiori olim sumtu parabantur, quam nostra ætate. MARTIALIS scribit, [3] *primum librum suum quinque denariis vendi solitum*: de Platone & Aristotele GELLIVS [4] *memoriæ mandatum est, Platonem philosophum tenui admodum pecunia familiari fuisse, atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum. id ei pretium donasse quidam scripserunt amicum eius Dionem Syracusanum. Aristotelem quoque traditum libros pauculos Speusippi philosophi, post mortem eius, emisse talentis Atticis tribus. ea summa fit numi nostri HS. duo & septuaginta*: adde DIOGENEM LAERTIVM. [5] sed tamen non defuerunt integræ bi-

1 *N. A. XVIII, 5.* 2 *lib. V c. 4.* 3 *lib. I. ep. 118. v. 17.* 4 *III, 17.* 5 *lib. III. segm. 9. lib. VIII. segm. 15. p. 169. 500.*

blio-

bliothecæ cum publicæ, quæ vt publici iuris eſſent, ſero inſtitutæ ſunt, tum priuatæ, quæ pæne multæ & inluſtres inſtar publicarum eruditorum vſui ſine inuidia patebant. [1] ad modum libros legendi pertinet conſuetudo excerpendi, quæ erant obſeruatione digna. PLINIVS [2] de ſe ipſo: *poſco librum Titi Liuii, & quaſi per otium lego, atque etiam vt cœperam, excerpo.* idem de auunculo ſuo [3] *æſtate, ſi quid otii, iacebat in ſole; liber legebatur: adnotabat excerpebatque.* adde GELLIVM. [4] quisque obſeruabat, quæ conditioni litterarum ſuarum conueniebant, quod SENECA [5] eleganter tradit: *cum Ciceronis libros de re publica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiæ deditus: alius alio curam ſuam mittit. philoſophus admiratur, contra iuſtitiam dici tam multa potuiſſe. cum ad hanc eandem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. nam de Seruii matre dubitatur? Anci pater nullus; numæ nepos dicitur. præterea notat, eum quem nos dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum. æque notat, Romulum periiſſe ſolis defectione. prouocationem ad populum etiam a regibus fuiſſe. eosdem libros cum grammaticus explicuit, primum* REAPSE *dici a Cicerone, id eſt re ipſa, in commentarium referet; nec minus* SEPSE, *id eſt ſe ipſe. deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſeculi mutauit*, reliqua libri excerptorum

1 *vid. ſcript. apud* FABRICIVM *bibliograph. antiq. c. XXI. n. VII.* 2 *lib. VI. ep. 20. n. 5.* 3 *lib. III. ep. 5. n. 13.* 4 *lib. IX. cap. 4. N. A.* 5 *ep. CVIII.*

ptorum dicti sunt *commentarii*, *commentaria*, a græcis *ὑπομνήματα*, vide BVDAEVM [1] & PITISCVM; [2] *breuiaria*, & olim magis latine *summaria.* SENECA [3] *vide ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam hæc, quæ nunc vulgo* BREVIARIVM *dicitur, olim cum latine loqueremur*, SVMMARIVM *vocabatur*, adde BERNEGGERVM [4] BOECLERVM [5] VOSSIVM [6] BORRICHIVM [7] PITISCVM. [8] ad hæc appellati sunt *memoriales*, *conlectanea*; *aduersariorum* vero nomen magis ad forum refertur, vide SALMVTHVM [9] COEL. RHODIGINVM [10] & SCHEFFERVM. [11] quum obseruarent quædam digna memoria, illa certis signis subnotarunt, ex quibus etiam in more fuit simplex L. & geminatum LL. quo indicabant locum laudabilem, & alibi etiam est L. SENT. *laudabilis sententia*; græci autem habebant notam X. quæ significabat *χρηστὸν* siue *χρήσιμον.* vide WOWERVM [12] SCALIGERVM [13] REINESIVM [14] MENAGIVM [15] & plures alios scriptores de notis & siglis veterum, quorum multos conlegit FABRICIVS [16] & SCHMIDIVS. [17]

§. VI. Nec solum ipsi libros legebant, sed id quoque in more habebant, vt pueris littera-

1 *Pand. p.* 104. 2 *ad Suet. Iul.* LVI. *n.* 1. *p.* 150. 3 *ep.* XXXIX. *pr.* 4 *ad Sueton. Aug. cap.* XXVIII. *p.* 144. 5 *ad Tacit. lib. Ann. I. c.* 11. *p.* 236. 6 *de vitiis sermonis I,* 26. *p.* 114. 7 *Cogit. de lat. lingua atat. p,* 52. 8 *ad Sueton. Aug. c.* CII. *n.* 7. *p.* 560. 9 *ad* PANCIROLLI *proœm. p.* 3. *de reb. memorab. f. deperd.* 10 *lect. antiq. lib.* XII. *c* 21. *p.* 653. 11 *de stilo cap.* XII. *p.* 135. 136. 12 *de polymath. c* XVII. 13 *not. ad lib. I. Varronis de re rustica.* 14 *var. lection.* III. 7. *p.* 471. 472. *add. lib. I. c.* 7. *p.* 19. 15 *ad Diog. Laert.* III. 66. *p.* 161. *tom.* II. 16 *biblioth. latin. lib.* II. *c.* 9. *p.* 363. *not. & supplem. p.* 156 *item lib.* IV. *c.* 6. 17 *de notar. eccles. c.* 1. *adde cohortem musarum sub nomine* GRAEVII *p.* 249.

tissimis

tiſſimis vterentur in ſtudiis ſuis, quorum munus erat, tam in feriis muſarum negotiis, quam inter epulas domino prælegere, quos græco vocabulo *anagnoſtas* & ex re ipſa *lectores* adpellabant. quapropter dicit NEPOS [1] *namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarii, vt ne pediſequus quidem quisquam eſſet, qui non vtrumque horum pulcre facere poſſet.* qua græca voce etiam CICERO [2] & VATINIVS [3] ad Ciceronem vtuntur; PLINIVS autem [4] & SVETONIVS [5] *lectores* habent. in domo Cæſarum erant liberti *a ſtudiis*, quorum opera in ſtudiis litterarum vtebantur imperatores, prout munere hoc functus eſt apud Claudium Polybius, quem Seneca conſolatur in morte fratris; [6] & Lemnus quidam, cuius mentio exſtat in veteri inſcriptione:

TI CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI CLAVDII
AVGVSTILIB.
A.STVDIIS.

ſed & in priuatis familiis, quæ paullo elegantiorem viuendi rationem inſtituebant, eiusmodi fuiſſe ſeruos, conſtat. quin etiam SERVIVS [7] mentionem facit *lectricis*; immo dominus ipſe non nunquam legebat: MARTIALIS. [8]

Parua eſt cœnula, quis poteſt negare
ſed finges nihil, audiesue fictum

1 *vit. Attic* XIII, 3. 2 *lib. I. ad. Attic. ep.* 12. 3 *lib. V. ep. 9. n. 6. ad diverſ.* 4 *lib. I. ep. 15. n. 2.* 5 *vit. Auguſt. cap.* LXXVIII. *n.* 3. 6 SVETON. *vit. Claud. c.* XXVIII. *n.* 4. 7 *ad Virgil.* XII. *Æn. v.* 159. *p.* 862. *tom.* III. *edit.* EMENESS. 8 *V,* 79. 22.

&

& vultu placido tuo recumbes,
nec crassum dominus leget volumen.

legebant monimenta poetarum, historicorum & oratorum, idque fiebat clare, expedite & sine praua pronuntiatione. PLINIVS [1] *memini quendam ex amicis, quum lector quædam perperam pronuntiasset, reuocasse & repeti coëgisse*: quibus de caussis a magistris docebantur, quos *prælectores* adpellant. GELLIVS [2] *ecquid putatis, si magistrum prælectoremque habuisset alicuius æris*, quadrupes equus *dicturum fuisse, ac non* quadrupes eques? PLINIVS de Zosimo [3] *idem tam commode orationes & historias & carmina legit, vt hoc solum didicisse videatur.* id quod fiebat præcipue inter cœnam, vt ex PLINIO [4] NEPOTE [5] GELLIO [6] clarum est: item si quid erat otii & a scribendo legendoque quiescebant, etiam noctu, quum expergefactis somnus recuperari statim non posset. SVETONIVS de Augusto [7] *si interruptum somnum recuperare, vt euenit, non posset, lectoribus aut fabulatoribus arcessitis, resumebat, producebat vltra primam sæpe lucem.* nec priuatim solum, sed & publice in concione populi legebantur libri, cuius rei exempla PLINIVS [8] & GELLIVS [9] habent. plura de anagnostis reperies apud ALEXANDR. ab ALEXANDRO [10] SCHOTTVM [11] SCHEFFERVM [12] PVTEANVM [13]

1 *lib. III. ep. 5. n. 12.* 2 *lib. XVIII. c. 5.* 3 *l. V. ep. 19. n. 3.* 4 *III. ep. 5. n. 11. I, ep. 15. IX. ep. 36. n. 4.* 5 *vit. Attic. XIV, 1.* 6 *II, 22. III, 19. XIX, 7. N. A.* 7 *vit. eius c. LXXVIII. n. 4.* 8 *lib. IV. ep. 7. n. 2.* 9 *lib. XVIII. c. 5.* 10 *II. c. 30. genial. dier.* 11 *obseru. V, 29. p. 241.* 12 *de stil. illiusque exercit. c. VII. p. 72. sqq.* 13 *reliq. conu. prisci tom. XII. p. 258. thes. ant. rom.* GRAEVII.

PIGNO-

PIGNORIVM [1] MEVRSIVM [2] HOFMANNVM [3] PITISCVM [4] FABRICIVM. [5] de ecclesiæ primorum seculorum anagnostis siue lectoribus varia produnt scriptores antiquitatum rerum sacrarum, quæ huius loci non sunt, vide RECHENBERGIVM [6]

§. VII. Grauissimum medium proficiendi in litteris & ingenium excolendi rite, meditatio est, sine qua verum vsum & fructum musarum ne sensu quidem gustare possumus, vti EDMVNDVS RICHERIVS [7] & BVDDEVS [8] cum aliis adnotarunt. hinc & Periandri oraculum fuit: μελέτη τὸ πᾶν, teste DIOGENE LAERTIO [9] adde GATAKERVM. [10] veteres romani & exemplis suis & monimentis, quæ posteritati tradiderunt, declararunt satis, quid meditationi exercitationique tribuerint. SENECA ait: [11] *apes debemus imitari & quæcumque ex diuersa lectione congessimus, separare. melius enim distincta servantur. deinde adhibita ingenii nostri cura & facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere: vt etiam si apparuerit, vnde sumtum sit, aliud tamen esse, quam vnde sumtum est, appareat. quod in corpore nostro videmus, sine vlla opera nostra, facere naturam.* quum doctrinæ studiis plane se darent, cogitationibus variis impleuerunt pectora sua, paria paribus, contraria contrariis, præterita præsentibus oppo-

1 *de seruis p.* 109. 2 *glossar. p.* 251. 3 *lexic. vniuers voce* anagnost. *tom. I. p.* 194. 4 *lexic. antiq. rom. voce* anagnost. *tom. I. p.* 91. *&* lectores *tom. II. p.* 28. 5 *bibliogr. antiq. cap. XIX. §. VI.* 6 *Hierolexic. p.* 60. *adde* VITRINGAM *de synagog. vetere variis locis.* 7 *obstetric. animor. c. IX. p.* 248. 8 *de cultura ingenii c. III. §.* 10. *p.* 429. *select. iur. nat & gent.* 9 *lib. I. segm.* 99. *adde* MENAGII *obseru. p.* 57. *tom. II.* 10 *diss. de stilo N. T. cap.* 1. *p.* 3. *opp.* 11 *epist. LXXXIV.*

nendo,

nendo, rerumque omnium cauſſas & varios euentus adcurate explorando. qua ope meditationis CICERO felices progreſſus in philoſophia fecit, prout ipſe dicit, [1] *ſed defendat quod quisque ſentit: ſunt enim iudicia libera: nos inſtitutum tenebimus, nullisque vnius diſciplinæ legibus adſtricti, quibus in philoſophia neceſſario pareamus, quid ſit in quaque re maxime probabile, ſemper requiremus*; etiam [2] e Catone refert, Publium Scipionem, eum qui primus Africanus adpellatus eſt, dicere ſolitum, nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam cum otioſus, nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet: & addit, hanc vocem eſſe magnificam & magno viro dignam, quæ declaret, illum & in otio de negotiis cogitare & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum, vt neque ceſſaret vnquam, & interdum colloquio alterius non egeret. meditationes autem inſtituerunt ſeparati ab aliorum ſocietate, animo aliis rerum negotiis & curis vacuo, locis amœnis, quod etiam ex lucubrationibus & seceſſibus romanorum conligere poſſumus. tempore balnei nonnunquam ſolebant meditari: SVETONIVS [3] *exſtat alter æque modicus Epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur*: PLINIVS de auunculo ſuo [4] *ſurgebat æſtate a cœna, luce: hieme intra primam noctis, & tanquam aliqua lege cogente, hæc inter medios labores vrbisque fremitum. in ſeceſſu ſolum balinei tempus ſtudiis eximebatur. quum dico balinei, de interioribus loquor. nam dum deſtringitur tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat.* idem [5] *accipies cum hac epiſtola*

1 *IV, 4. Tuſc. qu.* 2 *de offic. III.* 1 3 *vit. Aug. LXXXV. n.* 5. 4 *lib. III. ep. 5. n. 13. 14.* 5 *lib. IV. ep. 14. n. 2.*

hende-

hendecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter cœnam oblectamus otium temporis.

§. VIII. Pergamus ad ea, quæ ingenio elaborarunt, & *recitationem*, quæ facile princeps pars in studiis romanorum erat, attingamus. in vsu habebant poetæ aliique eruditi, vt si quem librum composuerant, antequam edebatur, vel amicis conuocatis, vel publice promiscuis auditoribus prælegerent, eorumque censura saltem vt ex signis vultuque obseruata vterentur, CELLARIVS obseruat. [1] recitatio non pertinebat præcipue ad adolescentes, sed ad adultiores, viros, & ipsos principes: hinc Domitianus recitauit publice, [2] & Claudius imperator *historiam in adolescentia, hortante T. Liuio scribere aggressus, frequenti auditorio commisit.* [3] præcipue autem exercitationem hanc poetæ, historici, etiam oratores instituerunt. poetæ carmina amoris & rei venereæ plena legerunt, vt auditorum beneuolentiam sibi facilius conciliarent, quamuis & tragœdias & virtutum præcepta recitando tradiderint. nec minus historiarum recitatio vsu recepta fuit, quæ non ostentationi, sed fidei veritatique compositæ erant. orationes non ita frequentes lectæ videntur, vti carmina & historiæ, quandoquidem PLINIVS [4] *quo magis miror, quod scribis, fuisse quosdam, qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem: nisi vero has solas non putant emendandas. a quibus libenter requisierim, cur concedant, si concedant tamen, historiam debere recitari, quæ non ostentationi, sed fidei veritatique componi-*

1 *ad Plin. ep. I, 13, 1. p. 31.* 2 SVETON. *II. 4.* 3 *idem XLI, 2.* 4 *VII. ep. 17. n. 2. 3.*

tur: cur tragœdiam, quæ non auditorium, sed scenam & actores: cur lyrica, quæ non lectorem, sed chorum & lyram poscunt. SVETON.[1] *recitantes & benigne & patienter audiuit, nec tantum carmina & historias, sed & orationes & dialogos.* sed tamen orationes recitasse, etiam forenses & accusationes, item funebres, ex veterum monimentis facile potest demonstrari. verum nec hæc res separata fuit ab abusu, quum nonnulli aliorum famam & bonam existimationem, quam ex meritis ingenii virtutumque conlegerant, recitandi specie deprimere sibi sumserint. sic Marcus Regulus, ingeniosissimus nequam librum recitauit publicauitque, in quo Rusticum Arulenum, integerrimum virum, Stoicæ philosophiæ addictum, quem ue Domitianus interfecerat, quod Pætum Thraseam a Nerone occisum laudauerat, insectabatur atque etiam Stoicorum simiam adpellabat.[2] ornamenta recitantium, eaque vera erant ingenium magnum & suauissima vox, quoniam magnæ fuit laudi, pronuntiasse sapienter, apte, decenter etiam. multi in eo adfectabant ornatissimam laudationem, vt loti prodirent, pexa coma, atque barba & candidati, quem morem ridet PERSIVS:[3]

Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
& natalitia tandem cum sardonyche albus,
sede legens celsa.

adde CASAVBONVM.[4] recitatio erat vel publica vel priuata. illius auditores fuerunt populus, qui tabula suspensa inuitatus est: priuata fiebat modo coram paucis amicis, quæ & ab

1 vit. Aug. c. LXXXIX, 7. 2 PLIN. lib. I. ep. 5. n. 1. 2.
3 satir. I, 15. 4 ad h. l. p. 505. edit. SCHREV.

aliis

aliis dicitur communicatio, modo coram pluribus & maiori adparatu, iisque tamen certis electisque. HORATIVS. [1]

Non recito cuiquam, nisi amicis idque coactus:
non vbiuis, coramue quibus libet.

amicos ad has recitationes audiendas aduocabant per codicillos, per libellos, & cui ritus hic videbatur ambitiosus, ille vsus est leuiori modo & amicos tantum admonuit, se recitare velle librum: formula inuitationis erat; *hodie vel cras meus esto auditor in domo mea.* e claris feminis nonnullæ quoque recitantibus adfuerunt, sed ab aliis auditoribus seclusæ, ne ab illis viderentur. Hispulla Plinii habebat libellos eius, lectitabat, magna sollicitudine, quum videretur acturus, magno, quum ageret, gaudio adficiebatur; disposuit, qui nuntiarent sibi, quem adsensum, quos clamores excitauerit, quem euentum iudicii tulerit Plinius: eadem, si quando recitauit, in proximo discreta velo, sedebat laudesque Plinii auidissimis excipiebat auribus. [2] recitabant vero sedentes, urdicebant stantes. in foro sedebant tantum iudices, dicentes stabant. hoc videlicet moris erat apud romanos, vt iustitiæ antistites certam in iudiciis sedem caperent, quumque duplex existeret genus iudicum, maiorum & minorum, illi in sella curuli, hi in subselliis iudicarent. quibus de caussis inter varia antiquitatis recondita monimenta, quæ ius Iustinianeum passim complectitur, hoc quoque est, quod quoties fere mentio fit eorum, qui præsunt iudiciis administrandis, non ambulantes illi aut stantes, sed tanquam proprium hoc iudicibus ac pe-

1 *lib. I. sat. 4.* 2 *lib. IV. ep. 19.* PLINII.

culiare foret, sedentes repraesententur. alii recitarunt ex scripto, alii vero memoriter, qui excellebant singulari & tenaci memoria. ad loca quod attinet, in quibus peragebant recitationes, illa modo publica, modo priuata pro diuersa recitationis & publicae & priuatae indole fuerunt. publice recitarunt in theatro, amphitheatro, odeo, basilicarum aliqua, atrio libertatis, athenaeo, aede Apollinis Palatini, luco Martis, via Appia, immo qui gloriae stimulis excitati, in ipso foro sua protulerunt. priuatim recitarunt in aedibus suis, quibus autem locus non erat auditoribus capiendis, domum mutuabantur, subsellia conducebant, nec maecenates deerant & studiorum fautores, qui aedes suas honestissimis exercitationibus praeberent: auctor dialog. de causs. corruptae eloquentiae [1] *domum mutuatur & auditorium exstruit & subsellia conducit & libellos dispergit.* IVVENALIS [2]

si dulcedine famae
succensus recites, Maculonus commodat aedes.

adde CASAVBONVM [3] vsi quoque sunt aedium porticibus, item balneis. PETRONIVS [4] *relicto Eumolpo: nam in balneo carmen recitabat.* HORATIVS [5]

in medio qui
scripta foro recitent, sunt multi, quique lauantes

ita insectatur poetam MARTIALIS [6]

Et stanti legis & legis sedenti:
in thermas fugio, sonas ad aurem.

quod ad tempus adtinet, recitationibus praesertim poetarum mensis Iulius & Augustus di-

1. *c. IX. n. 6.* 2 *VII, 39.* 3 *ad Theophrast. p. 170.*
4 *satiric. XCI.* 5 *d. l.* 6 *III, 44. 10.*

cati

cati erant. PLINIVS [1] *vtque iam nunc adsuescerent, & ab otiosis & in triclinio audiri, Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt, positis ante lectos cathedris, amicos conlocaui.* namque tempore messis cessabant lites & iudicia. vt iam supra monui. STATIVS [2]

certe iam Latiæ non miscent iurgia leges
& pacem piger annus habet, messesque reuersæ
dimisere forum.

mensis augusti mentionem facit IVVENALIS [3]

& augusto recitanteis mense poetas

immo aprilis meminit PLINIVS [4] *toto mense aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* recitationes durarunt ad tempus modo duorum, modo trium dierum, & heic maxime recitantis dignitas & facultas, rei, quam recitarunt, grata perceptio eiusdemque elegans elaboratio consideranda erant. nimis diuturna recitatio, præcipue quum plena fuerit rerum fabulosarum, secum vitiosam offensionem, fastidium & satietatem audiendi habuit, de cuiusmodi recitatione agit HORATIVS: [5]

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus,
quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

finis recitationum varius fuit: alii, qui laudis studio trahebantur, non aliam mercedem laborum suorum desiderabant, præter fructum laudis & gloriæ, & in id omnes conferebant cogitationes, ne cum vitæ tempore, quod exiguis circumscriptum regionibus, commemoratio nominis dimitteretur, sed comes esset posteri-

1 *lib. VIII. ep. 21. n. 2.* 2 *lib. IV. silu. 4. v. 39.* *adde* BARTHII *not. tom. I. p. 383 sqq.* 3 *sat. III. v. 9.* 4 *lib. I. ep. 13. n. 1.* 5 *de art. poet. extr.*

 tatis

tatis omnis. sequebantur enim adclamationes & plausus auditorum, ex quibus recitantes magnum gaudium & singularem opinionem existimationis suae trahebant. alii, qui paupertatem ferebant, recitando alios laudarunt, vt sportulas & coenas acciperent. MARTIALIS; [1]

Laudantem Selium, coenae quum retia tendit,
accipe, siue legas, siue patronus agas.
effoete, grauiter, cito, nequiter, euge, beate!
hoc volui, facta est iam tibi coena, tace.

adde ERNESTI. [2] alii iique sapientiores emendationi viam aperuerunt. PLINIVS [3] *recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer: paucos, vt verum audirem. nam mihi duplex ratio recitandi: vna, vt sollicitudine incendar, altera, vt admonear, si quid forte me, vt meum fallat. tuli quod petebam: inueni, qui mihi copiam consilii sui facerent. ipse praeterea quaedam emendanda annotaui. emendaui librum, quem misi tibi.* quo etiam spectat illud Theophrasti apud DIOGEN. LAERTIVM [4] αἱ ἀναγνώσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις, *recitationes emendationis auctores sunt.* hic mos sane saluberrimus, quo factum fuit, vt primum ipsi eruditi cognitionem suam redderent pleniorem, deinde nihil exiret in publicum, nisi cura limatum, & de consilio eruditorum emendatum. atque ita in more habuerunt ea, quae ingenio elaborauerant, emendare: QVINCTILIANVS [5] *emendatio, pars studiorum longe vtilissima. neque enim sine caussa creditum est, stilum non minus agere, cum debet.* duplex erat emendationis

1 *lib. II. ep. 27.* 2 *de sportul. rom. quotid. p. 19.* 3 *lib. IV. ep. 13. adde ep. 3.* 4 *lib. V. segm. 37.* 5 *X, 4.*

offi-

officium: vnum fuit, ſcripta diligenter relegere ac recognoſcere. CICERO [1] *codicem legiſſe dicebatur. defendebatur, teſtibus collegis ſuis, non recitandi cauſſa legiſſe, ſed recognoſcendi.* PLINIVS [2] *petis, vt libellos meos recognoſcendos emendandosque curem.* alterum fuit retractare. idem [3] *exſpectabis orationem plenam onuſtamque & exſpectabis diu: neque enim leuiter & curſim, vt de re tanta, retractanda eſt.* GELLIVS [4] *in his, quae* (a Virgilio) *videntur retractari & corrigi debuiſſe, is maxime locus eſt, qui de monte Aetna factus eſt.* ipſum negotium officii huius vtriusque in eo conſiſtit, ut addamus, detrahamus, immutemus, quod laborioſum quidem & taedio plenum, ſed difficultate ipſa fructuoſum. ſed tamen aliquis modus obſeruandus eſt, ne nimia cura deterat magis, quam emendet, neue nos a recentioribus reuocet, quod QVINCTILIANVS [5] & PLINIVS [6] teſtantur. ad haec non tam vocis cauſſa, quam ſtomachi interdum recitarunt, prout CORNELIVS CELSVS [7] *ſi quis ſtomacho laborat, legere clare debet; poſt lectionem ambulare.* plura de recitandi ritu vide apud PANCIROLLVM [8] SALMVTHVM [9] VOSSIVM [10] FERRARIVM [11] LIPSIVM [12] DEMPSTERVM [13] SCHEFFERVM [14] CASAVBONVM [15] IAC. THOMA-

1 *orat. in Vatin. c. 2.* 2 *lib. IV. ep 26. add lib. VIII. ep. 17.* HORAT. *lib. I. ſat.* 10. 3 *lib. IV, ep. 9. n. 23. add. lib. VIII. ep. 21. n. 6.* 4 *XVII, 10. add. III. 3.* 5 *d. l.* 6 *lib. VIII. ep. 21. lib. IX. ep. 35.* 7 *lib. I. c. 8 pr.* 8 *rerum deperd. t. lib. 1. tit. 42.* 9 *ad Panciroll. d. l. p. 147.* 10 *de recitat. veterum cap. VII. ſeq. de imitation.* 11 *de acclam. III, 3. p. 93. theſ. ant. rom.* GRAEVII *tom. VI.* 12 *centur. 2. ep. 48. ad Belgas.* 13 *paralip. ad Roſin antiq. rom. I, 14. p. 64.* 14 *de ſtilo c. IX. p. 98. it. c. IIX. p. 80.* 15 *ad Sueton. Aug. c. 89. p. 278. ed.* GRAEVII 1672.

SIVM [1] SIRMONDVM [2] OMEISIVM [3] HOFMANNVM [4] CELLARIVM [5] MASSONVM [6] KRIEGKIVM [7] PITISCVM [8] FABRICIVM [9] præter hæc dignum eſt obſeruatione, quod feminæ interdum maritos ſuos adiuuerint, quarum ASIDONIO [10] plures celebrantur, Marcia Hortenſii, Terentia Tullii, Calpurnia Plinii, Ruſticiana Symmachi, quæ candelas & candelabra tenuerint, item quod ſæpe verſum Corinna cum ſuo Naſone compleuerit, Lesbia cum Catullo, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.

§. IX. Ad modos, quibus ſe veteres romani in litterarum doctrinis exercuerunt, *diſputationes* quoque referre, non ab re erit. fructuoſum eſt, ſi conſuetudine litteratiſſimorum hominum vtamur, & cum iſtis collocutionem & ſermonem de rebus muſarum conferamus. ex quo id conflatur efficiturque, vt ea quæ ipſi legimus, ad vitæ vſum conformentur, & largior occaſio ad veri inquiſitionem atque inueſtigationem offeratur. quum diſputauerint veteres, modo ad certas diſputandi regulas accommodarunt ſermonem ſuum, modo continuam orationem exercitiis ſuis aptiſſimam eſſe iudicarunt. illa ratio philoſophorum præcipue propria fuit, & e græcia ſuam deriuat originem. namque veteres philoſophi diſputarunt modo per dialogos, modo per inductionem, modo per ſoriten, modo methodo Megarica,

1 *ad Plinii epiſtol. var. locis.* 2 *ad Sidon. ep. 9. lib 2. tom. I. p. 894. opp. & ad l 16. ep. 8. p. 939.* 3 *diſp. de recit. veter.* 4 *lexic. vniverſ. tom. IV. voce* recitatio. 5 *diſſ acad. p. 364.* 6 *vita Horat. p. 171. ſqq.* 7 *de mod. inclar. roman. p. 15.* 8 *lexic. antiq. rom. tom. II. p. 599. 600.* 9 *bibl. antiq. c. XIX. n. 6.* 10 *lib. II ep. 10.*

Cy-

Cynica, syllogistica, & quæ aliæ fuerunt disputandi rationes. ante Platonem dialogi rudes atque impoliti erant, quibus Plato elegantiam & perfectionem addidit. inductio fuit oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem eius, qui cum instituta est: quibus assensionibus facit, vt illi dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur, vti CICERO [1] loquitur. sorites erat genus disputandi Stoicorum, quum aliquid minuatim & gradatim additur aut demitur, quod CICERO [2] captiosissimum, lubricum, periculosum, vitiosum, tortuosum adpellat. philosophi Megarici ob argumentationes captiosas dicti sunt eristici & dialectici: syllogismus autem fuit peripateticorum. quod ad romanos pertinet, vsi quidem sunt variis disputandi modis, quos & in scriptis suis sequebantur pro diuerso sectarum genere, quibus sese addicebant, quamuis ipsum philosophiæ lumen, etiam logices sero exoriri cœperit. Cicero diligens auctor philosophiæ, quam cum eloquentiæ & iuris scientia adeo coniunctam esse cognoscebat, vt sine vtriusque detrimento nequeant separari, in id contulit cogitationes animi meditationesque, vt hæc princeps literarum pars acciperet alimenta sua, & ipse egregium opus Trebatio inscriptum protulit in lucem. verum quum disputationis romanorum fecimus mentionem, intelligimus præcipue illos sermones, quos cum familiaribus & aliis litteratissimis ingeniis instituerunt, ita vt duo, tres aut plures coniuncti in varias res explicando atque inlustrando inquisiuerint. eruditi itaque

1 *de inuent. I, 31.* 2 *lib. IV. c. 16. 28. 31. academ. quæst.*

 do-

doctrinæ cauſſa in varia loca conuenerunt, & in ambulationibus, bibliothecis, muſeis alter alterum ingenio reddidit pleniorem. ſic GELLIVS ſub gratiſſima veris initia apud balneas Sitias in area ſub calido ſole cum Fauorino philoſopho ambulabat, atque ibi inter ambulandum legebatur Catilina Salluſtii; [1] ſic ambulauit in lycei atriis veſpera cum ſodalibus, Catulli carmina examinans; [2] in Agrippæ campo cum duobus grammaticis de analogia linguæ latinæ differens, [3] cum duobus philoſophis celeberrimis & Fauorino ſuo in littore, quum iam aduesperaſceret, ætate noui anni, de ſumma felicitate diſputans; [4] in libraria ſedens contra quendam inepte ambitioſum, de loco quodam ex ὑδϱοκϱύων M. Varronis diſſeruit: [5] in bibliotheca templi Traiani vna cum aliis edicta veterum prætorum explicauit; [6] in bibliotheca Tiberianæ domus cum Sulpicio Apollinari aliisque de titulo libri cuiusdam M. Catonis Nepotis verba fecit, [7] vt de aliis locis taceam, quæ iam conlegit ESCHENBACHIVS: [8] nec minus in conuiuiis ſe ſermonibus doctis & iocoſis delectabant, & eruditi doctas cœnas vel domi, vel in fundis inſtituebant, qualem Iulii laudat GELLIVS [9] *in agro Vaticano Iulius Paulus poëta, vir bonus & rerum litterarumque veterum impenſe doctus, herediolum tenue poſſidebat. eo ſæpe nos ad ſeſe vocabat & oluſculis pomisque ſatis comiter copioſeque inuitabat.* Annianus poeta in fundo ſuo, quem in agro Faliſco poſſidebat, agitare erat ſolitus vindemiam hilare cum familiaribus ſuis

1 *lib. III. c. 1. N. A.* 2 *VI, 16.* 3 *XIV, 5.* 4 *XVIII, 1.* 5 *XIII, 30.* 6 *XI. 17.* 7 *XIII, 19.* 8 *diſſert. acad. p. 281. ſqq.* 9 *XIX, 7.*

inter

inter pocula & sermones eruditos, teste eodem auctore: [1] Laurentius, ciuis romanus & omnibus fortunae opibus praeditus, eruditos disciplinis & honestis artibus conuiuas ad se vocauit, & ex eorum collocutionibus singularem coepit amoenitatem, vt tradit ATHENAEVS. [2] vsus conuiuiorum & congressus philosophorum in graecia frequens fuit, quorum symposia eandem faciem cum societatibus litterarum habuerunt, vt ex actis patet, quae nobis a XENOPHONTE [3] PLVTARCHO [4] ATHENAEO [5] CLEM. ALEXANDRINO [6] GELLIO [7] & aliis, quos conlegerunt ESCHENBACHIVS [8] & VOCKERODT, [9] conseruata sunt: adde STVCKIVM. [10] quae ex eruditorum virorum familiari sermone didicerunt, ea veteres romani in vsum suum aliorumque notarunt, & vestigia omnino eorum librorum, qui nostra aetate in ANA prodierunt, in antiquitatis monimentis suis reliquerunt. inlustre exemplum QVINCTILIANVS [11] praebet, quum eos, qui libros tres de iocis Ciceronis maiori industria, quam iudicio conscripserunt, reprehendit, ipsum autem institutum laude indignum minus iudicat: *vtinam*, inquit *Quintus & libertus eius Tiro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent, & plus iudicii in eligendis, quam in congerendis studii adhibuissent: minus obiectus calumniantibus foret.* nec est, quod miremur, varia iocose & eleganter di-

1 *XX, 8.* 2 *I, 2. Deipnosoph.* 3 *sympos. philos.* 4 *conuiu. sapient.* 5 Δειπνοσοφιστῶν λόγοις. 6 *Stromat. libris.* 7 *Noct. lib. Attic.* 8 *d. l. p. 289.* 9 *introd. in not. societ. p. II. c. 3. §. 3. p. 109.* 10 *antiquit. conuiual. III, 17, 18, 19.* 11 *VI, 4. instit. orat.*

cta

cta relata esse ad Ciceronem mortuum veluti autorem, quum ipsi adhuc viuo aliorum ioca, dicteria, in his etiam aliena ab ingenio eius tanquam parenti tribuerunt, de qua re conqueritur [1] *ais, vt ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri. quid? tu id pateris? nonne defendis? non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, vt cognosci sua sponte possent.* confer VOSSIVM [2] & IONSIVM. [3] qui mos e graecia sane ad romanos transmigrauit, quoniam graeci aliorum praecepta atque instituta, etiam iocose dicta eadem ratione conlecta conseruarunt, quod pluribus exponit WOLFIVS. [4] quum romani in villas suas secederent, ibi alii litterarum doctores conuenerunt, & erudito sermone ingenio animoque suaue pararunt alimentum, quod de Cicerone constat. in Tusculano duo habuit gymnasia, alteri Lyceo nomen fuit, alteri academiae. hinc dicit: [5] *quibus de rebus & alias saepe & paullo accuratius nuper quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. nam cum ambulandi caussa in Lyceum venissemus: (id enim superiori gymnasio nomen est) perlegi, ille inquit, tuum paullo ante tertium de natura deorum*, cetera: & alio loco [6] *his autem libris exposita sunt ea, quae a nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata.* de villa agri Puteolani agit PLINIVS [7] adde CELLARIVM [8] & STRVVIVM. [9] disputationes, quas

1 *VII. ep. 32. n. 2. 3 ad diuers.* 2 *de histor. lat. lib. I. c. 17. p. 84.*
3 *de script. histor. philos III, 17.* 4 *praefat. ad Casaubon.*
5 *lib. I. c. 5. pr. diuin.* 6 *lib. III. c. 3. Tusc. quaest.* 7 *lib. XXXI. c. 2. H. N.* 8 *notit. orb. antiq. lib. II. c. 9 p. 841*
9 *introduct. ad rem litter. c. X. §. 3.*

gram-

grammatici instituebant, interdum nullius fuerunt momenti: de Tiberio scribit SVETONIVS [1] *nam & grammaticos, quod genus hominum præcipue, vt diximus, appetebat, eiusmodi fere quæstionibus experiebatur*: quæ mater Hecubæ: quod Achilli nomen inter virgines fuisset: quid Sirenes cantare sint solitæ? verum SENECA [2] tales quæstiones deridet: *hoc quidem me quærere vtrum maior ætate fuerit Homerus, an Hesiodus, non magis ad rem pertinet, quam scire, an minor Hecuba fuerit, quam Helena, & quare tam male tulerit ætatem. quid, inquam, annos Patrocli & Achillis inquirere, ad rem existimas pertinere? quæris, Vlysses vbi errauerit, potius, quam efficias, ne nos semper erremus?* adde MENCKENIVM. [3]

§. X. Ex superioribus iam colligi potest, quod veteres singularem curam & diligentiam ad colendas litteras contulerint. Eudoxus in cacuminibus excelsissimi montis ad senectutem vsque vixit, vt astrorum cœlique motus obseruaret & de istis posset explicare. Chrysippus multos conflabat libros, omneque quod incideret, mandabat litteris, ac sæpe emendabat, magnaque testimoniorum copia vtebatur. Lysippum statuæ vnius lineamentis inhærentem exstinxit inopia, & Euclides Socraticus tempore noctis ad Socratem se Athenas contulit, vt præceptis eius vteretur, quum decreto grauissimo Athenienses cauissent, vt si quis Megarensium intulisse pedem Athenas esset deprehensus, ei id esset capitale, GELLIVS. [4] de Cleanthe refert DIOGENES LAERTIVS [5]

[1] *cap LXX. n. 6.* [2] *epist. LXXXVIII.* [3] *declam. de charlat. p.* 108. *edit. III.* [4] *lib. VI. c.* 10. *N. A.* [5] *lib. VII. segm.* 168. *add.* VAL. MAX. *VIII.* 7.

Dis-

διεβοήθη δὲ ἐπὶ φιλοπονίᾳ, ὥς γε πένης ὢν ἄγαν ὥρμησε μισθοφορεῖν· καὶ νύκτωρ μὲν ἐν τοῖς κήποις ἤντλει, μεθ' ἡμέραν δὲ ἐν τοῖς λόγοις ἐγυμνάζετο, *memoriæ proditum eſt, ipſum laborioſiſſimum fuiſſe, adeo, vt inopia cogente mercenariam faceret, ac noctu quidem in hortis hauriret aquas, interdiu autem operam ſtudiis liberalibus daret.* omnino multi fuerunt, qui ex ſapientia & philoſophia non retinuerunt modum, adi GAVDENTIVM [1] & id, quod naturæ debemus & valetudini neceſſarium, ſubtraxerunt. egregia de his eſt QVINCTILIANI [2] ſententia: *in omni ſtudiorum genere bona valetudo, quæque eam maxime præſtat, frugalitas neceſſaria eſt, quum tempora ab ipſa rerum natura ad quietem refectionemque nobis data, in acerrimam laborem conuertimus, cui tamen non plus irrogandum eſt, quam quod ſomno ſuperfuerit, haud deerit.* quid iuuat, Epicteti lucernam fictilem pretio quam maximo ſibi comparare, LVCIANVS. [3] quod veteres romani ſtudioſa cura ac diligentia in cultura atque vſu muſarum verſati ſint, in hanc rem eorum lucubrationes teſtantur perſpicue. SENECA dixit [4] *generoſos animos labor nutrit*, ex quo eſt, quod nec illis dies aliquis tam longus fuerit, quin de nocte adiungendum eſſe aliquid exiſtimauerint. quamuis duplex ſit lucubratio, alia veſpertina, quæ protrahitur in ſeram noctem, alia matutina, qua ante lucem operamur: antelucana tamen ſtudia græci & romani plerumque prætulerunt. lucubrationes poſt cœnam nocent valetudini, matutinæ vero tam animo, quam corpori ſunt ſalubrio-

1. *prælect. I. in uit. Agricol.* 2 *lib. X. c. 3.* 3 *tom. II. oper. p. 386. edit. GRAEVII.* 4 *ep. XXXI.*

lubriores, quia tum peracta est concoctio & detritas vires reparauit quies. hinc CORNEL. CELSVS [1] *sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem*: & SENECA [2] de Latrone Porcio: *post cœnam fere lucubrabat, nec patiebatur alimenta per somnum quietemque æqualiter digeri, sed perturbata & dissipata in caput agebat. itaque & oculorum aciem contuderat & colorem mutauerat.* exempla romanarum lucubrationum, quæ maxime ad litterarum colenda studia sustinebantur, varia deprehendimus. CICERO æque contractioribus, hoc est æstiuis noctibus aliquid lucubrauit, ac maioribus & hibernis vigiliis solitus erat agere. [3] SENECA de se ipso scribit [4] *nullus mihi per otium dies exit: partes noctium studiis vindico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque in opere detineo.* MARTIALIS. [5]

Inde lego Phœbumque cio, musamque lacesso.
dum paruus lychnus modicum consumat oliui.
hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

in primis inlustre C. Plinii secundi, a sororis filio [6] descriptum exemplum est. postquam rogatus Marco libros auunculi, quos composuerat, fecerat notos, de caussa etiam tot voluminum, hoc est miranda industria perscribit: *erat*, inquit, *acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. lucubrare vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi, statim nocte multa: hieme vero, ab hora septima, vel quum tardissime, octaua, sæpe sexta. erat sane somni parcissimi: nonnunquam*

1 *lib. I. c. 2.* 2 *præf. lib. 1. controuers.* 3 *Paradox proœm.* 4 *ep. VIII.* 5 *IV., 90, 4. 8. 9.* 6 *lib. III. ep. 5. n. 8. 9.*

etiam

etiam inter studia instantis & deserentis. LVCRETIVS[1] Memmium, cuius gratia laborabat assidue, ita alloquitur:

Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas
suauis amicitiæ quemuis efferre laborem
suadet, & inducit noctes vigilare serenas.

habebant veteres lecticulas lucubratorias, eodem fixas loco, in quibus recumbentes lectioni, meditationi, scriptioni operam dabant, quumque ab aliis lectis non differrent, dicebantur lecti. PLINIVS[2] *Caius quidem Fannius quod accidit, multo ante præsensit. visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium ita, vt solebat. mox imaginatus est, venisse Neronem, in toro resedisse: promsisse primum librum, quem de sceleribus eius ediderat, eumque ad extremum reuoluisse, idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abiisse.* de Augusto tradit SVETONIVS[3] *quod a cœna se in lecticulam lucubratoriam receperit.* NASO[4]

Non hæc in nostris, vt quondam scribimus hortis,
nec consuete meum lectule corpus habes.

confer SCHEFFERVM[5] THOMASIVM.[6] græcis ante lucano studio Demosthenes præluxit, de quo probatus eius æmulator CICERO[7] refert, *cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria*; cuius lucerna abiit quoque in prouerbium ex his lucubrationum antiquitatibus caussa facile potest cognosci, cur græci & romani noctuam pro sym-

1 *lib. I. v.* 141. 2 *lib. V. ep.* 5. *n.* 5. 3 *cap. LXXVIII. n.* 2.
4 *lib. I trist. eleg.* 10. *v.* 37. 5 *de re vehicul. II,* 5. *p.* 113.
6 *ad dictam Plin. epist. p.* 327. 7 *Tusc. quæst. IV,* 19.

symbolo sapientiæ & prudentiæ habuerint, vid. SPANHEMIVM.[1] de ipso autem lucubrandi ritu confer MVRETVM[2] CAROLI[3] CELLARIVM.[4] num vigiliæ vespertinæ, an matutinæ conducant, de eo disputat GABRIEL NAVDAEVS.[5] vsus vigiliarum a christianis quoque primorum seculorum receptus erat, quorum antelucana sacra ab hostibus æque ac propriis scriptoribus sunt laudata, nec incognita sacra vespertina in tempore victus, id est cœnæ, quæ ἀγάπη dicebatur, adi BOEHMERVM.[6]

§. XI. In more positum romanis erat, vt e vrbe in villas secederent. *secessus* dicebantur ipsa loca in litoribus & rure solitaria, ipsæ villæ: & significabant quoque ipsam vitam, quæ priuata atque in studiis maxime agebatur. villa olim vna domus fuit virorum nobilium, vnde nominantur Luculli, Metelli, Ciceronis. erat vel vrbana, ea quippe pars, quam sibi recepit dominus, quæ amœnior fuit atque elegantior; vel rustica, quam villicus colonus sibi habitandam obtinet. adhæc erat aut hiberna, aut æstiua: in illa pater familias per hiemem, in hac per æstatem fuit, cuius membra cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes, reliqua: maxime ad mare sitæ emebantur, & omnibus, quæ ad magnificentiam atque amœnitatem spectant, ornabantur. habebant arbores, xystos, statuas, porticus, marmora, siluas, fontes, aquarum ductus, vid. PITISCVM.[7] atque in has villas secedebant

1 *dissert. de numism. præst. III. p. 167. ed. 1706. fol.* 2 *var. lect. XVIII. c. 13.* 3 *obseruat. in Gell. I, 1. animaduers. 2.* 4 *dissertat. acad. p. 399.* 5 *quæstion. III. iatrophilologica.* 6 *diss. iur. eccles. antiq. diss. II. p. 35 sqq.* 7 *lexic. antiq. rom. tom. II. p. 1086.*

G pro-

proceres & alii eruditi, vt ibi negotiis publicis & curis animus esset vacuus, maiori suauitate colerentur litteræ, & prosperitati corporis ac robori consuleretur. de Augusto dicit SVETONIVS [1] *ex secessibus præcipue frequentauit maritima insulasque Campaniæ aut proxima vrbi oppida, Lanuuium, Præneste, Tibur, vbi etiam in porticibus Herculis templi persæpe ius dixit.* & de Caligula [2] *inter hæc absentem senatum, populumque grauissimo obiurgauit edicto, quod Cæsare præliante & tantis discriminibus obiecto, tempestiua conuiuia, circum & theatra, & amœnos secessus celebrarent.* varios secessus commemorat STATIVS [3]

Iam terras, volucremque polum, fuga veris aquosi
laxat, & Icariis cælum latratibus vrit.
ardua iam densæ rarescunt mœnia romæ:
hos præneste sacrum, nemus hoc glaciale Dianæ,
algidus aut horrens, aut Tuscula protegit vmbra:
Tiburis hi lucos, Anienaque frigora captant.
te quoque clamosæ quæ nam plaga mitior vrbi
subtrahit? æstiuos quo decipis aëre soles?

per tempus, quo vitam agebant in villis variis modis animum curamque a grauioribus negotiis laxare laborarunt. Augustus animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, seu globulis calculis in formam ocellorum factis, nucibusque ludebat cum pueris minutis, vt dicit SVETONIVS. [4] sæpe CICERO [5] audiuit, Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incre-

1 *LXXII, 5.* 2 *XLV. n. 6.* 3 *sil. IV, 4, 12.*
4 *c. LXXXIII, 2.* 5 *de orat. II, 6.*

dibi-

dibiliter repuerascere esse solitos, cum rus ex vrbe tanquam e vinculis euolauissent. addit, quod non audeat dicere de talibus viris, sed tamen ita soleat narrare Scæuola, conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Laurentum legere consuesse, & ad omnem animi remissionem ludumque descendere. & de Scæuola dicit VAL. MAXIMVS [1] *Scæuola quietæ remissionis eorum certissimus testis, optimæ pila lusisse traditur: quia videlicet ad hoc diuerticulum animum suum forensibus ministeriis fatigatum transferre solebat. alueo quoque & calculis vacasse interdum dicitur, cum bene ac diu iura ciuium & ceremonias Deorum ordinasset. vt enim in rebus seriis Scæuolam, ita & in scurrilibus lusibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem esse non sinit.* CICERO sic complexus est otium, vt ab eo diuelli non potuerit: aut libris se delectauit, quorum habebat Antii festiuam copiam, aut fluctus numerauit. [2] quod ad eruditos secessus attinet, illorum exempla antiquitas suppeditat multa. PLINIVS [3] *possum iam repetere secessum & scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse, sed creditor.* & alio loco [4] laudat prædium in agro iuxta oppidum Laurentum ob gratiam villæ, opportunitatem loci, litoris spatium, & addit: *iustisne de caussis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum.* Terentius iunior equestribus militiis atque etiam procuratione Narbonensis prouinciæ integerrime functus, recipiebat se in agros suos, paratis honoribus tranquillissimum

1 *lib. VIII. c. 8.* 2 *lib. II. ep. 6. ad Attic.* 3 *I. ep. 13, 7.* 4 *lib. II. ep. 17.*

otium præferebat. hunc admiratur PLINIVS[1] & dicit: *quam tersa omnia? quam latina? quam græca? nam tantum vtraque lingua valet, vt ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. quantum ille legit? quantum tenet? Athenis viuere hominem, non in villa putes. quid multa? auxit sollicitudinem meam, effecitque, vt illis, quos doctissimos noui, non minus nos seductos & quasi rusticos verear.* præcipue id moris erat, vt si senectutem attigissent, e republica in honestum otium secederent. hanc quietem Silius Italicus in Campania inuenit, vbi plures villas possidebat, quæ eos dominos quondam habuerant, quos ipse imitatus est plurimum, Ciceronis puta atque Virgilii, illius nempe academiam, huius, quæ sepulcrum domini continebat: de vtraque cum laude ita canit MARTIALIS.[2]

Silius hæc magni celebrat monimenta Maronis,
iugera facundi qui Ciceronis habet.
heredem dominumque sui tumulique larisque
non alium mallet nec Maro nec Cicero.

PLINIVS[3] de Pomponio: *ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicæ, quam diu decebat, obtulerit. nam & prima vitæ tempora & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, vt ipsæ leges monent, quæ maiorem annis LX otio reddunt. quando mihi licebit? quando per ætatem honestum erit imitari istud pulcerrimæ quietis exemplum? quando secessus mei non desidiæ nomen, sed tranquillitatis accipient?* in hisce secessibus solebant multum disputare, multum audire, multum scribere,

1 lib VII. ep. 25. 2 lib. XI. epigr. 49. 3 IV. ep. 23. n. 2. add. III, 1, 12.

multum

multum lectitare. MINVTIVS FELIX quum Ostiam amœnissimam ciuitatem peteret, & diluculo ad mare in ambulando pergeret, vt & aura adspirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret, Cæcilius dedit occasionem, de religione disputandi, quod ex dialogo patet, quem a principe conloquentium persona Octauium inscripsit. ludorum romanorum diebus L. Crassus quasi colligendi sui caussa, se in Tusculanum contulit. venerunt eodem Quintus Mucius, M. Antonius, homo & consiliorum in republica socius, & summa cum Crasso familiaritate coniunctus. exierant cum ipso Crasso adolescentes & Drusi maxime familiares, & in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suæ conlocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. hi primo die de temporibus illis, deque vniuersa republica, quam ob caussam venerant, multum inter se vsque ad extremum tempus diei conlocuti sunt. quo quidem in sermone multa diuinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, vt nihil incidisset postea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent, vt CICERO [1] loquitur. generosissimus quisque romanus in singulis villis suis bibliothecam constituit, vt quoties in illas secessissent, ibi liberius darent operam optimis litteris. CICERO [2] *in Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris vti, veni in eius villam, vt eos ipse*

1 *de Orat.* I, 7. 2 *de finib.* III, 2.

otium præferebat. hunc admiratur PLINIVS[1] & dicit: *quam tersa omnia? quam latina? quam græca? nam tantum vtraque lingua valet, vt ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. quantum ille legit? quantum tenet? Athenis viuere hominem, non in villa putes. quid multa? auxit sollicitudinem meam, effecitque, vt illis, quos doctissimos noui, non minus nos seductos & quasi rusticos verear.* præcipue id moris erat, vt si senectutem attigissent, e republica in honestum otium secederent. hanc quietem Silius Italicus in Campania inuenit, vbi plures villas possidebat, quæ eos dominos quondam habuerant, quos ipse imitatus est plurimum, Ciceronis puta atque Virgilii, illius nempe academiam, huius, quæ sepulcrum domini continebat: de vtraque cum laude ita canit MARTIALIS.[2]

Silius hæc magni celebrat monimenta Maronis,
iugera facundi qui Ciceronis habet.
heredem dominumque sui tumulique larisque
non alium mallet nec Maro nec Cicero.

PLINIVS[3] de Pomponio: *ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicæ, quam diu decebat, obtulerit. nam & prima vitæ tempora & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, vt ipsæ leges monent, quæ maiorem annis LX otio reddunt. quando mihi licebit? quando per ætatem honestum erit imitari istud pulcerrimæ quietis exemplum? quando secessus mei non desidiæ nomen, sed tranquillitatis accipient?* in hisce secessibus solebant multum disputare, multum audire, multum scribere,

1 *lib VII. ep.* 25. 2 *lib. XI. epigr.* 49. 3 *IV. ep.* 23. *n.* 2. *add. III*, 1, 12.

multum

multum lectitare. MINVTIVS FELIX quum Ostiam amœnissimam ciuitatem peteret, & diluculo ad mare in ambulando pergeret, vt & aura adspirans leniter membra vegetaret, & cum eximia voluptate molli vestigio cedens arena subsideret, Cæcilius dedit occasionem, de religione disputandi, quod ex dialogo patet, quem a principe conloquentium persona Octauium inscripsit. ludorum romanorum diebus L. Crassus quasi colligendi sui caussa, se in Tusculanum contulit. venerunt eodem Quintus Mucius, M. Antonius, homo & consiliorum in republica socius, & summa cum Crasso familiaritate coniunctus. exierant cum ipso Crasso adolescentes & Drusi maxime familiares, & in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suæ conlocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, & P. Sulpicius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. hi primo die de temporibus illis, deque vniuersa republica, quam ob caussam venerant, multum inter se vsque ad extremum tempus diei conlocuti sunt. quo quidem in sermone multa diuinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata, & commemorata narrabat, vt nihil incidisset postea ciuitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent, vt CICERO [1] loquitur. generosissimus quisque romanus in singulis villis suis bibliothecam constituit, vt quoties in illas secessissent, ibi liberius darent operam optimis litteris. CICERO [2] *in Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris vti, veni in eius villam, vt eos ipse*

1 *de Orat. I, 7.* 2 *de finib. III, 2.*

(vt solebam) inde promerem. quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum stoicorum libris. PLINIVS[1] de Silio Italico: *plures villas possidebat: multum vbique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur*: nam & hæc ornamenta in bibliothecis ponebantur. SVETONIVS[2] *scripta eorum & imagines publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedicauit.* CICERO[3] *litteris sustentor & recreor, maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quam in aliorum sella curuli.* adde LIPSIVM[4] LOMEIERVM[5] FIGRELIVM.[6] MARTIALI[7] est huius generis *ruris bibliotheca delicati.* nec minorem litteris colendis suauitatem adtulit cultus hortorum. OVIDIVS in hortis operam nauabat carminibus, quum ait[8]

non hæc in nostris, vt quondam scribimus, hortis.

& hæc de modis variis, non de omnibus, nec de illis, qui nonnullis fuerint proprii, litteras colendi veterum romanorum sufficiant. argumentum hoc ad vsum nostrum potest conformari, si illud doctrinæ de prudentia litteraria adplicemus, quæ subinde multum inluminari potest.

1 *l. III. ep. 7. n. 8.* 2 *LXX, 5. Tib.* 3 *Attic. IV, 10.* 4 *de biblioth. c. 10.* 5 *de bibl. c. 14.* 6 *de stat. rom. c. 24.* 7 *lib. VII. ep. 17.* 8 *Trist. l. 10, 37. adde IV, 8, 27. &* MASSON. *vita Ouid. p. 83.*

DIATRIBE
DE
PRAEMIIS
VETERVM SOPHISTARVM, RHETORVM ATQVE ORATORVM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De duplici orationis genere §. I. *de studio veterum graecorum & romanorum eloquentiae* §. II. *de adpellatione sophistarum apud graecos* §. III. *de adpellatione rhetorum, oratorum, sophistarum apud romanos* §. IIII. *de aduersis sophistarum & rhetorum fatis* §. V. *de magna eloquentiae dignitate apud veteres generatim* §. VI. VII. *de salariis veterum sophistarum & rhetorum* §. VIII. VIIII. X. *ipsorum honoris titulis* XI. *adclamationibus* XII. XIII. *coronis* XIIII. XV. *statuis* XVI. XVII. XVIII. *legationibus* XVIIII. *magistratibus* XX. XXI. *victu publico* XXII. XXIII.

MAgnum Dei munus est, quod mortales, qui rationis participes sunt, beneficio linguae animi cogitationes adfectusque aliis exprimere, vitae societatem alere ac conseruare, omniaque quaecunque ad viuendum necessaria sunt & commoda, parare possunt. * quae dicendi facultas, a summo numine mortalibus adtributa quum egregie humano generi prospiciat; digna omnino est, quae magis & magis colatur, & in tanta humanarum propensionum varietate, ad artis elegantiaeque leges componatur, vt huiusmodi sermonis vi eo facilius in adfectus hominum nos insinuare possimus. quapropter duo inprimis sunt orationis genera, quorum alterum graeci λέξιν εἰρομένην, item διαλελυμένην, latini ***orationem iugem, pendentem, tractam***, quaeue naturali fluit cursu; alterum vero κατεστραμμένην, nec non διῃρημένην, latini ***versam, contortam***, quae ad artem atque praecepta reuo-

reuocatur, adpellarunt. quam in rem testatur ARISTOTELES [a] τὴν δὲ λέξιν ἀνάγκη εἶναι ἢ εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς διθυράμβοις ἀναβολαί· ἢ κατεστραμμένην καὶ ὁμοίαν ταῖς τῶν ἀρχαίων ποιητῶν ἀντιστρόφοις, *elocutionem autem necesse est, esse aut pendentem & vinculo vnam vt in dithyrambis dilationes: aut versam & similem veterum poetarum conuersionibus.* * *

* CICERO de oratore lib. I. cap, 8. *hoc enim vno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus.* PLINIVS histor. natur. lib. XI. cap. 51. *sed ante omnia explanatio animi, quae nos distinxit a feris, inter ipsos quoque homines discrimen alterum aeque grande, quam a belluis fecit.* quapropter & linguae Mercurio apud graecos sacrae fuerunt, vt ex HOMERO odyss. γ. v. 334. seqq. atque aliis scriptoribus adparet: ac veteres persuaserunt sibi, linguis eiusmodi inditam esse vim, qua homines tutos a morbis se conseruare possent, LAMPRIDIVS de Heliogabalo in vita ipsius cap. 20. *comedit saepius ad imitationem Apicii calcanea camelorum & cristas viuis gallinaceis demtas, linguas pauonum & lusciniarum, quia dote tali pestilentia tutus diceretur.* adde COEL. RHODIGINVM lection. antiquar. lib III. c. 32. p. 160.

** hinc CICERO de oratore ad BRVTVM cap. 20 *huic generi historia finitima est, in qua & narratur ornate, & regio saepe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones & hortationes: sed in his tracta quaedam & fluens expetitur, non haec contorta & acris oratio.*

§. II. Apud veteres graecos romanosque dicendi ars in magno fuit pretio. equidem graeci alias artes habuerunt vetustiores & mul-

[a] *rhetoric. lib. III. cap. 9.*

to ante cultas & perpolitas, quam hæc eſt ab ipſis elaborata diſſerendi vis atque copia; ex quo tamen eloquentiæ ſtudio fuerunt incenſi, ſenſim & ſenſim hæc dicendi diſciplina cepit incrementa. multique exſtiterunt, qui harum litterarum culturæ atque exercitiis ſe tradebant ſtudioſe. PERICLES. auctore CICERONE [1] primus adhibuit doctrinam, quem complures ſecuti ſunt, vt intellectum eſt, quantam vim haberet adcurata atque elegans oratio, GORGIAS *Leontinus* quippe, THRASYMACHVS *Chalcedonius*, PROTAGORAS *Abderites*, PRODICVS *Ceius*, HIPPIAS *Eleus*; quibus iam ſenibus exorti ſunt ISOCRATES, qui primus cognouit, etiam in ſoluto ſermone modum & numerum quemdam oportere ſeruari; item LYSIAS, egregie ſubtilis ſcriptor atque elegans. mox ſubſecuti ſunt HYPERIDES, AESCHINES, LYCVRGVS, DINARCHVS, DEMADES, & qui aliorum exſtitit princeps DEMOSTHENES, poſt quos adhuc multi alii floruerunt. Athenis præſertim, quas dicendi vis ſedem ſibi ac templum delegerat, ſed quum eloquentia videretur perfectiſſima, a priſtina grauitate ac pulcritudine recedere paullatim & declinare cœpit & relictis Athenis elegantiam ſuam cum vrbe amiſit. deinde ſatis longo interuallo nauigauit in Italiam, ac Romæ inprimis inuenit, quibus iſta grata fuit atque accepta. ante tempora Punica non fuerunt, quos in numero ponamus eloquentium oratorum; primus autem, de quo conſtat, eloquentem fuiſſe, M. CORNELIVS CETHEGVS eſt, quem ætate M. CATO conſecutus. proceſſu

[1] *de clar. orator. cap. 7.*

tempo-

temporis maior prouentus ingeniorum exstitit, C. LAELII & P. SCIPIONIS *Aemiliani*, vtrivsque GRACCHI, *Tiberii & Caii*, SERVII GALBAE, C. CARBONIS aliorumque, quos omnes fere ingenio & artificio dicendi superarunt L. CRASSVS & M. ANTONIVS. sic in vrbe eloquentia in dies facta ornatior, ad illud adspirauit tempus, quo ipsi expoliendae CICERO supremam adhiberet limam, quippe qui miris modis illam iuuit, purgauit, auxit: quae graecae ac romanae eloquentiae fata inlustrare possunt ex vetustiori aetate CICERO [1] SVETONIVS [2] QVINCTILIANVS [3] ex recentiori vero LVD. CRESOLLIVS [4] G. I. VOSSIVS [5] MORHOFIVS [6] CHRISTOPH. CELLARIVS [7] I. A. FABRICIVS [8] PETRVS FRANCIVS [9] IO. CLERICVS [10] G. N. KRIEGK. [11]

§. III. Sed quum de praemiis veterum sophistarum, rhetorum ac oratorum cum graecorum, tum latinorum in praesens edisserere instituamus, a proposito dissertationis argumento minus erit alienum, si quaedam de ipsis, quae prae se habuerunt, nominibus praemittamus. apud graecos tenuerunt diserti atque eloquentiae auctores nomen *sophistarum* ac *rhetorum*. antiquissimis temporibus significatio vocis *sophistae* perampla fuit, adeo, vt omnes, qui litterarum doctrinis atque animi ornamentis operam dabant, dicerentur sophistae, vetustis-

1 *de claris orator.* 2 *de claris rhetor.* 3 *institut. orator. variis locis.* 4 *theatr. veter. rhetor. orator. declamator, tom. X. pag. 18. antiquit. graecar.* GRONOVII. 5 *de rhetoric. natur. ac constitution. cap. 10. seqq.* 6 *polyhist. litterar. lib. VI. cap 1. 2.* 7 *dissertat. acad. p. 346. sq.* 8 *bibl. graec. lib. II. cap. 26. lib. IV. cap. 32.* 9 *oration. p. 4. seqq.* 10 *arte critic. vol. I. part. 2. sect. 1. cap. 17.* 11 *de sophistarum eloquentia Ien. 1702.*

simi

ſimi quippe muſici, poetæ, philoſophi, theologi, medendi arte excellentes, ſomniorum interpretes. * præcipue vero adpellatio fuit philoſophorum, eaque plena dignitatis & perhonorifica, qui quum eloquentiæ & philoſophiæ ſtudium coniungerent, factum eſt, vt ſophiſtarum nomen & philoſophiæ & artis oratoriæ magiſtris fuerit commune, & illi quoque, qui tantum eloquentiæ inſtituebant exercitia, adpellati ſint ſophiſtæ. verum quum philoſophiæ atque eloquentiæ verioris laus conſeneſceret; nec ſolum philoſophi detrito & pannoſo pallio maieſtateque opacæ barbæ ſapientiam metiri vellent; ipſi ſeruirent animi libidinibus & flagitiis, omniaque referrent ad quæſtum & oſtentationem; ſed & oratores rerum, quæ ad vitam moresque hominum & ad rempublicam pertinebant, cognitionem & ſcientiam a dicendi ratione disiungerent; de quocumque argumento propoſito inuictis rationibus & oratione vberrima diſſerere ſumerent ſibi, ac tumore quodam ſermonis, qui nihil in ſe habebat ſolidi, aliorum caperent animos; ** adpellatio ſophiſtæ odioſa reddita eſt æque rectis ſapientiæ æſtimatoribus atque promiſcue multitudini: qua de re LVDOVICVS CRESOLLIVS [1] & G. I. VOSSIVS [2] copioſe diſſeruerunt. quod ad nomen *rhetoris* adtinet, exiſtit hoc loco quæſtio: quænam inter ſophiſtam ac rhetorem fuerit differentia? CHRYSOSTOMVS [3] quum oſtendere inſtituat, omnes ex antiqua ætate ſapientiæ cultores a veritatis via aberraſſe, dicit: καὶ σοφισαὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ φιλόσοφοι,

1 cit libr. *2 de rhetor. nat. & conſtitut. cap. I. adde* AVCTOREM *actor. philoſ. p. I. p. 81. ſeqq.* *3 in epiſt. I. ad Corinth. c. II.*

λόσοφοι, καὶ συγγραφεῖς, & alio loco [1] tradit, quod veterum calamitates commemorent καὶ ποιηταὶ, καὶ ῥήτορες, καὶ σοφισαὶ, καὶ λογογράφοι πάντες. item APOLLONIVS TYANENSIS apud PHILOSTRATVM [2] καλῶ δὲ σοφὰς μὲν ποιητικὴν, μυσικὴν, ἀστρονομίαν, σοφισὰς, καὶ τῶν ῥητόρων τὰς μὴ ἀγοραίους, *liberales autem artes adpello poesin, musicam, astronomiam, sophistarum item artem & rhetorum, qui in foro caussas dicunt*; ex quibus locis adparet satis, quod inter sophistas & rhetores positum fuerit discrimen. etenim sophistæ eloquentiæ artem docebant, ac variis exercitationum generibus ad hanc perducere nobiliores mentes, laudi sibi ducebant amplissimæ; rhetores vero in caussis priuatis & publicis sua vtebantur eloquentia & declamando gloriam sibi ac fauorem conciliare laborabant maxime. ***

* at vero vox σοφιστ non solum ad litterarum cultores, sed & ad omnes, qui arti cuidam sese tradebant, eamque profitebantur, fuit adcommodata. hinc SVIDAS: Σοφιστὴς πᾶς τεχνίτης, & LVCIANVS in dialogo, qui dicitur vitarum auctio p. 377 edit. GRAEVII, hominem qui conuiuia ac compotationes sectatur, adpellat σοφιστὴν ἡδυπαθείας. confer. GISBERT. CVPERVM de apotheos. Homer. p. 115. vbi agit de voce σοφῶ apud græcos.

** sophistæ enim primum vsurpabant verba aliena, insolita, poetica, ad tumorem sine omni vi atque elegantia composita, adeoque vitium illud orationis, quod antiqui ψυχρὸν in rhetoricis dicunt, admittebant vide QVINCTILIANVM lib. II. c. 3. lib. VIII. c. 3. & CAVSSINVM de eloquentia lib. II. c. 4. & 5.

[1] in epist. II. ad Thess. c. 1. [2] lib. VIII. cap. 7. sect. 3.

deinde

deinde eiusmodi argumenta orationum eligebant, quibus tantum vim ingenii atque copiam sermonis ostentare poterant, nulla verioris vtilitatis habita ratione. siquidem quum declamandi genera tria fuerint apud veteres, in demonstratiuo tam frequentes versabantur, ac vsque eo procedebant, vt leuissimas quoque res prædicarent, & de malis ac perniciosis argumentis differerent. *** verum discrimen hoc ratione adpellationis *rhetoris* & *sophistæ* non semper adcuratius obseruatum fuit, adeo, vt & sophistæ dicti sint rhetores, quod ex exemplo GORGIAE apud DIODORVM SICVLVM lib. XII. patet.

§. IIII. Apud veteres romanos adpellatio *rhetorum*, *oratorum*, etiam *sophistarum* in vsu fuit. inter *rhetorem* atque *oratorem* multi auctores hanc constituunt differentiam, quod rhetor sit, qui præcepta dicendi tradat; orator vero, qui modo ex arte differat, modo declamandi exercitia instituat adeoque rhetorices præcepta ac regulas ad declamandi vsum transferat atque adcommodet: quocirca CICERO [1] *Carneades vero multo vberius iisdem de rebus loquebatur: non quo aperiret sententiam suam, sed tum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem adsequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset.* ex qua posita sententia id consequitur, vt apud latinos rhetor fere idem fuerit, ac apud græcos sophista, prout & CICERO [2] dicit: *hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris,* quo loco per rhetores intelligit

1 *de orat. lib. I. cap. 18.* 2 *de offic. lib. I. cap. 18.*

sophi-

ſophiſtas, quippe qui de nulla re tam libenter & cupide diſſeruerunt, quam de Marathone, Salamine, Platæis, quæ loca campi erant, vbi omnia eloquentiæ lumina oſtendere connitebantur. * verum enim vero quum & in Italia exſtiterint ſophiſtæ, de differentia quoque inter rhetorem & ſophiſtam apud latinos fuit diſputatum. ſunt, qui exiſtimant, quod ſophiſta ille habitus, qui præcepta eloquentiæ græce; rhetor vero, qui latine proponeret differeretque: cui ſententiæ fauet CRESOLLIVS[1] qui ad ſanctionem imperatorum [2] prouocat: *habeat igitur auditorium ſpecialiter noſtrum, in his primum, quos romanæ eloquentiæ doctrina commendat, oratores quidem tres numero, grammaticos vero decem: in his etiam, qui facundia græcitatis*** *pollere noſcuntur, quinque numero ſint ſophiſtæ & grammatici æque decem*; cuius edicti ſententia ſatis ſit clara, quod duo genera profeſſorum eloquentiæ conſtituantur: alterum oratorum, quos romanæ eloquentiæ doctrina commendet, id eſt rhetorum, qui latine doceant: alterum ſophiſtarum, qui facundia græca pollentes, græce nimirum inſtituant. alii vero ſic ſtatuunt diſcrimen, quod rhetor ſit, qui doceat litteras artis differendi: ſophiſta contra, apud quem diſcatur dicendi exercitium; ita vt rhetor prior ſit ſophiſta, eique paret viam, prout grammaticus prior fuerit rhetore. quem ordinem obſeruat TERTVLLIANVS, [3] quando ait: *de meo veſtiuntur primus informator litterarum* (id eſt grammatiſta) *& grammaticus & rhetor & ſophiſta.*

1 *in theat. vetr. rhetorum lib. I. cap. 1.* 2 *in codic. de ſtud. liberalib. vrb. Rom.* 3 *de pallio cap. vltim. p. 230.*

phista. G. I. VOSSIVS [1] hunc in modum distinguit, quod sophista ille sit, qui in dicendi studio exerceat alios; rhetor vero, qui ipse quidem dicat, haud tamen alios condoceat, qua opinione graecos tantum respicere videtur VOSSIVS. at inuenimus, quod haec diuersa nomina non omni tempore tam solicite fuerint obseruata. quamuis enim a prima litterarum aetate aliud egerit rhetor; aliud vero orator: tractu tamen temporum exstiterunt quoque, qui non solum docebant; sed & in concione perorabant declamabantque. nec negamus, quod in monimentis cum iuris romani, tum aliorum auctorum rhetor & sophista distinguantur; sed tamen ipsis saepe numero communis fuit adpellatio, vti SVETONIVS [2] ait: *qui primus e fisco latinis graecisque rhetoribus annua centena constituit*: ex quibus verbis id quidem elucet, quod & graeci & latini eloquentiae tradendae dederint operam; at nec obscure subinde potest intelligi, quod & latini & graeci adpellati sint rhetores. sic & notissimus latinus sophista PHOSPHORVS vocatur a TERTVLLIANO [3] *rhetor* latinus, quando ait: *in scholis Carthaginiensibus fuit quidam frigidissimus rhetor latinus, Phosphorus nomine.* immo deprehendimus, quod rhetores & oratores & omnes, qui ornate & copiose perorarint, dicti sint sophistae, auctore AVGVSTINO: [4] *sophistae adpellantur latinarum litterarum eloquentissimi auctores.* **

* ERASMVS SCHMIDIVS obseruat. ad PINDARVM Pyth. ῳ. 9. p. 191. existimat, voces

1 *de natura & constitut. rhetoric. cap.* 1. 2 *Vita Vespas. cap.* 18. 3 *aduersus Valentinian. cap.* 8. *pag.* 253. 4 *quaestion. in exod. p.* 256. *tom. III. oper.*

rhe-

rhetoris & *oratoris* idem ſignificare, adeo, vt iſta ſit græca, hæc vero romana, nullaque inter rhetorem atque oratorem debeat admitti differentia, quæ ſententia, quodſi græcos rhetores cum latinis oratoribus comparemus, ſatis eſt probata; at vero num apud romanos quoque rhetores & oratores omni ætate eiusdem fuerint conditionis, id eſt, quod ſalua veterum ſcriptorum auctoritate minime poteſt adfirmari.

** ſic legitur in codice Theodoſiano, quam ſcripturam viri eruditisſimi adprobarunt. vulgaris lectio eſt: *facundia grauitatis*, quam quidam gloſſarum auctores emendandam exiſtimarunt: *garrulitatis*, cuiusmodi vero ſcripturæ cum ipſa re, de qua hoc loco agitur, minime conueniunt.

*** ſunt adhuc alia nomina, quibus adpellati ſunt homines diſerti atque eloquentiæ præceptores: quo pertinet adpellatio *ſcholaſtici*. AVCTOR dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ cap. 35. *at nunc adoleſcentuli noſtri deducuntur in ſcenas* (id eſt in locum, vbi orationes recitantur) *ſcholaſticorum, qui rhetores vocantur*. PETRONIVS ſatiric. cap. 6. *ingens ſcholaſticorum turba in porticum venit*, vt de aliis taceamus exemplis, quæ collegerunt WOWERIVS ad Petronium dicto loco p. 27. edit. BVRMANNI, G. I. VOSSIVS de natura & conſtitut. rhetor. cap. I. ADAMVS TRIBBECHOVIVS de doctoribus ſcholaſticis cap. I. n. 7. p. 18. *declamatores* autem erant, qui tantum exercitii cauſſa in vmbra & ludo declamabant. declamatio enim illud genus eſt orationis, quod viam quamdam ſternit ad auguſtam illam oratoriam facultatem. veteres in eloquentiæ ſtudio a prima adoleſcentia ſeſe exercebant, & duplici quidem ratione: aut

enim ficta argumenta, vt progymnasmata & declamationes: aut vera, vt orationes tractabant. vide PETRI FRANCII orationes de ratione declamandi. quum autem AVCTOR dialogi de caussis corruptæ eloqu. cap. I. dicit: *horum autem temporum diserti, caussidici, & aduocati & patroni & quiduis potius quam oratores vocantur*, illos præcipue respicit, qui in foro versabantur & declamando caussas agebant publicas.

§. V. Magna præmia sæpenumero consecuti sunt sophistæ, rhetores & oratores, ipsorumque eloquentiæ singularis habita est dignitas, quando sincera, nec fraudulenta aut captiosa esset, quæ animis hominum capiendis tantum insidiatur, ac forensem peruertit vsum. equidem de aduersis sophistarum fatis multa in antiquis monimentis relata legimus. namque istos DEMETRIVS e regno, Athenienses ex Attica lege & edicto pepulerunt: quo instituto & Cretenses vtebantur, nec minus aditu ad Laconicam erant prohibiti, vt hæc per testimonia confirmat CRESOLLIVS. [1] sic & FANNIO STRABONE & VALERIO MESSALA consulibus * de philosophis & rhetoribus S C. factum, vti romæ ne essent, quod SVETONIVS [2] adnotauit, etiam A. GELLIVS [3] repetiit. idem sancitum quoque est a Cn. DOMITIO AENOBARBO & L. LICINIO CRASSO ** censoribus, & latini rhetores vrbe sunt expulsi, eodem teste SVETONIO, [4] qui dicit: *de iisdem interiecto tempore, Cnæus Domitius Aenobarbus, & Lucius Licinius Crassus censores, ita edixerunt; renuntiatum est nobis, esse*

1 *in theatr. rhetor. lib. I. cap. 12.* 2 *de claris rhetoribus c. I.*
3 *in noct. lib. Attic. lib. XV. cap. II.* 4 *dict. loc.*

homines

hominès, qui nouum genus disciplinæ instituerunt: ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos sibi nomen imposuisse latinos rhetores: ibi homines adulescentulos totos dies desidere. maiores nostri, quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. hæc noua, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum sunt, neque placent, neque recta videntur. quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire consueuerunt, videtur faciendum, vt ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. sed nulla caussa est, cur huius senatus consulti & edicti censorii aduersus rhetores nos admiratio subeat. nam oratoriæ disciplinæ tum multiplex & turpis erat deprauatio, quumque adhuc virtus atque integritas romanis curæ essent, fieri non potuit, vt rhetorum & sophistarum argutiæ fictæque ad ius peruertendum controuersiæ ac declamationes placerent, vt CHR. CELLARIVS[1] obseruat.***

* quorum consulatum in annum V. C. IↃ XCIII. incidisse, iudicat THEOD. IANS. ab ALMELOVEEN in fastis roman. consul. lib. II. p. 99. meminit & ATHENAEVS lib. XIII. huius edicti, vbi σοφιστὰς vna voce adpellat, qui in senatus consulto nominantur *philosophi & rhetores* confer CASAVBONVM ad c. k SVETONII p. 724. edit. GRAEVII.

** hic est CRASSVS ipsemet orator, quem cum M. ANTONIO comparauit CICERO de claris orator. cap. 37. adde IACOBVM PROVST obseruat. ad CICERONEM de orat. lib. I. n. 24. p. 11.

*** dantur adhuc exempla quorumdam oratorum, quorum fortuna fuit durior; sed vt ca-

1 *dissertat. academ. p. 348.*

ſus ſunt, qui euenerunt ſpeciatim; ita & cauſſæ illorum fuerunt ſingulares. ſic ANDOCIDES Athenienſis in exſilio defunctus, vt e PLVTARCHO in ipſius vita coniicere licet; LYSIAS a triginta tyrannis Athenis expulſus, conceſſit Megaram, ac reliquam vitam exegit priuatus, vide I. A. FABRICIVM biblioth. græc. lib. II. cap. 26. p. 892. AESCHINES exſul Rhodi ſcholam aperuit ibique docuit, vt de aliis taceamus. ceterum argumento rhetorices ex ciuitatibus proſcriptæ in odium artis huius vtitur poſt CRITOLAVM, CLITOMACHVM & CHARMIDAM SEXTVS EMPIRICVS adu. rhetor. p. 68.

§. VI. Ita quamdiu eloquentiæ auctores ac magiſtri veram artis oratoriæ virtutem veraque incrementa habuerunt in oculis, omni præmio digni ſunt exiſtimati. quam in rem teſtatur CICERO: [1] *erant autem huic ſtudio maxima, quæ nunc quoque ſunt, expoſita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem.* non eſt quod dignitatem hanc, quam veteres eloquentiæ eiusdemque cultoribus ſtatuerunt, ab ipſius antiquitate & prima origine, quæ HERMETI vindicata eſt, repetamus. apud paganos quippe HERMES auctor & præſes eloquentiæ habebatur, teſte DIODORO SICVLO [2] & TZETZA [3] vnde paſſim audit Ἑρμῆς λόγιος, λόγου præſes, quo & ſpectat, quod viri eloquentes dicantur Ἑρμαϊκὴ σειρά.* confer G. I. VOSSIVM [4] & I. A. FABRICIVM. [5] namque nugæ ſunt fabularum, quibus litterarum diſciplinis nimiam vetuſtatem

1 *de oratore lib. I. cap. 4.* 2 *l. I cap. 16.* 3 *chiliad. 6. hiſt. 89.* 4 *de natura & conſtitut. rhetor. cap. 9.* 5 *biblioth. græc. lib. I. cap. 12. p. 81.*

adtri-

adtribuere laborarunt, præſertim quum maxime ſit ſubobſcurum, quis HERMES ille ſiue MERCVRIVS, cui ob multarum rerum & artium ſcientiam TRISMEGISTI cognomen impoſuerunt, fuerit. quibus de cauſſis verius dignitatem, quam veteres diſerti homines compararunt ſibi, partim ex ipſa, quæ eloquentiæ ineſt, vi & præſtantia; partim ex ſingulari oratorum virtute, qua auditorum animos commouere ſeque in adfectus ipſorum inſinuare poterant, deriuamus, præſertim quum & ea ætate, qua dicendi ars & diſciplina vigebat, eiusmodi rerum publicarum fuerit facies & conditio, vt facili negotio oratores multum auctoritatis haberent. quam eloquentiæ potentiam reſpexerunt ſine dubio Celtæ veteres, qui HERCVLEM, ſub cuius nomine præſidem facundiæ deum colebant, ſenem pingebant, leonis indutum exuuiis, & dextra quidem clauam, ſiniſtra autem tenentem arcum ac hominum multitudinem catena aurea ex lingua ipſius dependente atque ad aures circumſtantium pertingente ducentem, ita vt adligarentur ac ſponte ſua Herculis ductum ſequerentur, auctore LVCIANO.[1]

* LVCAS hiſtoria de rebus ab apoſtolis geſtis cap. XIIII v. 12. de PAVLO commemorat, quod a Lyſtrenſibus HERMES ſit habitus, ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου, quæ verba interpretes quidam ita intelligunt, quod PAVLVS in dicendo primas habuerit partes, adeoque Lyſtrenſium opinione MERCVRIVS fuerit, non tam ob eloquentiam, cuius præſes MER-

1 in προλαλ. pr. p. 365. adde PETR. LAMBECIVM in programmat. vol. III. mem. Hamburgenſ. FABRICII p. 12. ſeqq.

CVRIVS erat; quam quod ipse BARNABA silente non solum ad populum orationes recitasset; sed & iussisset, claudum surgere. nec enim solum facile Iupiter descendere consueuerat; sed comitem secum ducere solebat MERCVRIVM, qui erat Ἑρμηνεὺς καὶ προφήτης τῶν θείων, *interpres atque internuncius deorum.* quum itaque PAVLVM esse MERCVRIVM existimarent Lystrenses, necesse erat, vt BARNABAM adsistentem PAVLO pro Ioue agnoscerent. vide C. F. BOERNERVM de actis Barnabæ & Pauli Lycaonicis §. 10. p. 40.

§. VII. Vt autem varia præmiorum, quibus adfecti fuerunt eloquentiæ auctores, genera tradamus; obseruandum id maxime est, quod alia in primis ad artis oratoriæ præceptores; alia vero ad oratores præcipue spectarent; alia ad opes; alia vero ad laudes & honorum dignitates augendas publicas pertinerent, prout sunt salaria, adpellationes honorificæ, adclamationes & plausus, coronæ, statuæ aliaque. ad hæc id monemus, quod & grammatici apud veteres romanos interdum docuerint rhetoricam, quippe qui & in illorum censu esse debent, quibus eloquentiæ præmia proposita fuerunt. namque SVETONIVS[1] dicit: *veteres grammatici & rhetoricam docebant: ac multorum de vtraque arte commentarii feruntur, secundum quam consuetudinem posteriores quoque existimo, quamquam iam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse & ipsos quædam genera institutionum ad eloquentiam præparandam, vt problemata, periphrases, elocutiones, ethologias* (id

1 *de illustr. grammatic. cap. 6.*

est

est morum descriptiones,) *atque alia hoc genus; ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri rhetoribus traderentur*; qui & quorundam grammaticorum habet mentionem, a quibus tradita sunt præcepta eloquentiæ, M. ANTONII GNIPHONIS,[1] quippe quem alii scribunt GNIFONEM, quiue & græce & latine doctus fuit, ac cuius scholam CICERO quoque post operam forensem frequentasse dicitur, teste MACROBIO:[2] *Antonius Gnipho vir doctus, cuius scholam Cicero post laborem fori frequentabat*; item ATTEII *philologi*, de quo CAPITO ATTEIVS dixit ipsum, inter grammaticos rhetorem & inter rhetores grammaticum fuisse.[3] veterum enim grammaticorum diuersa erant genera, quorum alii τεχνικοὶ, alii ἱστορικοὶ seu ἐξηγητικοὶ, alii κριτικοὶ fuerunt, vide WOWERIVM[4] & PITISCVM.[5] ex quibus illi, qui primi ordinis sunt, interdum cum præceptis grammaticæ disciplinam rhetoricam coniunxerunt, vt eloquentiæ candidati maiori fructu rhetorum opera atque institutione frui possent.

§. VIII. De primo igitur præmiorum genere, quod posuimus, id est de salariis * veterum sophistarum ac rhetorum differere instituamus. primum stipendium eloquentiæ auctoribus ac magistris decretum est vi munificentiæ atque auctoritatis TITI FLAVII VESPASIANI, teste SVETONIO,[6] qui dicit:

1 *cap. 7. de illustr. grammat.* 2 *lib. III. cap. 12. saturnal.* 3 *cap. 10. de illustr. grammat.* 4 *de polymath. cap. 9. p. 1033. tom. X. thes.* A. G. GRONOVII. 5 *obseru. ad* SVETON. *de illustr. gramm. p. 1079. 1090. & lexic. antiquit. roman. tom. I. p. 882.* 6 *vit. cap. XVIII. n. 1. adde* PITISCVM *ad* SVETON. *Cæsar. cap. XLII. n. 2. p. 118.*

primus e fisco latinis græcisque rhetoribus annua centena constituit. præstantes poëtas nec non & artifices coëmit. vti VESPASIANVS imperator ipse litteras coluit atque amauit, quippe qui in græcorum monimentis non leuiter fuit versatus; sic in artium professores insigniter exiſtit liberalis, cuius rei & documentum eſt SALEIVS BASSVS egregius poëta,[1] qui principis huius indulgentiam ingenio suo meritus, quingenta sestertia ab ipso dono accepit.[2] sed num VESPASIANVS fuerit primus, qui salarium hoc constituerit rhetoribus, ea de re nonnullam in dubitationem adduci possumus, quum apud SVETONIVM[3] quoque legamus, quod VERRIVS FLACCVS sub AVGVSTO sestertia centena acceperit in annum. verum proposita sententia satis eſt firma. namque FLACCVS ille grammaticus fuit, non rhetor, & adhæc stipendio hoc litterario propter auctoritatem, qua valebat, ac clementiam in illum AVGVSTI, qui ipsum nepotibus suis in præceptorem legerat, extra ordinem adfectus eſt; qua de re SVETONIVS[4] disserit: VERRIVS FLACCVS *ab Augusto quoque nepotibus eius præceptor electus, transiit in Palatium cum tota schola; verum vt ne quem amplius post hac discipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinæ domus, quæ pars Palatii tunc erat: & sestertia centena in annum accepit.* illi autem, quibus a VESPASIANO salarium hoc decretum eſt, dicuntur *latini græcique rhetores*, quorum illi latine; hi vero

1 G. I. VOSSIVS *de poetis latinis cap. 3. p. 48. & de historicis latinis lib. I. cap. 22. p. 113.* 2 AVCTOR *dialog. de causs. corrupta eloquent. cap. 9.* 3 *de illustrib. grammatic. cap. 17.* 4 *dict. loc.*

græce

græce propoſuerunt eloquentiæ præcepta, prout factum eſt, vt in Italia & græce & romane docerent perorarentque, & CICERO ad præturam vsque græce declamauit. [1] quod ſi tamen romanos reſpiciamus, deprehendimus, quod hi græcos pluris fecerint, quam latinos, quoniam illis in educatione litteraria prima cura litterarum græcarum fuit. hiſce artis oratoriæ doctoribus conſtituit VESPASIANVS *annua centena*, vbi ſubintelligas vocem *ſeſtertia*; at vero quum *ſeſtertium*, genere neutro idem ſit, quod mille ſeſtertium ſeu ſeſtertiorum, id eſt XXV. coronati, *centena ſeſtertii* duo millia coronatorum & præter hæc quingentos efficiunt, vt iam CASAVBONVS [2] obſeruauit. quibus de cauſſis CRESOLLIVS [3] minus adcurate annua centena, quod ad ipſorum pretium attinet, ad pecuniæ noſtræ rationum adcommodauit, quod iſta aureorum coronatorum duo millia & adhæc fere centum efficiant.

* *ſalarium* diſtinguendum eſt a mercede illa, quæ dicebatur *mineraal* ſeu *mineruale* (ſcil. æs) munus illud, quod præceptoribus a diſcipulis in ſcholam primum receptis dabatur. ſunt, qui minerual & *διδακτρον* idem eſſe contendunt, vti IOSEPHVS LAVRENTIVS collect. de profeſſoribus, oratoribus, nomendatoribus & litteris tom. X. theſ. A. G. GRONOVII p. 1170. qui dicit: *præter mercedem menſtruam dabant etiam mercedulam priuatam, minerual dictum, διδακτρον, quod erat munuſculum & veluti authoramentum primo ad magiſtrum*

1 SVETON. *de claris rhet. cap. I.* 2 *ad* SVETON. *vit. Veſpaſ. cap. 18. p. 640. edit.* GRAEVII. 3 *theatr. rhetor. lib. IV. cap. 3.*

ingressu, quod scilicet essent parati ad parendum & discendum. sed G. I. VOSSIVS de vitiis sermonis lib I. cap. 33 p. 148. obseruat quod minerual & τὸ δίδακτρον non sint eiusdem significationis, quoniam δίδακτρον magistri vulgari consuetudine singulis mensibus, etiam interdum non nisi anno finito accipiebant, vide SALMASIVM de mod. vsurar. c. 2. p. 65.

§. VIIII. Aliud adhuc exemplum mercedis publicæ, qua professores artis oratoriæ ornati sunt, deprehendimus in veterum monimentis, cuius auctor num sit ANTONINVS *pius*, an ANTONINVS *philosophus*, de eo disputandum est. IVLIVS CAPITOLINVS [1] diserte de priore dicit: *rhetoribus & philosophis per omnes prouincias & honores & salaria detulit.* XIPHILINVS [2] vero de posteriore ait: ἔδωκε δὲ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας, μισθὸν ἐτήσιον φέροντας. quæ testimonia aut agunt de diuersis rebus, ita, vt aliud salarium ANTONINVS *pius*; aliud ANTONINVS *philosophus* & quidem doctrinarum professoribus Atheniensibus constituerit; aut vnum idemque respiciunt momentum. qua posteriore sententia necesse est, aut discrepantiam hanc salua vtriusque auctoritate remouere, quod qua ratione fieri possit, haud cognoscimus; aut fidem IVLII CAPITOLINI labefactare, eique præferre XIPHILINVM, in primis cum testimonio ipsius alia veterum monimenta, quæ ei fauent, robur ac dignitatem adferunt. namque triplex erat Athenis θρόνος, πολιτικὸς quippe, φιλοσοφικὸς & σοφιστικὸς, vide MEVRSIVM [3] & CRESOLLIVM,

1 *vita Anton. Pii cap.* 11. 2 *Epitom. Dionis p.* 280. 3 *fortun. Attic. cap.* 8.

LIVM, [1] cui vltimo primus præfuit LOLLIANVS *Ephesius*, de quo PHILOSTRATVS [2] dicit: *πρέσβη μὲν τῦ Αθήνησι θρόνυ πρῶτος*, sed ea ætate professoribus stipendio nondum ornatis, quod aliquanto post ab imperatore ANTONINO philosopho factum est, idque primus meruisse dicitur THEODOTVS, discipulus LOLLIANI, de quo idem PHILOSTRATVS: [3] *προέστη δὲ καὶ τῆς Αθηναίων νεότητος πρῶτος ἐπὶ ταῖς ἐκ βασιλέως μυρίαις*, quibus verbis id obseruamus, quod THEODOTVS fuerit sophista & quidem Atheniensis; quod primus acceperit stipendium, idque ex auctoritate & liberalitate imperatoris, per quem quod M. ANTONINVS philosophus sit intelligendus, ex verbis PHILOSTRATI, quæ subsequuntur, patet clarissime, qui dicit, quod MARCVS, id est MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, cui adtribuerunt cognomen *philosophi*, Herodis iudicio ac censuræ Platonicos, Stoicos, Peripateticos philosophos & ipsum Epicurum permiserit, vt harum scholarum philosophiæ constitueret professores; sed THEODOTVM *ἀπὸ τῆς περὶ αὐτὸν δόξης, αὐτὸς ἐπέκρινε τοῖς νέοις, ἀγωνιστὴν τῶν πολιτικῶν προσειπὼν λόγων καὶ ῥητορικῆς ὄφελος, ob eam, quam habebat celebritatem, ipse iuuenibus præfecerit, athletam ciuilium sermonum, decorisque oratoriæ artis titulis eum ornans.* acceperunt igitur sophistæ Athenienses stipendium: quot autem fuerit nummorum? id iam penitus inspiciamus. de THEODOTO sophista commemorauit PHILOSTRATVS superiori loco,

1 *theatr. rhetor. lib. III. cap. 13.* 2 *de vitis sophistar. lib. I. n. 23. p. 526.* 3 *de vit. sophist. lib. II. n. 2. p. 566.*

quod

quod iuuentuti Atheniensium instituendæ præfuerit ἐπὶ ταῖς μυρ.αις, vbi vox δραχμαῖς subintelligenda est, vt adeo viri quidam sine caussa heic emendationem adhibere ac μυρίαις in κυρίαις permutare sibi sumserint. alio autem loco [1] eiusdem stipendii mentionem facit, quo tradit, quod Adriano sophista [2] romam translato, Athenienses consilium de legato ad imperatorem mittendo ceperint, vt θρόνος sophisticus traderetur CHRESTO, qui autem in concionem ipsorum prodiens, non solum propositum hoc reddiderit irritum; sed & habitæ orationis extremo dixerit: ἐχ αἱ μύριαι τὸν ἄνδρα, *non facit virum decem millium stipendium.* sic G. OLEARIVS legit & verba hæc in latinam transtulit linguam; I. F. GRONOVIVS [3] vero existimat, quod ista per signum interrogationis: ἐχ αἱ μύριαι τὸν ἄνδρα; distinguere ac subintelligere debeamus αἰτἔσι vel ζητἔσι, ita vt verba hæc dubiæ sint significationis, ac sophistæ CHRESTI cum modestiam præ se habeant, quasi diceret: nonne αἱ μύριαι virum quærant; tum arrogantiam ipsius declarent, quod non CHRESTVS τὰς μυρίας, sed αἱ μύριαι ipsum quærant. quæ coniectura critica GRONOVII satis quidem est ingeniosa; sed quum ex PHILOSTRATO pateat, quod CHRESTVS Atheniensium consilia minime adprobans, munus professoris artis oratoriæ recusauerit, scripturam, quam apud OLEARIVM deprehendimus, præferre minus dubitamus. idem salarium acceperunt quoque philosophi, de quibus LVCIANVS [4]

1 *de vit. sophist. lib. II. n.* II. *p.* 591. 2 SVID. Ἀδριαν. VOSSIVS *de historic. græc. lib. IV. cap.* 17. *p.* 481. 3 *de sestertiu lib. IV. cap. II. p.* 329. 4 *eunuch. p.* 841.

testatur

testatur, quod singulis ipsorum generibus constitutum fuerit stipendium; sed ὐ βοείη τις ἦν κατὰ τὸν ποιητήν, οὐδ' ἱερεῖον, ἀλλὰ μύριαι κατὰ τὸν ἐνιαυτόν, ἐφ' ὅτῳ συνεῖναι τοῖς νέοις, *non erat pellis bubula iuxta poetam, nec porcellus: verum singulos in annos decem millia nummorum, quos accipiunt, uti doceant iuuentutem.* de cetero *drachma* notissimus erat Atheniensium argenteus nummus pondere drachmali, hoc est octauæ partis vnciæ, cuius pretium idem habetur cum pretio denarii nummi; [1] ex qua pretii huius ratione facile colligere possumus, quid veterum philosophorum ac sophistarum Atheniensium salarium, seu μύριαι δραχμαὶ effecerint. CRESOLLIVS [2] existimat, quod valeant aureos gallicos IↃ CCCXXXIII. cum assibus aliquot Turonensibus; & I. F. GRONOVIVS [3] dicit: μύριαι δραχμαὶ *efficiunt romanæ monetæ sestertia quadraginta, aureos quadringentos; at nostra coronatos mille.*

§. X. Ex hisce a nobis adductis ac illustratis exemplis cognoscimus haud obscure, quod eloquentiæ studia habuerint patronos & fautores suos, qui erga illorum doctores ac magistros liberalitatem ac benignitatem declararunt, ac quorum deliciæ atque voluptas fuerunt, musis oratoriis dignitatem, quæ ipsis iure ac merito debetur, tueri & in maius meliusque prouehere. quam beneuolentiam nonnulli extra ordinem quoque experti sunt, atque amplissimos artis suæ ceperunt fructus. sic SEXTO CLODIO, qui a SVETONIO [4] *latinæ simul græcæque eloquentiæ professor* dicitur, magna merces

1 *vide* BVDAEVM *de asse lib. V.* BEVERINVM *syntagm. de ponderib. & mensur. p. 33. abosque.* 2 *theatro rhetor. lib. IV. c. 3.* 3 *dict. loc.* 4 *de claris rhetor. cap. 5.*

data

data est ab ANTONIO, cuius mentionem habet CICERO [1] *at quanta merces*, ait, *rhetori data est? audite, audite, patres conscripti & cognoscite reipublicæ vulnera. duo millia iugerum campi Leontini Sexto Clodio rhetori adsignasti, & quidem immunia, vt pro tanta mercede nihil sapere disceres.* SEXT. CLODIVS quippe gratus erat ANTONIO, qui quamuis ipse dicendi arte fuerit destitutus, ideo tamen rhetorem hunc singulari prosecutus est fauore, quod excellebat in iocis. accepit autem duo millia iugerum campi Leontini, sic dicti a Leontinis, vrbe in Sicilia, [2] qui ager cultissimus & caput fuit rei frumentariæ, [3] ob quum caussam ANTONIVS largitione sua magnum vulnus reipublicæ inflixit, cuius horreum Sicilia ob ingentem suam fertilitatem quondam habita est. * prodit quoque PLINIVS [4] vnam orationem vendidisse ISOCRATEM viginti talentis, ** quæ efficiunt XII. millia coronatorum: quænam autem fuerit oratio, pro qua acceperit hæc viginti talenta, id non adeo expeditum ac clarum est. credibile esse videtur, ipsi pretium hoc datum fuisse aut pro oratione, quæ inscribitur Νικοκλῆς, sub persona eiusmodi regis Cyprii scripta de officio ciuium erga imperantes; *** aut pro sermone funebri in laudem EVAGORAE filii NICOCLIS, qui interemtus est a THRASYDAEO eunucho olymp. CI. 3. ac ne hoc quidem nobis videtur silentio prætereundum, quod POMPEIVS magnus, quum RHODVM, nobilissimum sane eloquentiæ templum profectus, ac sophistas

1 *oration. Philippica II. cap. 17.* 2 CELLARIVS *notit. orbis antiqui lib. II. cap. 12. p. 978.* 3 CICERO *frumentar. cap. 18.* 4 *histor. natural. lib. VII. cap. 30.*

omnes

omnes audiuiſſet, ſingulis donauerit talentum, ἑκάϛῳ τάλαντον ἔδωκε, vt habet PLVTARCHVS, [1] quod docentium præmium minime fuit contemnendum. namque talentum, Atticum quippe, quod ab hiſtoricis inprimis celebratur, valuit ſexaginta libras ſeu minas, hoc eſt ſex millia denarium vel drachmarum, quæ valent ſexagies denos coronatos, confer I. F. GRONOVIVM. [2] at vero quo minus & huc exemplum EVMENII rhetoris transferamus, impediunt cauſſæ iuſtæ & grauiores. etenim de ſe ipſo dicit: [3] *ſalarium me liberaliſſimi principes, ex huius reipublicæ viribus in ſexcenis millibus nummum accipere iuſſerunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora & prius & poſtea præmia contulerunt; ſed vt tercena illa ſeſtertia, quæ ſacræ memoriæ magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii addita pari ſorte geminarent.* ex quibus verbis haud obſcure colligere poſſumus, quod ſalarium hoc EVMENIO non veluti rhetori, *ſed ſacræ memoriæ magiſtro* adtributum fuerit, cuius munus erat, adnotationes omnes dictare & emittere, & precibus reſpondere, [4] quo functum eſſe EVMENIVM, ipſe prodit alio loco. [5] prout autem EVMENIVS ſingularis & extra communia ponendus vir fuit; ſic & ampliſſimo viſus eſt ſtipendio, ſexcenis quippe millibus nummum. equidem CASAVBONO [6] hoc ſalarium nimium videtur, ideoque pro *ſexcenis*

1 *vit p.* 641. 2 *de ſeſtertiis lib. III. cap.* 3. *p.* 130. *adde* G. N. KRIEGK *diatr. de peregrin. roman. acad.* §. *XLIII. p.* 44. 3 *orat. pro reſtaur. ſcholar. cap. XI. n.* 2. 4 GVTHER. *de off dom. Aug. III.* 3. 5 *panegyr. Conſtantio Cæſari dicto.* 6 *ad* SVETONIVM *vit. Othon. cap.* 4. *pag.* 590. *edit.* GRAEVII.

legen-

legendum censet *sexagenis*, quasi id EVMENIO veluti rhetori sit datum, adeoque pretium communis rhetorum stipendii nimis excedat. sed CASAVBONVS passus est aliquid humani. namque primum ipsa EVMENII verba clare testantur, quod salarium hoc ex honore magistri sacræ memoriæ ipsi decretum fuerit; deinde pro scriptura CASAVBONI, qua *sexcenis* mutatur in *sexagenis*, dimidium salarii esset minus, quam pro dignitate ac munere hoc acceperit, siquidem aperte dicit: *sed vt tercena illa sestertia, quæ sacræ memoriæ magister acceperam, in honore priuati huius magisterii addita pari sorte geminarent.* quibus de caussis vtique retinendum est *sexcenis*, confer I. F. GRONOVIVM [1] CHR. CELLARIVM [2] IO. CHRISTFR. SAGITTARIVM. [3] ****

* CICERO pro lege Manil. cap. 12 Pompeius *nondum tempestiuo ad nauigandum mari Siciliam adiit, Africam explorauit; inde in Sardiniam cum classe venit: atque hæc tria frumentaria subsidia reipublicæ firmissimis præsidiis nauibusque muniuit.* LIVIVS lib. XXVI cap. 40. de consule LAEVINO refert, *coegisse Siculos, positis tandem armis ad agrum colendum animos conuertere; vt esset non incolarum modo alimentis frugifera insula, sed vrbis romæ atque Italiæ (id quod multis sæpe tempestatibus fecerat) annonam leuaret.*

** veteres, inprimis carminum auctores interdum pro monimentis ingenii sui magnifica acceperunt pretia. sic CHOERILVS *Samius* commemorauit victoriam, quam Athenienses de Xerxe reportarunt, ac pro singulis ver-

1 *de sestertiis lib. IV. cap. II. p.* 330. 2 *obseru. ad* EVMENII *orat. p.* 70. 3 *otiis Ienens. p.* 249.

sibus

ſibus accepit ſtaterem, ac decretum adhuc eſt, vt carmen hoc cum Homerico recitaretur, vide VOSSIVM de poetis græcis cap. 5. p. 28. ANTILOCHVS, quum laudes LYSANDRI oratione ligata dixiſſet, ab eo pileo Laconico argenti pleno donatus eſt, vide VOSSIVM c. l. p. 44. vt de exemplis LABERII, VIRGILII aliorumque taceamus.

*** non inſolens videri debet, elaboratam ab ISOCRATE orationem, quam rex recitauerit. LYSIAE aliorumque exemplis conſtat, ſolemne fuiſſe, ſermones ab aliis dici, ab aliis ſcribi. ſic romæ in NERONE recitante admiratus eſt ſenatus, quæ SENECA ſcripſerat. vide I. A. FABRICIVM bibliothec. græc. lib. II. cap. 26. p. 903.

**** primus autem ſophiſtarum, qui mercedem acceperit priuatam traditur PROTAGORAS, de quo ſcribit PHILOSTRATVS de vit. ſophiſtar. lib. I. n. 10. τὸ δὲ μισθοῦ διαλέγεσθαι πρῶτος μὲν εὗρε, *docere autem mercede primus inſtituit;* qui & hæc addit: πρῶτος δὲ παρέδωκεν Ἕλλησι πρᾶγμα οὐ μεμπτόν· ἃ γὰρ σὺν δαπάνῃ σπουδάζομεν μᾶλλον ἀσπαζόμεθα τῶν προῖκα, *primusque adeo rei nequaquam reprehendendæ græcis auctor fuit. nam ea ſtudia, quæ ſumtu comparamus, longe cupidius complectimur, quam ea, quæ nihilo conſtant.* idem teſtatur DIOGENES LAERTIVS lib. VIIII. ſegm. 52. qui & mercedem definit, quod exegerit μνᾶς ἑκατὸν, *minas centum:* confer. AEGID. MENAGIVM obſeru. ad LAERTIVM c. l. p. 420. & G. OLEARIVM ad PHILOSTRATVM d. l. p. 494. eadem ſumma GORGIAE a diſcipulis tradita eſt, quo autem antiquior fuit PROTAGORAS, quod VOSSIVS de natur. & conſtitut. rhet. cap. 10. ex PLATONE obſeruauit. ſic & ISOCRATES didactrum ſtatuit

I M. drach-

M. drachmarum, quod autem a ciuium suorum nemine accepit. vide FABRICIVM bibl. græc. lib. II. cap. 26. p. 901. conf. GRESOLIVM theatr rhetor lib. V cap 3. THOM. CRENIVM lib VII. animaduerſ. p. 140. ſeq.

§. XI. Sic primo præmiorum, quibus veteres ſophiſtæ, rhetores ac oratores ornati fuerunt, genere illuſtrato, pergamus ad ſecundum, quod *honoris titulos* reſpicit, quos magnificos ſæpe obtinuerunt. namque apud græcos ſophiſtæ dicebantur θεόφρασοι, a diuinitate ſermonis, θεῖοι, diuini ſeu præſtantes, ὀλύμπιοι, cæleſtes, ἱεροὶ, δαιμόνιοι, diuini, μακάριοι, felices, beati, θαυμάσιοι, admirandi, βασιλεῖς, reges, σοφοὶ, ſapientes: ſic & alia nomina ipſis impoſita fuerunt ob ſingularem elegantiam ac ſuauitatem orationis, ſiquidem nominabantur ἀηδόνες, luſciniæ, σειρῆνες, ſirenes, κομψοὶ ῥήτορες, belli & venuſti rhetores, γλῶτται, linguæ, Ἑρμοῦ λογίου τύποι, mercurii præſidis eloquentiæ typi, λόγιοι, diſerti, σάλπιγγες, tubæ, item πατέρες, patres, δεσπόται, domini, quæ omnia per exempla elegantiſſime illuſtrat CRESOLLIVS, [1] cuius ſingularis induſtria facit, vt hac in re ſtudeamus breuitati. * num & apud romanos rhetores & oratores proprios ſibi habuerint titulos honorum, probabili coniectura & ratione dici haud poteſt, quamuis adpellatione dignitatis & laudis plena ſæpius fuerint decorati, dicebantur quippe diſerti & eloquentes, a quibus homines *litteratos* diſtinctos fuiſſe, ex veterum latinorum auctorum monimentis obſeruamus, prout CICERO [2] de A. ALBINO teſtatur, quod *& litteratus & diſertus* fuerit; &

1 *theatr. rhetor. lib. I. cap. 9. adde* G. N. KRIEGK *de ſophiſtar. eloquentia* §. 54. *p.* 69. 2 *de claris orator. c.* 21.

paullo

paullo post [1] dicit: *Sed est mos hominum, vt nolint eumdem pluribus rebus excellere. nam vt ex bellica laude adspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriati bello reperimus fuisse Lælium*: sic ingenii, litterarum, eloquentiæ, sapientiæ *denique etsi vtrique primas, priores tamen libenter deferunt Lælio.* etenim litterati grammatici sunt, [2] a quibus differunt litteratores, seu primi magistri, quorum munus erat, prima tradere elementa, vt WOWERIVS [3] pluribus discrimen hoc exposuit. immo dicti sunt eloquentissimi clarissimique, auctore CICERONE [4] *vt cognoscas, quæ viri omnium eloquentissimi clarissimique ** senserint de omni ratione dicendi*; ac SVETONIVS [5] dicit: *Serg. Galba consularis, temporum suorum eloquentissimus.* sic & CICERO, cui eloquentia, quæ florente ipsius ingenio maxima cepit incrementa, multa debet, ob dicendi vim singularem summis adfectus est laudibus, cui QVINCTILIANVS [6] adtribuit *immortalis ingenii beatissimam vbertatem*; quiue a PLINIO [7] dicitur *vir extra omnem ingenii aleam positus*; & a VELLEIO PATERCVLO [8] *perfectum prosæ eloquentiæ decus*, orationem & vniuersam vim forensem sub TVLLIO erupisse, adfirmatur. ac quem fugiat, quod maxima laudum ornamenta in oratoriam artem atque eloquentiam contulerint veteres, qui istam adpellauerint *lumen ingenii* [9] eique vim

1 *ibid.* 2 SVETON. *de illustr. grammat. cap.* 4. 3 *polymath. cap.* 4. *p.* 1017. *tom. X. thes. ant. græc.* GRONOVII *adde* PITISCVM *obseruat. ad* SVETON. *c. l. p.* 1067. 4 *de orator. lib. I. cap.* 2. 5 *vit. Galb. cap.* 3. 6 *institut. lib. X. cap. I.* 7 *præfat. hist. natural.* 8 *lib. I. c.* 17. 9 CICERO *de claris orator. cap.* 15.

quamdam diuinam insitam esse iudicauerint,* cui quoque *a maioribus nostris est in tota dignitatis principatus datus*, vt idem auctor [2] dicit, qui & alio loco [3] scribit: *grauis etiam illa est & plena dignitatis dicendi facultas, quae saepe valuit in consule deligendo, posse consilio atque oratione senatus & populi, & eorum, qui res iudicant, mentes permouere*; & paucis interiectis: *non mirum, si ob hanc facultatem homines saepe etiam non nobiles consulatum consecuti sunt: praesertim quum haec eadem res plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat.* ***

* sic & apud veteres graecos consuetudo fuit, vt illustrioribus eruditione viris singulare quoddam agnomen dignitatis caussa adtribuerent. ex philosophis ANAXAGORAS dictus est νῦς, siue propter sapientiam, vide PLVTARCHVM vit. *Pericl.* siue quod materiae adiecerit mentem, vt habet DIOGENES LAERTIVS lib. II. segm. 6. SOCRATES σοφὸς, etiam in oraculo quodam, cuius auctoritas quidem a nonnullis in dubium vocatur, σοφώτατος, PLATO θεῖος, ARISTOTELES δαιμόνιος, DEMOCRITVS ἐν φιλοσοφίᾳ πένταθλος, HIPPOCRATES μέγας. ex recentioribus adpellatur AMMONIVS θεοδίδακτος, PLOTINVS μέγας, THEODORVS θαυμαστὸς, PORPHYRIVS φιλόσοφος, vide LVCAM HOLSTENIVM de vita & scriptis Porphyrii cap. 6. p. 233. edit FABRICII biblioth. graec. lib. IV. cap. 27. adde IONSIVM de scriptoribus historiae philosophicae lib. II. cap. 7. IO. MOLLERVM homonymoscopia p. 869. seqq.

1 in Tuscul. quaest lib. I. cap. 26. 2 de offic. lib. 2. cap. 19.
3 pro L. Murena, cap. II.

seqq. & de adpellatione *polyhistoris* diximus historia critica latinae linguae cap. IV. §. 7. p. 179.

** tituli *clarissimi* frequens fit mentio apud CICERONEM, item *amplissimi*, quo senatores inprimis ornabantur. tempore imperatorum non solum hae adpellationes in vsu atque hominum more versatae quoque fuerunt, sed & aliae accesserunt, *illustris* quippe, *spectabilis*, *excellentissimi*, *magnifici*, quarum vsus pro varia dignitate diuersus fuit: de quo momento legi possunt notitia dignitatum vtriusque imperii, quae exstat tom. VII. antiquit. romanar. I. G. GRAEVII; IAC. GVTHERIVS de officiis domus Aug. IO. SELDENVS de titulis honorum IO. CHR. BECMANNVS in notit. dignit. illustrium. sed haec in transitu.

*** de cetero apud romanos clarissimis quoque viris cognomina imposita fuerunt aut a praeclara militia, aut ab eruditione, aut aliis meritis in rei publicae salutem. inter alios hac laude effloruerunt C. MARCIVS, qui a *Coriolis* oppido captis dictus est *Coriolanus*; M. VALERIVS CORVINVS, qui bello Punico primo transgressus in Siciliam *Messanam* vrbem cepit, cognominatus primum *Messana*; deinde mutata littera *Messala* dictus, a quo clarissima *Messalarum* familia originem accepit; P. SERVILIVS *Isauricus*, ab *Isauris* vrbe Ciliciae expugnatis adpellatus; vt de multis aliis exemplis taceamus, quae congessit G. N. KRIEGK diatr. de modis inclarescendi apud romanos § 35 seqq p. 27. ex viris litterarum gloria splendidis ATTEIVS dictus est *philologus*; M. TERENTIVS VARRO *togatorum doctissimus*; T. POMPONIVS *Atticus*,

 quod

quod Atticam linguam didicit felicissime; M. ANTONINVS imperator *philosophus* ob studium, quod philosophiæ consecrauit, de quibus atque aliis compluribus exemplis vide TOB. MAGIRI eponymologium criticum & IO. MOLLERVM homonymoscop. p. 873. inter doctores christianos, qui patres vocantur, deprehendimus quosdam, quibus ob singularem eloquentiam cognomina laudis ac præclaræ existimationis imposita fuerunt. sic IOANNES, archiep. Constantinopolitan. *Chrysostomus*; PETRVS, Rauennatium episcopus *Chrysologus*; RADVLPHVS Guilhelmo IV. Aquitaniæ Duci a concionibus sacris, *Ardens*; BERNARDVS, abbas Claræuallensis, *Mellifluus*; AVR. PRVDENTIVS *Amœnus* dictus est.

§. XII. Nobilissima pars studiorum veterum erat recitatio eorum, quæ conscripserant, qua non solum adolescentes, sed & adultiores viri, & ipsi principes ea, quæ ingenio elaborauerant, prælegebant vel publice vel priuatim, vt ex signis cognoscerent, num ista placerent auditoribus, nec ne, de quo argumento iam alio loco [1] diximus. quas recitationes sequebantur *adclamationes & plausus* auditorum, de quibus iam breui dispiciamus, rationem veterum rhetorum ac sophistarum habentes, qui & orationes suas recitarunt. auditores autem modo per vocem, modo per gestum adclamabant, atque plausus edebant. quod ad priorem rationem adtinet, diuersæ erant adclamandi formulæ, apud latinos BENE, PRAECLARE, BELLE, FESTIVE, NON POTEST MELIVS, RECTE, PVLCHRE,

1 *de variis modis litteras colendi apud veter. roman.* §. VIII.

EVGE

EVGE vide CICERONEM [1] PERSIVM. [2] apud græcos vero *καλῶς, σοφῶς, ἀληθῶς, ὀρθῶς, ὑπερβαλλόντως, εὖ, θαυμαστῶς*, aliæque huius generis. quo adclamandi ritu illud quoque moris ac consuetudinis fuit, vt sophistas magna titulorum pompa prosequerentur, ac laudibus illos extollerent ad cælum vsque. hinc LVCIANVS [3] has commemorat adclamationes: *ὢ τῆς καινότητος. ἡράκλεις τῆς παραδοξολογίας. εὐμήχανος ἄνθρωπος. οὐδὲν ἄν τις εἴποι τῆς ἐπινοίας νεαρώτερον.* in quibus prædicandi ac laudandi gratia clamoribus edendis effusi sane fuerunt, nec tantum in vna sermonis parte, sed fere in omnibus plaudere atque adclamare in more habuerunt; quamuis id præcipue in transitionibus & extremo orationum peragerent. quam in rem testantur multi vetustioris ætatis auctores. QVINCTILIANVS: [4] *quæ quidem virtus negligitur a plurimis, qui ad clamorem dispositæ vel etiam forte circumfusæ multitudinis compositi non ferunt illud intentionis signum, nec sibi diserti videntur, nisi omnia tumultu ac vociferatione concusserint.* A. GELLIVS dicit: [5] *summo & soluto pectore obuias vulgatasque laudes effutiunt*: item [6] *quem quum iam inter ingentes clamores legentem inuenissemus*: & AVR. VICTOR. [7] *ob cuius laudem ingeminatis ad vocis vsque defectum plausibus adclamatum est.* alii vero recitantes immensis audientium clamoribus minus delectabantur, ideoque anteponebant silentium: sic PLINIVS: [8] *quum dico vel recito, non minus quam clamore delector; sit modo silentium*

1 *de oratore lib. III. cap. 26.* 2 *satir. I. v. 49.* 3 *Zeuxid. p. 577.* 4 *instit. orat. lib. IV. c. 2.* 5 *noct. Attic. lib. V. cap. I.* 6 *lib. XVIII. cap. 5.* 7 *epitom. cap. 34.* 8 *lib. II. ep. 10. n. 7.*

acre & intentum & cupidum vlteriora audiendi. ſilentium enim perſpicuum feriæ ac vehementis adtentionis argumentum eſt, quippe quæ ex iudicio de præſtantia ac ſuauitate orationis ipſiusque perceptione omnino oritur, vnde & plauſus admiratione compreſſos & reſtinctos obſeruamus. exhibet rei huius teſtimonium CICERO [1] *de plauſu autem quid reſpondeam? qui nec deſideratus vmquam a te eſt, & nonnunquam obſtupefactis hominibus ipſa admiratione compreſſus eſt.* quo factum eſt, vt hæc plaudendi atque adclamandi licentia aliquando auctoritate magiſtratuum coerceretur, cuius rei documento & exemplo eſſe poteſt C. ALBVTIVS SILVS, qui quum publico iudicio peroraret, a lictore nimiæ laudantium voces cohibebantur teſte SVETONIO. [2]

§. XIII. Poſterior plaudendi modus fiebat per geſtum ac varium corporis eiusque partium motum. quo pertinet primum plauſus per manus, quem ritum adtingit PHILOSTRATVS [3] καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσαλμένοις ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ἵν᾽ ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων, *dextera, contractis digitis ſubiectam ſiniſtram, qua caua eſt, tundit; vt manus etiam conſonent, cymbalorum more percuſſæ.* * deinde quoque audientes mouebant pedes in plauſus gratiam, vt LVCIANVS [4] prodit, quod non ſolum de ſella ſurgere, ſed & ſaltantium more terram pedibus ferire atque tripudia exhibere, moris fuerit ac conſuetudinis. quam reſpi-

1 *pro Deiotaro cap. 12.* 2 *de claris rhetor. cap. 6.* 3 *icon. Cami p. 766.* 4 *rhetor. præceptor. p.* [illegible]0.

ciens

ciens QVINCTILIANVS [1] dicit: *minime vero permittenda pueris, vt fit apud plerosque, surgendi exsultandique in laudando licentia*; & paullo post: *at nunc proni atque succincti ad omnem clausulam non exsurgunt modo, verum etiam excurrunt & cum indecora exsultatione conclamant.* HIERONYMVS [2] autem: *me dicente ex latere subsultabas & plaudebas manu, & adplodebas pede.* nonnumquam quoque in plaudendo vestes suas excutiebant, prout quum NERO imperator quid dixisset, τάς τε χεῖρας καὶ τὰ ἱμάτια ἀνέσειον, *plaudebant manibus & vestimentis*, teste XIPHILINO. [3] confer CRESOLLIVM [4] & FERRARIVM, [5] qui in hoc argumento illustrando diligenter sunt versati.

* CICERO pro P. Sextio cap. 55. dicit: *voces quidem & palmarum intentus & maledictorum clamorem omnes profuderunt*, quibus verbis significat, quod veteres in sibilis edendis consuetudinem quoque manus collidendi tenuerint. de cetero morem in antiquis monimentis obseruamus, quo oratores adlocuturi auditores extensa manu silentium facere laborarunt. sic PAVLVS κατασείσας τῇ χειρὶ, orationem habuit, Actor. XIII. v. 16. item XXI, 40. & de ALEXANDRO XVIIII, 33. OVIDIVS metamorph. lib. I. v. 205.

postquam voce manuque
murmura compressit; tenuere silentia cuncti.

PERSIVS satir. IV. v. 5. seqq.

ergo vbi commota feruet plebecula bile,
fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
maiestate manus.

1 *institut. orat. lib. II. c. 2.* 2 *epist. 75.* 3 *epitom.* DIONIS. *p. 168.* 4 *theatr. rhetor. lib. III. cap. 20.* 5 *de veterum acclamation. & plausu.*

§. XIIII. Inter præmia veterum ſophiſtarum, rhetorum & oratorum principem quoque locum obtinent *coronæ*, quibus fuerunt ornati, veluti ex certamine victores. id quod ſatis aperte teſtatur IVLIANVS [1] *ὥσπερ γὰρ ἐν Ἑρμοῦ λογίου σταδίοις δι᾽ ὅλου πολλάκις τοῦ δρόμου στεφανωθεὶς ἤδη, δι᾽ ὧν ἐν ὀλίγοις γράφεις, τῆς ἀρετῆς τὸ ἄκρον ἐμφαίνεις. nam vt in Mercurii facundi ſtadiis toties iam victor coronatus, mirabilem in paucis his ſcriptis virtutem tuam demonſtras*; & C. TACITVS [2] tradit, quod propinquo luſtrali certamine, ſenatus NERONI obtulerit victoriam cantus, adieceritque *facundiæ coronam.* erat quippe imperator hic moribus animi corruptiſſimi, qui in theatro publice cantare, ac hiſtrionis perſonam tenere victoriæ cupidus ſibi ſumebat: quod dedecus vt auerteret ſenatus, ac ludicra NERONIS deformitas velaretur; conſilium eius præuenit, ac ne cantaret, ad victorem ipſum pronuntiandum promta & parata fuit voluntate. in fabularum autem monimentis obſeruamus, quod VENVS, amorum, deliciarum ac voluptatum omnium dea, huiusmodi coronæ ornatu ſplendida exhibeatur in documentum facundiæ, qua nobilis a fabuloſa ætate habita eſt: hinc CATVLLVS [3] dicit:

ſi linguam clauſo tenes in ore,
fructus proiicies amoris omnis,
verboſa gaudet Venus loquela.

quod coronæ præmium in tanta fuit dignitate æſtimationeque, vt oratores ac poetæ incredibili illius conſequendæ traherentur ſtudio, qui & omni labore ac ingenii præſtantia ad glo-

1 *epiſt. n. VIII. ad Georgium p. 377.* 2 *lib. XVI. cap. 4. annal.* 3 *carm. 56.*

riam

riam istam peruenire, adnitebantur. cognoscimus id ex SVETONIO,[1] qui de NERONE dicit: *deinde in orchestram senatumque descendit; & orationis quidem carminisque latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit*; sic & THEODECTES, *Phaselites*, Isocratis discipulus rhetor atque tragœdiarum auctor [2] traditur, e sacris litterarum certaminibus octo retulisse coronas. [3] erat enim corona signum singularis dignitatis ac honoris, quæ ingenii ac facundiæ præstantiam consequebatur, veluti præmium, quo litterarum studia maxime sunt digna: quocirca & ipsas musas coronatas deprehendimus, quippe quæ lauro, hedera, rosis, palmis ornatæ carminibus poëtarum celebrantur. ex qua autem materia coronæ rhetorum ac sophistarum fuerint compositæ, id adcurate quidem definire non possumus, quum antiqui scriptores momentum hoc reliquerint intactum; id tamen satis clarum est, quod coronas fecerint ex diuersis materiæ generibus, nec mediocri probabilitate existimamus, quod quodammodo nonnulla fuerit hac in re inter coronas rhetorum ac poetarum similitudo, vti ex superiori SVETONII loco, quo vnius coronæ cum orationis, tum carminis latini mentio fit, coniicere possumus. at vero poetæ coronas gesserunt ex hedera, quercu, palma, oliua, inprimis lauro, quod confirmant multi veteres auctores, quorum testimonia PASCHALIVS [4] I. A. BOSIVS [5] I. F. HECKELIVS [6] SA-

1 *vit. Neronis cap.* 12. 2 FABRICIVS *bibl. græc. lib.* II. *c.* 19. *p.* 692. 3 PASCHALIVS *de coronis lib.* V. *c.* II. *p.* 320. *conf.* VOSSIVM *de poetis græcis cap.* 7. *p.* 58. 4 *de coronis lib.* V. *cap.* II. *seqq. p.* 317. 5 *de στεφανώσ. cap.* 9. 6 *de poetar. coronat.*

MVEL

MVEL PITISCVS[1] aliique exhibent. quin immo ex LVCIANO[2] colligimus, quod disertis, qui aduersarium sibi in certamine vicerant, fores coronatæ fuerint palma, siquidem dicit: καὶ ἡττῶμαι μὲν τὰ πλεῖςα. οἱ φοίνικες δὲ ἐπὶ τῇ θύρᾳ χλωροὶ ἐςεφανωμένοι, *vt plurimum tamen succumbo, ac nihilominus viridi palma fores coronantur*: & IVVENALIS[3] ac MARTIALIS[4] non obscure significant, quod & palmæ sine corona positæ fuerint, quando ille dicit:

vt tibi lasso
figantur virides, scalarum gloria, palmæ;

hic vero:

sic fora mirentur, sic te palatia laudent,
excolat & geminas plurima palma fores.

§. XV. Ita corona præmium fuit facundiæ, idque honoris ac dignitatis plenum. sed tamen obseruamus quoque, quod & oratores ac rhetores non perorarint, priusquam fuerint coronati: quem ritum exprimit PRAXAGORA mulier apud ARISTOPHANEM[5] his verbis:

ἐγὼ δὲ θεῖσα τὰς ςεφάνας περιδήσομαι,
καὐτὴ μεθ' ὑμῶν, ἤν τί μοι δόξῃ λέγειν.

ego autem ipsa coronas ponens coronabor
vobiscum, si forte quid dicere mihi videbitur
necesse.

vbi scholiastes: περιδήσομαι, ὅτι οἱ δημαγωγοὶ ἐςέφοντο, ac paullo post[6] mulier hæc addit:

τίς ἀγορεύειν βούλεται; *
ΓΥ. ἐγώ. ΠΡ. περίθου δὴ τὸν ςέφανον τύχῃ 'γαθῇ.
ΓΥ. ἰδού.

1 *lexic antiqu. rom. tom. II. p.* 453. 2 *rhetor. precept. p.* 324. 3 *satir. VII. v* 118. 4 *lib. VII. epigr.* 27. 5 ἐκκλησ. *v* 122. 123. *p.* 445. *edit.* KVSTERI. 6 *v.* 130. *seqq.*

quænam

quænam concionari vult?
MV. *ego.* PR. *impone igitur capiti coronam,*
quod faustum & felix sit.
MV. *maxime.*

item [1]

ΠΡ. ἔσθ' ἥτις ἑτέρα βούλεται λέγειν; ΓΥ. ἐγώ.
ΠΡ. ἴθι δὴ στεφανοῦ, καὶ γὰρ τὸ χρῆμ' ἐργάζεται.

PR. *an est vestrum, quæ velit dicere?* MV. *ego.*
PR. *abi igitur & coronam cape; res quippe*
vrget.

quæ testimonia ARISTOPHANIS satis sunt perspicua, ac obseruationem nostram, quod oratores quum in eo fuerint, vt declamarent recitarentque sermones, imposuerint sibi coronas, stabiliunt ac confirmant, quibus adhuc aliud ex OVIDIO [2] adiicimus:

dixit: & extemplo populum grauemque senatum
conuocat. ante tamen pacali cornua lauro
velat.

qui & paucis versibus interiectis [3] dicit:

rursus ad hos Cipus, quem poscitis, inquit habetis:
& demta capiti populo prohibente corona
exhibuit gemino præsignia tempora cornu.
demisere oculos omnes, gemitumque dedere:
atque illud meritis clarum (quis credere possit?)
inuiti videre caput: nec honore carere
vlterius passi, festam imposuere coronam.

quodsi igitur oratores coronam veluti præmium eloquentiæ acceperunt: existit hoc lo-

1 v. 147. adde infra Thesm. ph. v. 387. 2 lib. XV. v. 590. seqq. metamorph. 3 v. 609. seqq.

co

co diſceptatio ac quæſtio: quo iure rhetores & oratores quum meditarentur orationem recitandam, coronas ſibi impoſuerint? ponamus ea de cauſſa diſcrimen inter coronas priuatas ac publicas, quod ad vſum illarum adtinet: illæ priuato cuiusque vſui permiſſæ fuerunt, vti coronæ conuiuales, virginales, nuptiales; hæ vero auctoritate publica claris viris ac præſtantiſſimis ingeniis tradebantur, vt pro meritis in rempublicam præmium haberent dignitatis, quo pertinent coronæ militares, ciuica, caſtrenſis, muralis, naualis, victrices, obſidionalis, oualis, triumphalis, quibus viri militia eminentes ornabantur; item coronæ litterariæ, quæ merita in litterarum ſalutem veluti præmium conſequebantur. quo poſito diſcrimine, facili negotio quæſtioni illi ſatisfacere poſſumus. etenim oratores & coronarum ornatu ſunt adfecti, in gratiam honoris ac præmii auctoritate magiſtratus conſtituti; & ſibi ipſis impoſuerunt coronas easque priuatas, vt eloquentiæ atque arti dicendi maiorem conciliarent ſplendorem. **

* τίς ἀγορεύειν βούλεται; formula fuit in concionibus & comitiis populi Athenienſis. qua cuiuis, qui vellet, ad dicendum aperiebatur via. hinc & MERCVRIVS apud LVCIANVM deor. concil. p. 709. ἄκουε. σίγα. τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν τελείων θεῶν; vide SAMVEL. PETITVM de legib. Attic. p. 209.

** de AESCHINE tradit quoque PHILOSTRATVS vit. ſophiſtar. lib. I. n. 18. p. 508. quod præmium coronæ ob res præclare geſtas aliaque merita acceperit, cuius & PLVTARCHVS ac APOLLONIVS vita ipſius mentionem faciunt.

§. XVI.

§. XVI. Coronas subsequuntur *statuae* in honorem quoque veterum rhetorum positae. qui liberales artes profitebantur, earumque cognitione ac cultura erant clarissimi, praemium industriae suae in statuis quoque consecuti traduntur, adeo vt nulla fere litterarum professio a dignitate hac fuerit exclusa. namque de legum interpretibus testatur id PLINIVS[1] statua *fuit & Hermodori Ephesii in comitio legum, quas decemuiri scribebant, interpretis publice dicata*; de medicis SVETONIVS[2] *medico Antonio Musae, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat, statuam aere collato iuxta signum Aesculapii statuerunt*; qui & de grammaticis idem confirmat, quum de ORBILIO dicit[3] *statua eius Beneuenti ostenditur in Capitolio ad sinistrum latus marmorea, habitu sedentis ac palliati, adpositis duobus scriniis*; item de VERRIO FLACCO[4] *statuam habet Praeneste, in inferiore fori parte*; quod non minus de poëtis clarum est & satis tantum ex HOMERI exemplo probari potest. verum & rhetores in censu illorum fuerunt, quibus collocarunt statuas, quarum mentionem facit AVCTOR dialogi de caussis corruptae eloquentiae[5] *minimum inter tot ac tanta locum obtinent imagines, ac tituli & statuae: quae neque ipsa tamen negliguntur; tam hercule, quam diuitiae & opes, quas facilius inuenies, qui vituperet, quam fastidiat. his igitur & honoribus & ornamentis & facultatibus refertas domos eorum videmus, qui se ab ineunte adolescentia caussis forensibus & oratorio studio dederunt*; quibus verbis elucet, quod illi, qui oratoriae

1 H. N. lib. XXXIV. cap. 5. 2 vit. Augusti cap. 59. 3 de illustr. grammat. c. 9. 4 ibid. cap. 17. 5 cap. 8.

arti

arti eiusque exercitiis ſeſe tradiderint, magnam perceperint felicitatem, ac honore *titulorum & ſtatuarum* ſint adfecti. conſuetudo enim erat apud veteres, vt tituli ſeu inſcriptiones adponerentur ſtatuis, quibus nomina, parentes, maiores, magiſtratus, merita eorum, in quorum dignitatem locabant ſtatuas, aliaque momenta indicabant, vt EDMVNDVS FIGRELIVS [1] pluribus oſtendit. adhæc apud eumdem auctorem [2] MATERNVS dicit: *ac iam me ſeiungere a forenſi labore conſtitui, nec comitatus iſtos & egreſſus aut frequentiam ſalutationum concupiſco: non magis quam æra & imagines, quæ etiam me nolente in domum meam irruperunt*; vbi per *æra* intelligit ſtatuas, titulos. quæ teſtimonia quamuis ſint clara, etiam firma ac grauia, illis tamen adhuc aliud, idque PLINII, præſtantiſſimi quoque oratoris adiungere non ab re eſſe ducimus, quippe qui dicit [3] de TRAIANO imperatore: *quem honorem dicendi magiſtris, quam dignationem ſapientiæ doctoribus habes?* quibus verbis reſpicit ſtatuas, quas TRAIANVS rhetoribus ponendas curauit, vt ex iis, quæ iam dicamus, luculenter patebit.

§. XVII. Quod rhetoribus ac oratoribus collocatæ ſint ſtatuæ, id quoque variis exemplis probari ac illuſtrari poteſt. huiusmodi honos habitus eſt ISOCRATI, cuius ſtatua apud FVLVIVM VRSINVM [4] cum inſcriptione: Ισοκράτης Θεοδώρυ Αθηναῖος, *Iſocrates Theodori F. Athenienſis*, ſed capite, quod a GRONOVIO [5] exhibetur, trunca exſtat: erat

[1] *de ſtatuis illuſtrium romanor. cap. 27. 28. p. 228.* [2] *de cauſſis corrupt. eloqu. cap. 11.* [3] *panegyr. cap. 47.* [4] *elog. p. 77.* [5] *theſaur. antiquit. græc. tom. II. tab. 81.*

quippe

quippe vir eloquentiæ gloria ſplendidus, de quo CICERO [1] dicit: *Iſocrates cuius domus cunctæ græciæ quaſi ludus quidam patuit atque officina dicendi: magnus orator & perfectus magiſter, quamquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio eſt poſtea conſecutus.* * ad eandem dignitatem peruenit PROAERESIVS ſophiſta, quoue præceptore vſi ſunt BASILIVS & GREGORIVS NAZIANZENVS, quippe qui de romæ laudibus ac ſplendore dixit copioſe, ob quod ipſi ſtatua poſita ex ære cum hac inſcriptione: *ἡ βασιλεύουσα Ῥώμη τῷ βασιλεύοντι τῶν λόγων*, *regina rerum roma regi eloquentiæ*, teſte EVNAPIO. [2] ſic & ANDOCIDIS, qui in bello inter Corinthios & Corcyræos nauarchus fuit, cuiusue quatuor adhuc exſtant orationes, ſtatuam, in qua inſcripta ſunt: Ἀνδοκίδης Λεωγόρου Ἀθηναῖος, *Andocides Leogoræ F. Athenienſis* apud VRSINVM [3] deprehendimus: & PHILOSTRATVS [4] de ARISTIDE tradit: *Σμυρναῖοι χαλκοῦν ἔστησαν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κατὰ τὴν Σμύρναν ἀγορᾶς*, *Smyrnæi æream ipſi ſtatuam erexerunt in foro Smyrnenſi*, quoniam Smyrnam terræ motibus deſtructam incredibili orationis grauitate MARCO imperatori adeo commendauerat, vt lacrimis ac triſtitiæ ſeſe traderet, ac vrbis huius polliceretur renouationem. IVLIVS CAPITOLINVS [5] autem prodit, quod ANTONINVS philoſophus oratoribus vſus ſit græcis Annio Marco, Caninio Celere & Herode

1 *Brut. cap. 8.* 2 *vita Proæreſii. adde* CRESOLLIVM *theatr. rhetor. lib. I. cap. 8.* FABRICIVM *bibl. græca lib. IV. c. 32. p. 486.* 3 *elog. p. 73.* 4 *vit. ſophiſt. lib. II. n. 9. p. 582.* 5 *vit. Anton. cap. 2.*

Attico; latino FRONTONE CORNELIO, de quo addit: *sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in senatu petiit.* quumque superiora PLINII verba, quæ mirifica TRAIANI studia erga dicendi magistros laudibus exornant, ad statuarum honores adcommodauimus, non ab re esse existimamus, hanc ob caussam exemplum quoddam proferre, quo pateat, TRAIANVM quoque rhetores hoc gloriæ præmio adfecisse: quocirca prouocamus ad XIPHILINVM [1] ἔστησε δὲ καὶ τοῦ Σοσσίου τοῦ τε Πάλμου καὶ τοῦ Κέλσου εἰκόνας, *Sossio quoque & Palmæ & Celso* (rhetori) *statuas posuit.*

* apud PHILOSTRATVM de vitis sophistarum lib. I n. 17. de ISOCRATE vulgo hæc leguntur: οὐ γὰρ ἂν οὐδὲ τῆς ἐν Ὀλυμπίᾳ εἰκόνος ἔτυχεν. *neque enim Olympiæ statuam consecutus esset.* sed G. OLEARIVS p 506. pro Ὀλυμπίᾳ legendum censet Ὀλυμπίῳ, vt intelligatur *Olympium* Atheniense, vbi statuam ISOCRATIS posuerat APHAREVS. confer MEVRSIVM Athen Attic lib. I cap. 10.

§. XVIII. Consuetudinem ac institutum bibliothecas statuis atque imaginibus clarorum virorum exornandi, tenuerunt veteres, ita vt non solum illorum, qui vita defuncti fuerant sua; sed & viuorum statuas atque imagines ibi posuerint. qua de re testatur PLINIVS [2] *M. Varronis in bibliotheca, quæ prima * in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata romæ est, vnius viuentis posita imago est:* qui & de illis, quorum libri in bibliothecis fuerunt, eorumque imaginibus ibi positis differit: [3] *non est prætereundum & nouitium*

1 *epitom.* DIONIS. *p.* 248. 2 H. N. *lib. VII. cap.* 30.
3 H. N. *lib. XXXV. cap.* 2.

inuen-

inuentum. ſiquidem non ſolum ex auro argentoue, aut certe ex ære in bibliothecis dicantur illi quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur: quin immo etiam, quæ non ſunt, finguntur pariuntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero euenit. ita TRAIANVS Pruſæ ſtatuam in bibliotheca poſitam habuiſſe dicitur à PLINIO: [1] *ipſe in re præſenti fui & vidi tuam quoque ſtatuam in bibliotheca poſitam*; TACITVS vero imperator CORNELIVM TACITVM, ſcriptorem hiſtoriæ auguſtæ in omnibus bibliothecis collocari iuſſit, referente VOPISCO. [2] eadem ornamenta erant in bibliothecis priuatis. PLINIVS [3] de SILIO ITALICO: *plures iisdem in locis villas poſſidebat: multum vbique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur:* item [4] *Herennius Seuerus, vir doctiſſimus, magni æſtimat in bibliotheca ſua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Caſſii*; quod antiquitatis momentum iam illuſtrarunt IVNIVS [5] LOMEIERVS [6] LIPSIVS [7] FIGRELIVS [8] BARTHOLINVS. [9] prout autem rhetoribus atque oratoribus ſtatuæ ſunt locatæ; ſic & iſtas in bibliothecis poſuerunt, vt illarum eſſent ornamentum ac decus: quam in rem teſtatur exemplum NVMERIANI Cæſaris, cui ſtatuam ſtatuerunt non ob dignitatem imperatoris, ſed ingenii atque eloquentiæ merita, auctore VOPISCO, [10] qui dicit: *huius oratio fertur ad ſenatum miſſa, tantum*

1 *lib. X. epiſt. 85. n. 7.* 2 *cap. 10.* 3 *lib. III. epiſt. 7. n. 8.* 4 *lib. IV. epiſt. 28. n. 1.* 5 *de picturis II, 8.* 6 *de bibl. cap. 14.* 7 *de biblioth. cap. 10.* 8 *de ſtatuis illuſtr. romanor. cap. 24.* 9 *de legendis libris diſſ. 2.* 10 *vit. Numeriani.*

habuisse eloquentiæ, vt illi statua non quasi Cæsari, sed quasi rhetori decerneretur, ponenda in bibliotheca Vlpia, cui subscriptum est: NVMERIANO CAESARI, ORATORI TEMPORIBVS SVIS POTENTISSIMO.

* idem in animo habuerat IVLIVS Cæsar, *bibliothecas græcas & latinas, quas maximas posset, publicare*, quod SVETONIVS cap. 44 memorauit, sed fato præuentus nihil perfecit. AVGVSTVS autem Cæsar duas legitur constituisse publicas, Octauiam in Octauiæ porticu in sororis honorem nominatam: & Palatinam iuxta ædes suas & Apollinis templum in monte Palatino vide CELLARIVM dissertat academ. p. 358.

§. XVIIII. Varia igitur præmiorum, quæ sophistis, rhetoribus atque oratoribus veteres tribuerunt liberaliter, genera memorauimus. nunc tradamus, quod & legationes adeoque amplissima administrauerint munera. sic GORGIAS legatus missus a Leontinis ad Athenienses, qui & vi eloquentiæ animos ipsorum occupauit, quæue ei credita fuerunt, feliciori perfecit successu, teste DIODORO SICVLO. [1] ANTONIVS autem POLEMO, patria Laodicenus, ex consulari familia sophista, apud Smyrnæos magno in pretio fuit ob legationes, quas ad imperatores suscepit iisque prouinciarum egit caussas, prout ADRIANI voluntatem ita conciliauit Smyrnæis, vt vno die multitudinem pecuniæ in illlorum ciuitatem effuderit, ex qua & annonæ emporia, & gymnasium omnium, quæ in Asia sunt, magnificentia princeps, constructa sunt, auctore PHILOSTRATO, [2] qui & de HIP-

1 *lib. XII.* 2 *de vit. sophist. lib. I. n. 25. p. 531. adde* I. A. FABRICIVM *bibl. gr. lib. IV. c. 30. n. 2. p. 368.*

PIA

PIA dicit: [1] πλεῖςα δὲ Ἑλλήνων πρεσβεύσας, ἐδαμῶ κατέλυσε τὴν ἑαυτῶ δόξαν, δημηγορῶν τε καὶ διαλεγόμενος. *quum vero legationes sæpius, quam quisquam græcorum obierit, nullibi tamen sui gloriam, neque concionando neque disputando diminuit*; etiam multas SCOPELIANI sophistæ legationes memorat, ex quibus illa emineat, quam pro vitibus non solum pro Smyrnæis, sed & pro vniuersa simul Asia susceperit, cuius rationem his verbis exponit [2] ἐδόκει τῷ βασιλεῖ, μὴ εἶναι τῇ Ἀσίᾳ ἀμπέλȣς, ἐπειδὴ ἐν οἴνῳ ςασιάζειν ἔδοξαν, ἀλλ' ἐξαιρεῖσθαι μὲν τὰς ἤδη πεφυτευμένας, ἄλλας δὲ μὴ φυτεύειν ἔτι. ἔδει δὴ πρεσβείας ἀπὸ τȣ κοινȣ, καὶ ἀνδρὸς, ὃς ἔμελλεν, ὥσπερ Ὀρφεύς τις ἢ Θάμυρις, ὑπὲρ αὐτῶν θέλξειν. αἱρȣνται τοίνυν Σκοπελιανὸν πάντες. ὁδ' ὅτω τὶ ἐκ περιȣσίας ἐκράτει τὴν πρεσβείαν, ὡς μὴ μόνον τὸ ἐξεῖναι φυτεύειν ἐπανελθεῖν ἔχων, ἀλλὰ καὶ ἐπιτίμια κατὰ τῶν μὴ φυτευόντων, *vineas in Asia nullas esse imperator decreto voluerat; quoniam vinum adrebellandum animos Asianis fecisse videbatur: exscindi igitur iam tum plantatas, nouas vero non plantari vllas* (*præcepit*). *legatione igitur opus erat publico nomine & viro, qui tamquam Orpheus Thamyrisque, earum tuendarum gratia delinimentis vteretur. Scopelianum igitur omnes eligunt. hic autem cum tanto felicitatis excessu legatione functus est, vt non solum impetrata vites plantandi licentia redierit, sed & mulcta non plantantibus constituta.* APOLLONIVS MOLO, clarissimus dicendi magister, quiue discipulos habuit CICERONEM & IVL. CAESAREM, * dictatore

1 *vit. sophist. lib I. n. 11. p. 495.* 2 *vit. sophist. lib. I. n. 21. pag. 520.*

SYLLA, legatus ad senatum romanum de Rhodiorum præmiis venit, * vt alia exempla dimittamus silentio. ** quapropter apud romanos auctores *orator* idem significat ac *legatus*. LIVIVS [1] *eaque clade haud minus, quam aduersa pugna subacti Veientes, pacem petitum oratores romam mittunt*. VIRGILIVS [3]

iamque oratores aderant ex vrbe latina.
velati ramis oleæ, veniamque rogantes;

quoniam legati caussas reipublicæ agebant ac perorabant, hinc & actores caussarum dicebantur oratores, vt SERVIVS [4] obseruat. confer PASCHALIVM [5] aliosque, qui de legatis scripserunt.

** CICERO de seipso Brut. cap. 91. dicit: *quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romæ audiueram, Molonem adplicaui, cum actorem in veris caussis, scriptoremque præstantem, tum in notandis animaduertendisque vitiis & instituendo docendoque prudentissimum*. de CAESARE autem SVETONIVS vit. cap. 4. *Rhodum secedere statuit, & ad declinandam inuidiam & vt per otium ac requiem Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro operam daret*. ita legit CASAVBONVS, qui obseruat, quod APOLLONIVS MOLONIS, qui & Μαλακὸς dicatur, distinguendus sit a MOLONE. sed hac ratione ponit tantum CASAVBONVS discrimen inter græcam ac romanam adpellandi consuetudinem: etenim APOLLONIVS habet cognomen MOLONIS, casu gignendi more græco, quo filiis patrum nomina adtributa sunt, vt HERODES *Attici*, THVCYDIDES *Oroli*. at hic casus additus

1 CICERO *Brut. cap.* 90. 2 *lib. I. cap.* 15. 3 *lib. XI. v.* 100. *Aeneid. add v.* 331. 4 *ad* VIRGILIVM *lib. XI. v.* 100. 5 *legat. cap.* 2. *p.* 7. *cap.* 20. *p.* 120.

non ſemper parentem ſignificat; ſed interdum aliud quid ſubintelligitur e. g. CLINIAS *Alcibiadis* ſc. pater; OLYMPIAS *Alexandri* ſcil. mater, vide CVPERI Harpocratem p. 126. ſeq. TH. GALEI diſſ. de ſcriptoribus mythologicis p. 19. ſeq. pro hoc caſu parentis ſcriptores romani interdum poſuerunt caſum nominandi, itaque dixerunt HERODEM *Atticum* pro *Attici*, APOLLONIVM *Molonem* pro *Molonis*: confer SALMASIVM comment. ad inſcriptionem Regillæ p. 89. FABRICIVM bibliograph. antiquar. cap. 20. §. 17. G. OLEARIVM ad PHILOSTRATVM de vit. ſophiſt. lib. II. n. 1. p. 546. venit autem APOLLONIVS MOLO romam anno V. C. DCLXVI. vide IONSIVM de ſcriptoribus hiſt. philoſ. lib. II cap. 16. §. 3.

** hoc loco & mentionem habemus legationis pro Amphipoli reſtituenda Athenienſibus ad PHILIPPVM, quam decem, & in illis AESCHINES quoque ac DEMOSTHENES ſuſceperant; quamuis hunc eloquentia defecerit: nec potuerit, vtcunque PHILIPPVS humanis verbis ipſi adderet animum, ſeipſum colligere. quæ res inter AESCHINEM & DEMOSTHENEM concitauit diſcordiam, vt memorat id ipſe AESCHINES orat. de falſa legatione. p. 394.

§. XX. Sunt adhuc, quæ reſtant, præmiorum genera, de quibus ad ſummam iam dicamus. magiſtratus habuerunt veteres ſophiſtæ, rhetores atque oratores, & in ſummos dignitatis atque honoris gradus ſunt euecti: SVETONIVS [1] *quare magno ſtudio hominibus iniecto, magna etiam profeſſorum ac doctorum*

1 *de clar. rhetor. cap. 1.*

profluxit copia, adeoque floruit, vt nonnulli ex infima fortuna in ordinem senatorium atque ad summos honores processerint : quam ob rem exempla eaque obseruatione maxime digna proferamus. de SCOPELIANO scilicet tradit PHILOSTRATVS [1] *ἀρχιερεὺς μὲν γὰρ ἐγένετο τῆς Ἀσίας αὐτός τε καὶ οἱ πρόγονοι αὐτῦ, παῖς ἐκ πατρὸς πάντες, pontifex nempe Asiæ fuit ipse, maioresque eius, filio patri in eo officio succedente*; quæ verba vt adcuratius percipiamus mente, etiam cognoscamus, amplissimo muneri præfuisse SCOPELIANVM sophistam, quædam *de Asiarchis*, in quorum numero fuit, edisserere nobis est in animo. dicuntur quippe *Asiarchæ* ab Asia; sed quum partem illam orbis varia ratione diuidunt geographiæ auctores, in minorem & maiorem; citeriorem & vlteriorem; proconsularem & proprie dictam, vide CHR. CELLARIVM [2] & SEVERINVM LINTRVPIVM. [3] disceptatio exsistit: a qua Asia adpellati sint Asiarchæ? ALB. RVBENIVS [4] adpellationem hanc ab Asia minore; SPANHEMIVS [5] vero, MORELLVS [6] van DALE [7] ab Asia proconsulari; & LINTRVPIVS [8] ab Asia stricte dicta, id est media parte prouinciæ proconsularis circa Ephesum & Lydiam propriam deriuant. id nobis in præsens satis est, quod Asiatici communia habuerint sacra ac certamina, in honorem cæsarum aut numinis instituta, quippe quæ in principibus Asiæ vrbibus celebrabantur, *κοινὰ τῆς Ἀσίας* ad-

1 *de vit. sophistar. lib. I n. 21. p. 515.* 2 *not. orb. antiqui lib. III. cap. I.* 3 *melet. crit. ad select. N. T. loca melet. I. p. 14. seqq.* 4 *diatr. de vrbibus neocoris tom. XI. antiquitat. roman. thesaur.* GRAEVII. 5 *epist. ad* MORELLVM *5. p. 316.* 6 *specimin. rei nummar. p. 30.* 7 *de antiquit. ex marmorib. dissert. 3. pag. 277.* 8 *cit. loc. p. 47. seqq.*

pella-

pellata, * quos conuentus communes *Ephesi* in primis habebant, cui vrbi non solum ipsius amplissimæ facultates & magnitudo, sed & celeberrimum Dianæ templum singularem effecerant dignitatem, adeo vt & a LVCA [1] vocetur: πόλις νεωκόρος τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς. sed tamen aliæ adhuc vrbes fuerunt, quæ huiusmodi κοινὰ instituebant, *Smyrna* quippe, cuius ciues in nummis dicuntur πρῶτοι τῆς Ἀσίας, *Pergamus*, Ephesiorum & Smyrnæorum æmula, perinde πρώτη vocata & νεωκόρος ob magnificum AESCVLAPII templum, item *Laodicea* aliæque. his igitur communibus sacris & certaminibus qui præerant, illi & Ἀσιάρχαι dicti & Ἀρχιερεῖς Ἀσίας, adeo vt hæ adpellationes idem significauerint, quod nummi & monimenta alia antiqua testantur: quemadmodum Smyrnæi epistola de Polycarpi martyrio [2] commemorant Philippum Ἀσιάρχην, & eumdem extremo epistolæ huius adpellant Ἀρχιερέα. ** verum dignitas Asiarcharum fuit summa & splendidissima, qui gerebant magistratus, imperia & potestates, etiam singularis pietatis ac iudicii opinionem præ se habebant; nec non vitæ vestitusque ratione ab aliis ciuibus erant seiuncti ac diuinis sane fruebantur honoribus. confer VALESIVM [3] SPANHEMIVM [4] SELDENVM [5] LEMONIVM. [6] SCOPELIANVS igitur sophista Ἀσιάρχης seu Ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας fuit, adeoque personam amplissimi ac grauissimi magistratus tenuit.

* sic & populi communes conuentus instituebant, vt societate consiliorum inter se con-

1 *actor. XIX. v 35.* 2 *vid patres apost lic tom. II. p. 188. edit.* CLERICI. 3 *ad* EVSEBIVM *p 7.* 4 *de praestantia & vsu numismat. p. 692.* 5 *ad marmor. Oxon. III. p. 73. & XXIIX. pag. 96.* 6 *proleg. ad V. S. p. 25. 61.*

iuncti, de caussis publicis agerent, mutuam confirmarent amicitiam ac patriam a calamitatibus vindicarent. huiusmodi commune concilium celebrant Achæi apud LIVIVM lib. XXXVIII. cap. 34. eadem societas conjunxerat Bœotiæ populos, eodem auctore lib. XLII. c. 43. qui & lib. XLV. cap 18. memorat, Macedonibus facultatem κοινοβουλίας indulsisse romanos, vt de aliis exemplis taceamus. conf VALESIVM ad AMM. MARCELLINVM lib. XXVIII. p. 373.

** deprehenditur quoque vox *Asiarchæ* apud LVCAM act. apost. XVIIII 31. & quidem numero multitudinis; cuius autem scriptor hic sanctus minime auctor est, vti LORINVS in h. l. p. 580. existimat. namque STRABO geograph. lib. XIIII. p. 746. de Trallibus agens dicit: *ἀεὶ τινὲς ἐξ αὐτῶν εἰσιν οἱ πρωτεύοντες κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, οὓς Ἀσιάρχας καλοῦσιν, semper aliqui eorum sunt principe in prouincia loco, quos* Asiarchas *adpellant.* constat autem, STRABONEM sub AVGVSTO & TIBERIO floruisse & geographiam vel anno V. C. IↃ CC LXXI. id est, TIBERII IV. vel ante annum imperatoris huius XII. scripsisse, vide FABRICIVM bibl. græc. lib. IV. cap. I. p. 3 LVCAM vero NERONIS imperii anno X. Christi LXIV. vtrumque opus diuinum litteris tradidisse, probabili opinione adfirmamus.

§. XXI. At vero vt præsides communium sacrorum ac certaminum in Asia dicti sunt generatim Ἀσιάρχαι, sic quoque in antiquis monimentis deprehendimus, qui speciatim Lyciæ κοινῷ XXIII vrbium præerant, adpellati Λυκιάρχαι, vide STRABONEM, [1] cui muneri administrando sophistæ etiam sunt admoti, vt documento atque exemplo esse potest HERA-

[1] lib. XIIII. p. 665.

CLIDES

CLIDES Lycius, de quo dicit PHILOSTRATVS: [1] ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος καὶ Ἡρακλείδης, ὁ Λύκιος· καὶ τὰ οἴκοι μὲν, ἐπειδὴ πατέρων τε ἀγαθῶν ἔφυ· καὶ ἀρχιερέων Λυκίων ἐγένετο. *vir spectatæ auctoritatis Heraclides etiam fuit, Lycius; tum familiæ caussa, nam bonis parentibus ortus erat: tum quod ipse inter pontifices Lycios esset.* * adhæc de HERODE Atheniensi legimus, quod fuerit præses ἐλευθέρων πόλεων, id est vrbium, quæ suis & legibus & magistratibus vtebantur, ** vt PHILOSTRATVS [2] de eo testatur, quod se contulerit Smyrnam, vt fructu consuetudinis cum POLEMONE frueretur, κατὰ χρόνους, οὓς τὰς ἐλευθέρας τῶν πόλεων αὐτὸς διωρθοῦτο, *iis temporibus, quibus liberas ciuitates ille moderabatur*; & alio loco [3] dicit: ἦρχε μὲν γὰρ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐλευθέρων πόλεων ὁ Ἡρώδης, *præerat nempe liberis Asiæ ciuitatibus Herodes.* sed qualis fuerit ἀρχὴ HERODIS in ciuitatibus liberis? quærimus. erant quidem liberæ & ad suas tantum leges actiones dirigebant formabantque, ita tamen, vt summa illarum cura prouinciarum præsidibus seu proconsulibus fuerit tradita, ad quos nonnumquam ab ipsarum magistratibus instituta est prouocatio. sic MAXIMVS missus in prouinciam Achaiam ad ordinandum statum liberarum ciuitatum, id est ad homines maxime liberos, qui ius a natura datum, virtute, meritis, amicitia, fœdere denique & religione tenuerunt, vt PLINIVS [4] dicit; quamuis magistratus hic, quem habuit MAXIMVS, extra ordinem fuisse videatur, quoniam PLINIVS ipsi

1 *de vit. sophist. lib. II. n. 26. p. 612.* 2 *de vit. sophistar. lib. I. n. 25. p. 536.* 3 *lib. II. n. 1. de vit. sophistar. p. 548.* 4 *lib. VIII. epist. 24. n. 2.*

impe-

imperium & *fasces* tribuit, ac magistratum hunc *legationem*, quam MAXIMVS iudicio principis susceperit, vocat. de cetero HERODES Atheniensis consul romae fuit, quapropter istum adpellat A. GELLIVS [1] *consularem virum ingenioque amoeno & graeca facundia celebrem*; qui & alio loco [2] de eo scribit: *Herodem Atticum consularem virum Athenis disserentem audiui graeca oratione: in qua fere omnis memoriae nostrae vniuersos grauitate atque copia & elegantia vocum longe praestitit.* fuit igitur HERODES vir amplissima eloquentiae laude, ac dignitate grauissimorum magistratuum conspicuus, adeoque exemplum, quod ad argumentum dissertationis nostrae illustrandum multum valet.

* sophistae etiam alia munera sacra administrarunt. APOLLONIVS Atheniensis fuit *Hierophanta* in templo Cereris, quod indicat PHILOSTRATVS de vitis sophistar lib II. n. 20. *ἐπετράπη καὶ τὰς ἐξ ἀνακτόρων φωνάς, ἤδη γηράσκων*, quae verba G. OLEARIVS adcurate in latinam transtulit linguam: *Hierophanta quoque in sacris Eleusiniis senium iam ingressus factus est. ἀνάκτορον* enim est templum Cereris; *φωναὶ* vero sunt mysteria ab Hierophanta explicanda, adeo vt OLEARIVS addita obseruatione p. 600. dicendi formulam: *ἐπιτρέπεσθαι τὰς ἐξ ἀνακτόρων φωνὰς* elegantissime interpretur: *munus accipere voce conueniente mysteria, quae sint templi Cereris, explicandi;* confer MEVRSIVM de sacris Eleusin. cap. 13.

** cuius generis plures erant graeciae Asiaeque ciuitates, quae iuri huic maximum statuerunt pretium. immo graecos tanti duxisse hanc

1 N. A. *lib. IX. cap.* 2. 2 *lib. XIX. cap.* 12. N. A.

αὐτο-

αὐτονομίαν, vt eo nomine bella fuscipere, aut elato fpiritu fe efferre fuerint foliti, patet ex POLYBIO, DIODORO, LIVIO. CICERO lib. VI, ep. I. ad Atticum fcribit: *græci vero exfultant, quod peregrinis iudicibus vtuntur. nugatoribus quidem, inquies. quid refert? tamen fe αὐτονομίαν adeptos putant:* & epift. 2. *omnes fuis legibus & iudiciis vfæ, αὐτονομίαν adeptæ reuixerunt.* quumque illi, qui habebant *αὐτονομίαν*, fuis legibus ac magiftratibus vterentur, factum eft, vt ab imperatore CONSTANTINO PORPHYROGEN. in chorograph dicti fint *αὐτοκέφαλοι*, vide SPANHEMIVM obferu. ad IVLIANI orat. p. 37.

§. XXII. Neque id præmiorum genus filentio prætermittendum exiftimamus, quod fophiftæ ac rhetores per liberalitatem atque auctoritatem imperatorum victu publico vfi fuerint. erat *Alexandriæ* regia, a fingulis ferme regibus aucta & nouis ampliata ornamentis in parte vrbis amœniffima, quæ mare fpectat, collocata & in membra diuifa, quorum aliquod dictum eft *μȣσεῖον*, *mufeum*, de quo IONSIVS [1] I. F. GRONOVIVS & LVDOLPH. KVSTERVS [2] ADAMVS RECHENBERGIVS [3] A. CHR. ESCHENBACHIVS [4] fcripferunt. * quod mufeum peripatum & exhedram habebat, ac magnam domum, vbi victus publicus viris litterarum laude clariffimis præbebatur, in quibus & fophiftas rhetoresque fuiffe, auctoritate exemplorum ac teftimoniorum probare poffumus. etenim de fophifta DIONY-

1 *de fcriptoribus hiftor. philofophic lib. III cap. 2. §. 3.* 2 *peculiar. differtationibus de mufeo Alexandrino, quæ exftant tom. VIII. thef. antiquit. græc.* GRONOVII. 3 *pecul. differt. de mufeo Alexandrino.* 4 *differtat. academicis p. 305. feqq.*

SIO refert PHILOSTRATVS [1] quod istum ADRIANVS societati illorum, qui in museo hoc alebantur, adiunxerit: τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία, συγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους, *museum autem Aegyptia est mensa*, ** *quae ex omni terrarum orbe probatissimos viros inuitabat*; cuiusmodi beneficii quoque particeps factus est POLEMO ex eadem ADRIANI liberalitate, de quo PHILOSTRATVS [2] dicit: κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ Μουσείου κύκλῳ, ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν, *quin etiam in Musei circulum eum adlegit, vt Aegyptius ipsi praeberetur victus*, vbi per κύκλον intelligit coetum mensae adsistentium. ex quo auctore [3] tertium quoque adiiciamus exemplum, ADRIANI quippe sophistae, quem imperator ornauit δωρεαῖς καὶ δώροις, quibus vocibus vtitur PHILOSTRATVS easque distinguit, ita vt δωρεὰς adpellet τάς τε σιτήσεις καὶ τὰς προεδρίας, καὶ τὰς ἀτελείας, καὶ τὸ ἱερᾶσθαι, καὶ ὅσα ἄλλα λαμπρύνει ἄνδρας, *victum publice praebitum, loci praerogatiuam, immunitatesque & sacerdotia & quae alia viros illustres reddunt*: per δῶρα vero intelligat χρυσὸν, ἀργύριον, ἵππους, ἀνδράποδα, καὶ ὅσα ἑρμηνεύει πλοῦτον, *aurum, argentum, equos, mancipia, & quaecunque diuitiarum sunt argumentum.* ex his igitur satis superque constat, quod beneficium victus publici in sophistas quoque collatum fuerit adeoque ipsorum praemiis accesserit cumulus. disputarunt autem inter conuiuia de variis litterarum argumentis, quod ex SPARTIANO [4] cognoscimus, qui de ADRIANO scribit: *apud Alex-*

1 *de vit. sophist. lib. I. n. 22 p. 524.* 2 *de vit. sophist. lib. I. n. 25. p. 532.* 3 *lib. II. n. 10. de vit. sophistar. p. 589.* 4 *vit. Adrian. cap. 20.*

andriam

andriam in museo multas quæstiones professoribus propofuit & propofitas ipse dissoluit: & CLAVDIVS Cæsar veteri huic museo alterum ex suo nomine addidit, teste SVETONIO.[1] ***

* ex antiquioribus ARISTONICVS scripsit *περὶ τῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μυσείυ, de museo Alexandrino,* quo opere Alexandrinorum philosophorum & virorum doctorum historiam tradidit, etiam musei huius rationem exposuit. sic & CALLIMACHVS Μυσεῖον, necnon ALCIDAMAS scripserunt. sed monimenta hæc sunt deperdita. conf. FABRICIVM bibl. græca lib. III. cap. 19. p. 487. lib. IV. cap. 30. p. 369. not.

** scriptores veteres plerumque omnia musei huius emolumenta nomine *mensæ* complectuntur; quæ dicendi ratio varia oraculorum diuinorum loca illustrare potest, quibus beneficia cœlestia, quæ hominibus christianis dantur, voce *mensæ* indicantur: e. g. Psal. XXIII. v. 5. LXVIIII. v. 23. collat. Rom. XI. v. 9 prout quoque vita æterna eiusdemque felicitas cum conuiuio comparatur Matth. VIII. v. 12. Luc. XXII. v. 30.

*** antiquis monimentis veterum sapientum symposia celebrantur. quo nomine celeberrimum fuit Atheniensium *Prytaneum*, vbi iudices atque magistratus, etiam qui de republica bene meriti essent, alebantur publice: a huiusmodi symposiis non longe recedunt conuiuia Athenis in *lyceo* atque *academia* instituta a philosophis, vt de aliis taceamus, de quibus eleganter ac studiose disserit ESCHENBACHIVS de symposiis sapientum p. 279. dissertation. academic. legi quoque possunt au-

1 *vit. cap.* 42.

ctores

ctores de conuiuiis veterum, quos recenset FABRICIVS bibliograph. ant. cap. 19. §. 1.

§. XXIII. Quanta fuerit auctoritate sophista POLEMO, ex illis possumus cognoscere, quae de isto iam diximus. at vero extremo dissertationis huius illud quoque rei huius documentum adiiciamus, quod TRAIANVS imperator beneficium hoc ipsi dederit, vt terra marique ab omni onere immunis iter facere posset. sic enim PHILOSTRATVS[1] de eo dicit: Τραιανὸς μὲν αὐτοκράτωρ ἀτελῆ πορεύεσθαι διὰ γῆς καὶ θαλάττης. sed admonet propositae breuitatis fides, quanto transcursu omnia sint dicenda: quorirca negotio huic litterario vltimam imponamus manum. *

* animus quoque nobis erat, de nummis veterum sophistarum, rhetorum atque oratorum disserere; sed breuitatis studio tenemur. quo nomine argumentum hoc illustrandum in aliud reseruamus tempus. principes autem, qui memorias virorum toga illustrium in nummis conseruatas collegerunt, sunt FVLVIVS VRSINVS & I P. BELLORIVS illi debemus *imagines & elogia virorum illustrium & eruditorum ex antiquis lapidibus & numismatibus expressas;* huic vero: *veterum illustrium philosophorum poetarum, rhetorum & oratorum imagines ex vetustis nummis, gemmis, marmoribus* &c.

1 *de vit. sophist. lib. I. n. 25. p. 532.*

DIATRIBE

161

DIATRIBE DE AMOENITATIBVS HISTORICIS EX CICERONIS PEREGRINATIONE COLLECTIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De peregrinationibus veterum generatim §. I. *de Ciceronis peregrinatione generatim* §. II. *de Athenis, vbi litterarum studia coluit Cicero* §. III. *de scholis Athenienſibus litterariis* §. IIII. *de litterarum diſciplinis, quibus Cicero Athenis ſeſe conſecrauit* §. V. VI. *de ipſius praeceptoribus* §. VII. *de Aſia, quam Cicero peragrauit, eiusdem litterarum domiciliis atque eloquentia Aſiaticorum oratorum* §. VIII. VIIII. *de re litteraria Rhodiorum, quam & Cicero cognitam ſibi reddidit* §. X. XI.

VEteres in alias ſe oras terrarum contuliſſe, ex clariſſimis antiquae aetatis monimentis patet, quod inſtitutum iis de cauſſis praecipue obſeruarunt, vt partim valetudinem tuerentur, bonumque ſeruarent corpus; partim ſtudia bene coepta magis perficerent ac confirmarent. fuerunt certa itinera, quae certis morbis profutura ſuſcipiebantur, prout Romanis phthiſi adfectis & egerentibus ſanguinem nauigatio in Aegyptum credebatur prodeſſe. PLINIVS [1] de liberto ſuo Zoſimo ait: *nam ante aliquot annos dum intente inſtanterque pronunciat, ſanguinem reiecit, atque ob hoc in Aegyptum miſſus a me, poſt longam peregrinationem confirmatus rediit nuper.* cauſſa vero, cur hanc in primis regionem peterent veteres, aut Aegyptiaci caeli ratio ſeruandae valetudini ſalubris; aut peritia medicorum fuit, quorum Alexandriae praecipue magna erat vbertas. equidem PLINIVS maior [2] exiſtimat, *quod Aegyptus non per ſe petatur, ſed*

1 *lib. V. epiſt. 19. n. 6.* 2 *lib. XXXI. cap. 6. hiſt. natural.*

propter

propter longinquitatem nauigandi: at si hoc motus tantum præstat nauigationis, cur non in Syriam aut in Cyprum insulam, qui æque cursus & idem mare est, a phthisi laborantibus nauigabatur? adi SALOMON. CELLARIVM.[1] ita quoque ab omni hominum memoria consueuerunt, quibus animus ad litterarum studia erectus inerat, vt discendi caussa in longinquas demigrauerint regiones ac doctrinæ sapientiæque congesserint facultates. probant id exempla clarissimorum virorum, quos in primis vetus Græcia ac Latium produxit aluitque, quippe qui ad colligendam plurimarum rerum cognitionem sunt diu multumque peregrinati. cuiusmodi iter litterarium suscepisse traditur ORPHEVS, quem litterarum caussa in Aegypto versatum fuisse, legimus apud DIODORVM,[2] qui &[3] commemorat, quod Aegyptii contendant, variis probare argumentis, HOMERVM Aegyptum ipsiusque eruditionis templa petiisse. LYCVRGVS gentium mores & instituta cogniturus Cretam adiit Asiamque ac Aegyptiorum artibus & disciplinis excultus, condidit rem publicam, eamque legibus æqui ac iusti superstruxit; vt silentio transeamus exempla THALETIS MILESII, SOLONIS, ANAXAGORAE PHERECYDIS *Syrii* DEMOCRITI *Abderitæ* aliorumque. illustres sunt peregrinationes eruditæ, quas PYTHAGORAS ac PLATO instituerunt, quorum ille duos supra viginti annos in amœnis musarum recessibus inter litteratos labores apud Aegyptios consumsit: confer BVDEVM;

1 *de originibus & antiquitatibus medio. cap. 5.* 2 *bibl. histor. lib. IIII. cap. 26.* 3 *lib. I. cap. 97.*

DEVM;[1] hic vero primum ſe contulit in Italiam: poſtea traiecit in Africam, vt Cyrenis Theodori ope cognoſceret geometriam & cum Eudoxo itineris ſocio in ipſam progresſus Aegyptum, qua relicta & multa alia terrarum loca perluſtrauit, prout id a IO. GVIL. IANO[2] pluribus fuit expoſitum. nec minus nobilis eſt peregrinatio STRABONIS *Amaſeni*, qui paſſim itinerum a ſe ſuſceptorum ipſe habet mentionem, Aegyptumque Aſiam & Græciam atque Italiam item Sardiniam & alias inſulas adiiſſe ſe teſtatur: confer IO. ALBERTVM FABRICIVM.[3] ſic & PAVSANIAS *Cappadox* ſophiſta vniuerſam peragrauit Græciam, vniceque huic rei dedit operam, vt ſitum vrbium & locorum, antiquitates græcas ac cuiuscunque regionis inluſtria momenta obſeruaret: vide THOMAM REINESIVM.[4] idem Romanis erat inſtitutum, vt vel poſt ingresſum in forum, vel antea etiam, vel quandocunque occaſio in bello, in prouinciis ſeſe oſtendebat in græcas litterarum ſedes proficiſcerentur, quo culturam bonæ mentis ſtudiorum, quæ erat bene coepta, magis magisque exercerent, de quo argumento GE. NICOL. KRIEGK[5] pluribus diſſeruit.

§. II. CICERONIS iter litterarium in primis notum eſt. in quo quum deprehendimus momenta, quæ explicari atque illuſtrari merentur, non ab re eſſe duximus, peculiari ratione de itinere hoc CICERONIS tractare. ipſe de ſe teſtis eſt:[6] *erat eo tempore*, ait, *in*

1 *exercitat. hiſt. de peregrinat. Pythag. p. 3. analect. hiſt. philoſ.* 2 *diſſert. de peregrin. Platonis. VVitteb. 1706.* 3 *bibliothec. græc. lib. IV. cap. I. p. 3.* 4 *ſyntagm. inſcription. antiq. p. 2.* 5 *diatrib. de peregrinationibus Romanorum academicis.* 6 *Bruto, ſeu claris oratoribus cap. 91.*

nobis

nobis summa gracilitas & infirmitas corporis: procerum & tenue collum: qui habitus & quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo si accedit labor & laterum magna contentio. eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commouebat, quod omnia sine remissione, sine varietate vi summa vocis & totius corporis contentione dicebam. & paucis interiectis: *quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo & prudentissimo philosopho fui, studiumque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum & semper auctum, hoc rursus summo auctore & doctore renouaui. eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem & non ignobilem dicendi magistrum studiose exerceri solebam. post a me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps Menippus Stratonicensis, meo iudicio, tota Asia, illis temporibus disertissimus: & si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic orator in illis recte numerari potest. assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes. erat etiam Aeschylus Cnidius, Adramytenus Xenocles. hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. quibus non contentus Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romae audiueram, Molonem applicaui, cum actorem in veris caussis scriptoremque praestantem, tum in notandis animaduertendisque vitiis, & instituendo docendoque prudentissimum.* quae prolata verba fundamenti loco nostrae dissertationis ponamus. ille, qui hanc instituit profectionem, est M. TVL-

LIVS CICERO, qui natus, vt A. GELLIVS obſeruauit [1] *Q. Seruilio Capione* & *C. Atilio Serrano* conſulibus anno V. C. IϽCXLVII, ante natam humani generis ſalutem, vt vulgo computatur CIII. puer vſus eſt græcis præceptoribus, in quibus *Archias* poeta fuit, quem a primis pueritiæ annis principem ad rationem ſtudiorum ingrediendam ſibi extitiſſe, ipſe oratione pro illo profitetur. e philoſophis fere primum *Philonem* fuit ſectatus, qui bello Mithridatico Athenis Romam profugerat, quo tempore & *Q. Mucii Scæuolæ* iuris ciuilis ſtudio ſe tradidit, etiam *Sulpicio* tribuno plebis & *Moloni* Rhodio ad Syllam legato, non minus cauſſarum actori, quam magiſtro multum dedit operæ. in exercitu *Cn. Pompeii* conſulis XVIII. ætatis anno erat tiro, quamuis breui rediit ad muſas, & aſſidue declamauit, magis tamen græce, quam romane. variis functus eſt honoribus. fuit quippe quæſtor, ædilis, conſul, augur, proconſul & nomen *Imperatoris* Amanienſibus deuictis conſecutus. tandem triumuiratu inito proſcriptus ſub finem anni, quo *Panſa* & *Hirtius* fuerunt conſules, ſenilem vitam eripiente *Antonio*, dimiſit; quæ fatorum Ciceronis momenta ab aliis iam ſatis & ſuper ſunt tradita. [2] hic CICERO iter, de quo in præſens diſſeramus, ſuſcepit, idque debilioris corporis cauſſa, cui ipſi amici metuebant, vt ex ipſius ſuperioribus verbis adparet: quamuis metus *Syllæ*, quem Roſcii cauſſa, cuius erat patronus, grauiter offenderat, non minus animum ipſius ad iter hoc commouiſſe, quam corporis infirmitas ac virium eius lu-

1 *lib. XV. cap. 28. N. A.* 2 *vide hiſtoriam criticam lat. lingu. a nobis editam cap. 8. §. 6. p. 355.*

brica

brica natura videatur. quapropter PLVTARCHVS: [1] *δεδιὼς δε τὸν Σύλλαν ἀπεδήμησεν εἰς τὴν ἑλλάδα, διασπείρας λόγον ὡς τȣ̃ σώματος αὐτȣ̃ θεραπείας δεομένȣ, ceterum metu Syllæ in Græciam profectus est vulgans ob corporis curam abire.* [2] in caussis iam biennium versatus erat, & in foro eam dicendi gloriam adeptus, vt nec vlla caussa ageretur, quæ non patrocinio eius digna videretur. namque intra biennii spatium anno ætatis XXVI. & V. C. 672. *P. Quintium* defenderat, & sequenti proximo coram M. Faunio iudice *Sex Roscium* filium Sexti Roscii diuitis municipis Amerini, quem conducto accusatore Erucio parricidii adcusabant, prout ipse dicit [3] *itaque prima caussa publica pro Sex Roscio dicta tantumque commendationis habuit, vt non vlla esset, quæ non digna nostro patrocinio videretur: deinceps inde multæ, quas non minus diligenter elaboratas & tanquam elucubratas afferebamus.* in Græciam itaque secessit anno ætatis XXVIII. & V. C. DCLXXIIII. ante N. C. LXXIX. *P. Seruilio Vatia* post. d. Isaurico & *Ap. Claudio Pulchr.* COSS.

§. III. Sed fac, CICERONEM profectum in alienas terrarum regiones siue valetudinis siue Syllæ caussa; iter tamen & litterarium fuit, quo studia bene iam exculta magis perfecit, & ad summum nitoris atque elegantiæ perduxit fastigium. distincte aperteque disseramus de locis, quæ petiit; de disciplinis litterarum, quas tractauit & de præceptoribus, quibus est vsus. primum profectus est ATHE-

1 *vita Ciceronis pag. 862.* 2 *add. Iacobi Prouß. obs. ad dictum Ciceronis locum. p. 121.* 3 *Bruto cap. 90.*

NAS, quarum non tantum per antiquitatem, ſed humanitatem quoque & litterarum ſtudia magna laus eſt apud ſcriptores omnis ætatis. namque vocat iſtas STRABO οἰκητήϱιον σοφῶν, *ſapientum domicilium*; ARISTIDES σοφίας πϱυτανεῖον. *ſapientiæ prytaneum*; THVCYDIDES παίδευσιν ἑλλάδος *Græciæ ſcholam*, DIODORVS SICVLVS κοινὸν πάντων ἀνθϱώπων παιδευτήϱιον *communem omnium hominum ludum litterarium*; DEMOSTHENES ψυχὴν, ὀφθαλμὸν ἑλλάδος, *animam*, *oculum Græciæ*. ſic & Athenæ nomen ferebant πόλεως, vt olim vrbs Roma; PLINIVS vero [1] dicit: *libera hæc ciuitas, nec indiga vllius præconii amplius: tanta claritas ſuperfluit*: & CICERO [2] *adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur: de quorum vrbis poſſeſſione propter pulcritudinem etiam inter Deos certamen fuiſſe proditum eſt: quæ vetuſtate ea eſt, vt ipſa ex ſeſe ſuos ciues genuiſſe dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: auctoritate autem tanta eſt, vt iam fractum prope ac debilitatum Græciæ nomen huius vrbis laude nitatur*; qui & alibi [3] in prædicandis Athenis verſatur, cui ex recentioribus addas VBBONEM EMMIVM [4] MEVRSIVM, [5] interpretes ad AVGVSTINVM [6] & ad dictum Ciceronis locum [7] apud GRAEVIVM, [8] BARTHIVM [9] IAC. PERIZONIVM [10] CELLARIVM, [11] vt de aliis

1 *lib. IV. cap. 7.* 2 *pro Flacco c. 26.* 3 *de oratore lib. I. cap. 4. lib. III. c. 2. Bruto c. 13. de legibus lib. II. cap. 14.* 4 *de rep. Athen. p. 7.* 5 *de fortun. Attica cap. 7 & 8.* 6 *de C. D. XVIII. 9.* 7 *pro Flacco cap. 26.* 8 *p. 164.* 9 *ad Aen. Gazaeum, p. 189. & ad Pap. Stat. XII. Theb tom III. p. 1509.* 10 *lib. IV. cap. 6. Aeliani V. H. p. 315. 316.* 11 *N. O. A. lib. II. cap. 13. p. 1149.*

geogra-

geographiæ ſcriptoribus taceam, & qui de re publica Athenienſium prodiderunt quædam, CAROLO quippe SIGONIO, GVILIELMO POSTELLO, ANTONIO THYSIO. atque hæc princeps cauſſa fuit, cur Athenæ ingeniorum prouentu floruerint, quæ eo demigrabant, vt variis litterarum ſtudiis excolerent animum & inter clariſſimorum virorum monimenta verſarentur fruerenturque eorum conſuetudine: ex quibus romani in primis in has litterarum ſedes profecti ſunt, cupiditate viros inclitos audiendi atque eorum præceptis & ſe & doctrinam ſuam confirmandi adcenſi: conf. GE. NIC. KRIEGK.[1] ad hæc exiſtimabant, amœnitatem locorum excitare animos ad ſtudiorum culturam, & ſeceſſus in primis iucunditate nobiles litterarum otiique gratia eligebant: vide PLINIVM,[2] Athenæ vel eo nomine litterarum ſtudiis excolendis aptæ fuerunt, quod ibi fruebantur ſalubri cælo ac mitiori amœniorique illius ſpiritu; hinc CICERO:[3] *Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.*

§. IV. Duo in primis loca Athenis erant, in quibus ſapientiæ emporia officinasque conſtituerunt: quorum alter eſt *Academia*, alter *Lyceum*. academia locus erat ſuburbanus mille paſſus ab vrbe diſtans, ſic dictus ab *Academo*, heroe. DIOGENES LAERTIVS[4] dicit: Ἀκαδημία ἐςὶ γυμνάσιον ἀπό τινος Ἥρωος ὀνομασθὲν Ἀκαδήμȣ, *Academia gymnaſium eſt a quodam heroe Academo ſic dictum*: PAVSANIAS[5]

1 *de peregrin. rom. acad p. 27.* 2 *lib. II. ep. 17. lib I. ep. 3. lib. V ep. 18. lib. VI ep. 14. lib. IX. ep. 7.* 3 *de fato. c. 4.* 4 *libr. 3. ſegm. 7.* 5 *in Atticis c. 29.*

ἐγγυτάτω δὲ Ακαδημία, χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτȣ, γυμνάσιον δὲ ἐπ' ἐμȣ̃, proxime vrbem est Academia, priuati olim hominis possessio, mea ætate gymnasium: cum quibus idem sentiunt STEPHANVS de vrbibus, HESYCHIVS, SVIDAS. quo in loco iam Academus instituerat scholam non litterariam; sed corporibus exercendis corroborandisque destinatam, ipso Academo virtute fortitudinis eminente. *nam & seculis multis ante gymnasia inuenta sunt, quam in his philosophi garrire cœperunt*, vt CICERO [1] ait. PLATO ex itineribus, quæ sapientiæ gratia fecerat, redux non diu Athenis vixit; sed vt musis suis otium adquireret amœnum, agrum hunc ter mille drachmis sibi ac suis redemit: vide PLVTARCHVM; [2] ac ibi officinam philosophiæ celeberrimam instituit, vnde & discipuli ipsius dicti sunt *Academici*. CICERO [3] *qui erant cum Aristotele Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis instituto in academia, quod est alterum gymnasium, cœtus erant & sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt.* locus erat amœnus multis arboribus & clarorum virorum monumentis ornatus: DIOGENES LAERTIVS [4] *τὸ δ' ἐστὶ γυμνάσιον προάστειον ἀλσῶδες, est gymnasium in suburbano nemorosum*: CICERO [5] *inque academia vmbrifera nitidoque Lyceo fuderunt claras facundi pectoris artes.* erant ibi aræ amoris, Promethei, Mercurii, Mineruæ, Herculis; hortuli plures, academica spatia mirifice nobilitantes; bibliotheca, quam sibi compara-

1 *lib. II. de orat. cap. 5.* 2 *de exil. p. 603.* 3 *academ. quæst. lib. I. c. 4.* 4 *lib. III. segm. 7.* 5 *de diuinit. lib. I. cap. 13.*

uerat Plato: adde IO. MEVRSIVM, [1] MENAGIVM, [2] CONRINGIVM, [3] VOSSIVM, [4] HIERONYMVM MATRANGAM, [5] IO. ANDR. SCHMIDT [6] CELLARIVM, [7] POTTERVM, [8] IO. PETR. LVDOVICI. [9] alter locus est *Lyceum*, in quo fuit *Peripatus*, Aristotelis deambulatio, quod nomen ortum ab *Apolline Lyceo*, cui erat sacrum, traditur: DIOGENES LAERTIVS: [10] ἐλθόντα δὴ αὐτὸν, καὶ θεασάμενον ὑπ᾽ ἄλλῳ τὴν σχολὴν, ἑλέσθαι περίπατον τὸν ἐν λυκείῳ καὶ μέχρι μὲν ἀλείμματος ἀνακάμπτοντα τοῖς μαθηταῖς συμφιλοσοφεῖν, ὅθεν περιπατητικὸν προσαγορευθῆναι, *quum vero reuersus esset* (Aristoteles) *scholamque sub alio vidisset, elegisse in Lyceo deambulationis locum, illicque ad certum temporis spatium deambulando cum discipulis philosophari solitum, atque inde peripateticum adpellatum esse.* Ciceronem vtrumque frequentasse locum, vt pectus impleret sapientiæ studiis, non est dubium, præcipue cum fuerit cum *Antiocho Ascalonita*, quem nobilissimum philosophum veteris academiæ vocat: [11] qui & ipse fatetur, [12] *se oratorem non ex rhetorum officina, sed ex academiæ spatiis extitisse. Lycei* nomen etiam gymnasio Ciceronis in Tusculano fuit: [13] *quibus de rebus & alias sæpe & paullo accuratius nuper cum essem cum Q. fratre in Tusculano disputatum est. nam cum ambulandi caussa in Lyceum venissemus* (*id enim superiori gymnasio nomen est*) *perlegi, ille inquit, tuum paullo ante tertium de*

1 *de Ceramico gemino.* 2 *ad Laert. p. 141.* 3 *antiquit. academ. pag. 9.* 4 *de sectis philos. c. 12. n. 3. p. 66.* 5 *Syntagm. VII.* 6 *disput. de gymnasiis litterariis Athen. Ien. 1688.* 7 *lib. II. c. 13. p. 1150. N. O. A.* 8 *Archaeol. graec. p. 33. 34.* 9 *de prima academ. villa Platonis.* 10 *lib. V. segm. 2.* 11 *in Bruto.* 12 *de oratore c. 3.* 13 *lib. I. c. 5. de diuinat.*

natura

natura Deorum, cetera. præter Academiam & Lyceum, celebre quoque erat gymnasium *Cynosarges*, de quo POTTERVS [1] ita disserit: „Κυνόσαργες in suburbiis prope Lyceum fuit, „nomen illi ab *albo* aut *celeri cane*, qui græcis „κύων ἀργὸς, quique, Diomo sacra Herculi fa- „ciente, victimæ partem surripuit, ex Hesy- „chio aliisque innumeris. Variis hic locus „templis fanisque, Hebæ Alcmenæ & Ioalo „sacris ornatus fuit, imo & in ipsius Herculis „honorem magnificum fanum exstructum. „nihil vero ibi gymnasio memoratu dignius, „in quo peregrini, iique vel alterutra ex parte „ad Athenienses pertingerent, siue, qui patre „aut matre Atheniensi procreati essent, sese „exercere poterant: & paucis interiectis: hoc „in gymnasio sectam philosophorum, qui a „loci nomine (vt nonnulli existimant) κυνικοὶ, „*Cynici* vocati sunt, Anthistenes instituit, pro- „ut narrat Diogenes Laertius: " [2] adde MENAGIVM. [3]

§. V. Nunc dispiciendum, ad quæ litterarum studia Cicero Athenis animum suum adplicauerit. principes romanis studium eloquentia quidem fuit; philosophiæ tamen operam quoque dederunt, Ciceronis in primis tempore, sub quo litteræ nitidiorem faciem omnes induebant: [4] *philosophia*, inquit, *iacuit vsque ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen litterarum latinarum: quæ illustranda & excitanda nobis est, vt si occupati profuimus aliquid ciuibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi.* iam romæ Cicero philoso-

1 *archaeolog. græc. lib. 1. c. 8. p. 34.* 2 *Antisthenis vita.*
3 *obseruationibus ad dictum Laertii locum. p. 230.* 4 *lib. I. Tusc. quæst.*

phiæ

phiæ ſtudio animum ſuum tradiderat, ac *Philonem* haſce diſciplinas docentem, ſingulari induſtria fuerat ſectatus, teſte PLVTARCHO,[1] qui dicit: φίλωνος ἤκουσε τοῦ ἐξ Ἀκαδημίας, ὃν μάλιστα Ῥωμαῖοι τῶν Κλειτομάχου συνήθων καὶ διὰ τὸν λόγον ἐθαύμασαν, καὶ διὰ τὸν τρόπον ἠγάπησαν, *Philoni dedit operam academico, quem romani ſupra ceteros Clitomachi alumnos & ob dicendi facultatem admirati ſunt & dilexerunt ob morum ſuauitatem*: quem Philonem frequenter ſe audiuiſſe, ipſe teſtatur.[2] in hoc philoſophiæ ſtudio Athenis progreſſus eſt, quæ eo tempore magiſtris ac doctoribus harum litterarum abundabant, quorum ſcholas frequentabat aſſidue & inſtitutis eorum auxit ſe & confirmauit. primum philoſophorum præcepta; deinde rhetorum percepit, vt ex ſuperioribus a nobis prolatis ipſius verbis patet: *quum veniſſem Athenas, ſex menſes cum Antiocho veteris academiæ nobiliſſimo philoſopho fui.* item: *eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem & non ignobilem dicendi magiſtrum ſtudioſe exerceri ſolebam.* quod vtrumque & eloquentiæ & philoſophiæ ſtudium feliciſſimo ſucceſſu coniunxit, ſaniori ſententia ſibi perſuaſus, haſce diſciplinas ita coniunctas eſſe, vt ſine detrimento nequeant diuelli; nec ſine philoſophia effici poſſe eloquentem. primum quod ad ſtudium philoſophiæ, cui Athenis ſe conſecrauit, adtinet, præter academicos quoque Epicureorum ſcholas & Zenonem præcipue & Phædrum Epicureos adiit: *me audiente*, inquit, *Athenis Zeno Epicureorum acutiſſimus contendere & magna voce dicere ſolebat, eum eſſe beatum, qui præſenti-*

1 *in vita Cicer. pag. 861.* 2 *lib. II. c. 3. Tuſc. quæſt.*

bus

bus voluptatibus frueretur, consideretque, se fruiturum aut in omni aut in magna parte vitæ dolore non interueniente. equidem philosophiam Stoicam magno studio coluit, & Diodotum stoicum a puero præceptorem habuit, quem & ita amauit, vt eum in domum reciperet, in qua mortuus est, *C. Cæsare & M. Bibulo Coss.* [1] ad hæc ex monimentis ipsius, quæstionibus inprimis Tusculanis, academicis, item de Deorum natura atque officiis luculenter patet, quam multam operam in stoicorum philosophia posuerit; hinc & LACTANTIVS [2] dicit: *sed & M. Tullius, quamuis academiæ disciplinæ defensor esset, de prouidentia gubernatrice rerum & multa & sæpe disseruit, stoicorum argumenta confirmans & noua ipse adferens plurima.* Verum num Athenis quoque scholas adierit stoicorum, id scriptum nobis haud reliquit; saltem *Zenonem* stoicorum principem, per ætatem minus audiuit, vt G. NIC. KRIEGK [3] opinatur. namque *Zeno* ille ingenio clarus fuit Olymp. CXXIX. I. anno, a quo tempore Cicero Atheniensibus litterarum studiis sacratus longius abfuit. de cetero facile ex his conligere quis posset, quod Cicero eiusmodi rationem studiorum suorum philosophiæ ingressus sit, vt nulli sectæ sese addixerit, sed veritatis amans ex multorum præceptis congesserit, quæ probatissima ipsi viderentur. quam in rem ipse testatur [4] dicens: *defendat quidem, quod quisque sentit: sunt enim iudicia libera: nos institutum tenebimus; nullisque vnius disciplinæ legibus ad-*

1 *vid. ad Attic. lib. II. ep. 20. Tusc. quæst. lib. V. cap. 39.*
2 *lib. I. cap. 2. instit. diuin.* 3 *de peregrinationibus rom. acad. §. 19. p. 16.* 4 *Tusc. quæst. lib. IV. c. 4.*

stricti,

ſtricti, quibus in philoſophia neceſſario pareamus, quid ſit in quaque re maxime probabile ſemper requiremus. præclare ſane pronunciata hæc ſunt & digna, quæ ab omni philoſophiæ candidato religioſe obſeruentur, cui amicus eſſe debet modo Socrates, modo Plato, modo Ariſtoteles. ſed tamen, quamuis ſequatur mox Platonem academicosque, mox Stoicos, mox Ariſtotelem; pronior tamen plerumque eſt ad ſententias Platonis eorumque, qui academicorum veniebant nomine, adeoque non ſemper, veluti a Platonis ſtudio alienus, illud ſibi ſuum fecit, quod propria aſſiduaque cogitatione deprehendit, veritati eſſe proximum. en venerationem, quam erga Platonem fouet TVLLIVS: *errare me hercule malo,* inquit, *cum Platone, quem tu quanti facias ſcio, & quem ex tuo ore admiror, quam cum ipſis vera ſentire.* [1] hinc & LACTANTIVS [2] adfirmat, quod ſolus exſtiterit Platonis imitator; & [3] adpellat Ciceronem *ſummum Platonis imitatorem.* quidquid ſit: Cicero magnam philoſophiæ gloriam ſua ætate adeptus eſt. MACROBIVS [4] dicit: *nullam de tribus (philoſophiæ partibus) Tullius in hoc ſomnio prætermiſit. nam illa ad virtutes amoremque patriæ & ad contemtum gloriæ adhortatio, quid aliud continet, niſi ethicæ philoſophiæ inſtituta moralia? cum vero vel de ſphærarum modo, vel de nouitate ſiue magnitudine ſiderum, deque principatu ſolis & circis cæleſtibus, cingulisque terreſtribus & oceani ſitu loquitur, & harmoniæ ſuperum pandit arcanum; phyſicæ decreta*

1 *Tuſc. quæſt. lib. I. cap. 17.* 2 *lib. I c. 15. inſtit. diu.* 3 *lib. III. c. 25.* 4 *Somnio Scipionis lib. II. c. 17.*

comme-

commemorat. at cum de motu & immortalitate animae disputat; cui nihil constat inesse corporeum, cuiusque essentiam nullius sensus; sed sola ratio deprehendit: illic ad altitudinem philosophiae ascendit. vere igitur pronunciandum est, nihil hoc opere perfectius, quo vniuersa philosophiae continetur integritas. LACTANTIVS [1] pronuntiat, *quod M. Tullius non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuerit*; nec recentiori aeuo defuerunt, qui Ciceronis philosophiae summum statuerunt pretium, ipsumque in numero principum philosophorum haberi debere, existimarunt, vt ex M. ANTONII MAIORAGII decisionibus & IACOBI GRIFFOLI defensionibus contra CAELIVM CALCAGNINVM, quas IO. GEORGIVS GRAEVIVS editioni suae librorum Ciceronis de officiis adiecit, videre possumus. imo ipse CICERO [2] dicit: *ego vir fortis idemque philosophus*; & [3] *soli propemodum* (Cato & Cicero) *philosophiam illam veram & antiquam, quae quibusdam otii esse ac desidiae videtur, in forum atque in rem publicam, atque in ipsam aciem paene deduximus.* verum enim vero si efferamus libere, quae de philosophia Ciceronis sentiamus, intuitu philosophorum, quos nostra eaque philosophiae litteris foecundissima aetas protulit, non tantae dignitatis auctoritatisque esse videtur. equidem cum PETRO POMPONATIO [4] adfirmare nolim: *Cicero quanquam fuit clarissimus orator, minime tamen fuit philosophus*; nec IO.

1 *lib. I. cap. 15. instit. diuin.* 2 *lib. IX. epist. 17. num. 9. ad diuersos.* 3 *lib. XV. ep. 4. n. 41.* 4 *de incantationibus cap. 12. extr.*

IONSII

IONSII [1] iudicium, *laudem eloquentiæ tribuendam Ciceroni censeo, philosophiæ non item* adprobare possum. fuit quippe Cicero vir facultate iudicii excellens, quam & summa laborauit opera magis & magis perpolire, adeoque se philosophiæ scientia augere, quod studium nec contemnendos tulit fructus. quod si monimenta ipsius, quæ philosophiam spectant, adcuratiori euoluamus meditatione, obseruamus sane veritates præstantissimas, easque in primis in doctrinis morum ac societatis humanæ. sed tantum abest, vt summam scientiæ huius mereatur laudem vt multa admiserit, quæ grauiori digna sint censura. namque primum præsidio artis cogitandi seu logices non adeo fuit munitus, quo factum, vt rerum indoles speciesque non tradiderit curatius, multo minus ex claris antea positis propositionibus deriuauerit consequentias: deinde animi sui adfectibus quædam interdum dedit & auctoritate PLATONIS præcipue captus, non semper requisiuit, quid in quaque re sit verum. sed hæc in transitu.

§. VI. De eloquentia, cui Athenis Cicero operam suam addixit, paucis verbis iam differendum est. ipse ait: [2] *eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum veterem & non ignobilem dicendi magistrum studiose exerceri solebam.* princeps romanis studium erat eloquentia, cui deferebant primas partes & a pueris omne consecrabant studium, quodque iurisprudentiæ & philosophiæ anteferebant. ex quo studia litterarum in vrbe coli & exer-

1 *lib. II. c. 18. §. 4. de scriptoribus historiæ philosophicæ.* 2 *in Bruto. c. 91.*

M cert

ceri cœperunt, culturæ artis dicendi multi ſe tradebant, quæ, quamuis prima ſua ætate rudis plerumque fuerit atque impolita, ſenſim tamen accepit incrementa & in dies facta ornatior, ad illud tempus adſpirauit, quo ſupremam limam Cicero expoliendæ illi adhiberet, *ſub quo principe vniuerſa dicendi vis erupit*, vt VELLEIVS PATERCVLVS [1] dicit. romæ Cicero tempus multum dederat exercitiis oratoriis duce *Molone Rhodio*, actore ſummo cauſſarum & magiſtro; item ſtoico *Diodoto* ita erat deditus, vt ab eloquentiæ exercitiis nullus dies vacuus eſſet; immo in lucem productus iam defenderat P. *Quintium* & *Roſcium* Amerinum, vt ſupra monuimus. declamauit domi aſſidue, ſed græce magis, quam latine, vt de ſe [2] teſtatur: *commentabar declamitans ſæpe cum M. Piſone & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam latine, ſed græce ſæpius, quod græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter latine dicendi adferebat*: quid? quod ad præturam vsque græce declamauit, vt SVETONIVS [3] oſtendit; græca enim lingua romanis erat, quæ nobis latina; ac romani adoleſcentes prius adducebantur ad græcæ linguæ culturam, quam latinæ: CICERO apud SVETONIVM [4] de ſe ad M. Titinium ſic refert: *continebar doctiſſimorum hominum auctoritate: qui exiſtimabant, græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Atticus* ſic græce locutus, vt Athenis natus viſus fuerit, teſte NE-

1 *lib. I. c. 17.* 2 *in Bruto, c. 90.* 3 *de claris rhetoribus cap. 1.* 4 *de claris rhetoribus c. 2.*

POTE

POTE[1] & *Augustus* in graecis litteris praestitit largiter, vide SVETONIVM:[2] immo graecorum lingua romanis adeo familiaris fuit, vt & mulieres ea loquerentur, lege IVVENALEM[3] verum quum Cicero intra Atheniensium litterarum versaretur officinas ac templa, non mirum est, quod & ibi pectus suum impleuerit eloquentia, & studium ipsius magis perfecerit ac confirmauerit, quoniam Athenae sedes erant ac domicilium eloquentiae, in quibus, vt ipse Cicero[4] ait, summa dicendi vis & inuenta est & perfecta: in qua ipsa ciuitate profecto nulla vnquam vehementius, quam eloquentiae studia viguerunt: VELLEIVS PATERCVLVS[5] *vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quam vniuersa graecia, vberiusque floruit, adeo vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates; ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes*; quem locum IO. FRIDERICVS GRONOVIVS[6] male sanum esse existimat, eique hanc adfert medelam: *vna vrbs Attica pluribus annis eloquentiae quam vniuersa graecia, operibusque floruit*, & addit: floruit igitur annis pluribus operi-„ busque eloquentiae Attica, quam vniuersa„ graecia, quia per annos plures puram & flo-„ ridam copiosamque eloquentiam conserua-„ runt & plurima monimenta ediderunt Athe-„ nienses, quam ceteri omnes graeci. floruit„ annis eloquentiae Attica, dum eloquentiam„ velut diuturna iuuenta florentem, nondum„ senescentem & defectam habuit." namque magno numero rhetores atque oratores Athe-

1 *in vita ipsius c. 4.* 2 *vita. c. 84. 89.* 3 *satira 6. v. 187.* 4 *lib. I. de orator. cap. 4.* 5 *lib. I. cap. 18.* 6 *lib. II. c. 23. p. 407. obseruat.*

nis se protulerunt, ex quibus decem illi clarissimum a se dederunt nomen, *Antiphon* quippe, *Andocides*, *Lysias*, *Isocrates*, *Isæus*, *Lycurgus*, *Demosthenes*, *Aeschines*, *Hyperides* & *Dinarchus*. ex quo græcia eloquentiæ studio incensa, ab Atheniensibus est elaborata dicendi vis atque copia, qua in vrbe primum se orator extulit, primumque etiam monimentis & litteris oratio est cœpta mandari, teste CICERONE.[1] quod ad exercitia adtinet, quibus Cicero dicit se exercitatum fuisse apud Demetrium Syrum, fuerunt illa procul dubio declamationes græca lingua, prout varia ratione veteres exercebant ingenia arte ac facultate dicendi, ac modo in argumentis ethicis, quæ dicebantur θέσεις; modo historiarum, quum aliquid laudarent aut vituperarent; modo fictis controuersiis, quas LACTANTIVS[2] *exercitationem fictarum litium* eleganter dicit, versabantur. ante omnia viguerunt declamationes, quæ erant exercitia maiorum ac prouectiorum, quas adpellat PLVTARCHVS σοφιστικὰς μελέτας, DIONYSIVS *Halicarnassensis* γυμνάσματα τε καὶ ἀσκήματα τῆς ῥητορικῆς, PRISCIANVS *certamina rhetorica*; GELLIVS *decursus ludicros & simulacra præliorum voluptuaria*; QVINTILIANVS *pugnæ simulacra & forensium actionum meditationem*, *consiliorum iudiciorumque imaginem*. vetustioribus temporibus & longe ante *Gorgiam Leontinum* græci locos quosdam communes inter oratoriæ exercitia posuerunt, quod & ante tempora Ciceronis apud romanos in vsu fuisse, ipse testis est Cicero. agebant quippe de virtuti-

1 in Bruto c. 7. 2 diuin. instit. lib. I. c. I.

bus, vitiis, paupertate, exilio, vita, morte, agricultura, re militari, religione, cælo, bello, pace, cetera.

§. VII. Ad ipſos præceptores ac magiſtros, quibus CICERO Athenis vſus eſt, nos conuertamus. primus, cuius facit ipſe CICERO mentionem, eſt ANTIOCHVS *Aſcalonita* Ariſti frater, Philonis auditor quiue circa olymp. CLXXV. ingenio inluxit. *Aſcalonita* dicitur ab *Aſcalone* Idumææ ſeu Philiſtææ vrbe, quæ magis verſus ſeptentrionem, ſita Gaza, de qua SVIDAS: Ασκάλων πόλις Συρίας, ἀπὸ ἀδελφῦ τῦ Ταντάλυ. ὁ πολίτης Ασκαλωνίτης, *Aſcalon vrbs Syriæ dicta a fratre Tantali. incola Aſcalonita nuncupatur*, confer CELLARIVM [1] & HADR. RELANDVM. [2] quintæ academiæ auctorem fuiſſe ANTIOCHVM, tradit SEXTVS EMPIRICVS; [3] ſicut autem quarta academia a tertia & ſecunda in eo differebat, quod multa probabili, quædam autem certa ratione cognoſci poſſe, credebat; ſic vltima ſeu quinta cum prima vel veteri plane conſpirabat: quibus de cauſſis CICERO [4] nominat Antiochum hunc *veteris academiæ nobiliſſimum & prudentiſſimum philoſophum*. verum, quamuis in numero fuerit academicorum; doctrinis tamen ſtoicorum erat addictiſſimus, teſte CICERONE, qui dicit: [5] *Antiochus adpellatur academicus: erat quidem, ſi perpauca mutauiſſet, germaniſſimus ſtoicis.* quumque in academia vetere non eos ſolos numerauerit, qui academici vocantur, *Speuſippum*, *Xenocratem*, *Polemonem*, *Crantorem* ceterosque; ſed etiam

1 *notitia orbis antiq. lib. III. c. 13. p. 600.* 2 *Palæſtin. lib. III. p. 586.* 3 *lib. I. c. 33. Pyrrh. hypotyp.* 4 *Bruto c. 91.* 5 *acad quæſt. lib. IV. c. 43.*

peripateticos veteres, quorum princeps Aristoteles eodem CICERONE auctore; [1] non difficile est iudicare, cur Antiocho stoici cum peripateticis re concinere viderentur, verbis discrepare, vt CICERO [2] ait: confer THOM. STANLEIVM [3] & IO. ALBERT. FABRICIVM. [4] Cicero igitur, quum Athenis musas suas coleret, huius quoque Antiochi institutione philosophica ornauit se, cuius copia & lepore dicendi delectatus quidem est, ἃ δ' ἐν τοῖς δόγμασιν ἐνεωτέριζεν, ὐκ ἐπαινῶν, *quæ vero in doctrinis ipsis ab eo sunt nouata, minime probans*, auctore PLVTARCHO. [5] sequitur ZENO *Epicureus*, etiam Ciceronis magister. plures fuerunt *Zenones*, quorum quindecim recenset IO. IONSIVS [6] & AEGIDIVS MENAGIVS [7] præter octo Zenones a LAERTIO commemoratos, adhuc alios addit. num vero *hic Zeno* Ciceronis præceptor idem sit cum illo, cuius DIOGENES LAERTIVS [8] mentionem facit, quod fuerit Σιδώνιος τὸ γένος φιλόσοφος Επικύρειος, καὶ νοῆσαι καὶ ἑρμηνεῦσαι σαφής, *Sidoneus genere philosophus Epicureus sensu & elocutione clarus atque apertus*; quiue alio loco [9] ἀκροατὴς Απολλοδώρυ πολύγραφος ἀνήρ, *Apollodori auditor, qui plurima scripsit*, ab eo dicitur, dispiciendum est. IONSIVS dicto loco eosdem facit; seiungit vero illos, velvti diuersos IO. ALBERT. FABRICIVS [10] ita vt Zeno Epicureus, Ciceronis magister iu-

1 *de finibus boni & mali lib. V. n. 3.* 2 *de natur. Deorum lib. I. cap. 7.* 3 *histor. philos. p.* 409. *ed. latin.* 4 *biblioth græc. lib. III. c. 3. p.* 52. 5 *vita Ciceronis p.* 862. 6 *de scriptoribus histor. philosoph. lib. II, c.* 1. 7 *ad lib. VII. segm.* 35. *Laertii p.* 279. 8 *lib. VII. segm* 35. 9 *lib. X. segm.* 25. 10 *biblioth. Græc. lib. III. c. 33. §. 3. p.* 816.

nior

nior ipsi videatur Zenone Sidoneo, quippe qui Apollodorum audiuerit, Epicuro non multo iuniorem. summa quæstionis in eo posita est, vt in ætatem Apollodori, qua vixerit floueritque, inquiramus, quam & in Epicuri tempora incidisse, haud satis firma negari potest ratione. namque DIOGENES LAERTIVS [1] testatur, quod ab Epicuro octoginta minis fuerit emtus; Epicurus vero natus est Olympiade CIX. & interiit anno II. Olympiad. CXXVII. si igitur ponamus, Zenonem, Apollodori auditorem eundem esse Zenonem præceptorem Ciceronis, qui istum senem Athenis audiuit Olympiade CLXXV. tractus sane temporis inter Apollodori ac Zenonis Ciceronis magistri ætatem nimis esset longus, adeo vt hic Zeno Apollodorum minus audire potuerit: quibus de caussis GERHARDVS IO. VOSSIVS [2] Apollodorum rectius refert ad Epicuri ætatem, quam IO. IONSIVS [3] ad Zenonis illius Ciceronis magistri tempus. equidem sunt argumenta, quæ sententiæ huic possunt opponi, præcipue quum CICERO [4] dicit: *Zeno quidem non eos solum, qui tum erant Apollodorum, Syllum, ceteros figebat maledictis; sed Socratem ipsum parentem philosophiæ, latino verbo vtens, scurram Atticum fuisse dicebat*: quæ verba quum sine dubio de Zenone, Ciceronis magistro intelligenda sint, satis declarent, quod ipsius ætate clarus fuerit Apollodorus, quoniam ipsum Cicero inter eos referat, qui tum, Zenonis quippe tempore, fuerint. at vero, vt de eo taceamus, quod locus hic male sit sanus;

1 *lib X. segm.* 10   2 *de historicis græcis lib. IV. c.* 10.   3 *lib. II. c.* 13. §. 8. *de scriptoribus histor. philosoph.*   4 *de natura Deor. lib. I. cap.* 34.

ex verbis his Ciceronis: *non eos solum, qui tum erant, Apollodorum*, non colligi posse videtur, quod Apollodorus æqualis fuerit ætate Zenoni: adhuc plures sunt Apollodori, quibus verius *Apollodorus Ephillus* ex schola stoicorum heic intelligitur, siue dicas nomen ipsius *Apollodori Sylli* fuisse, siue adfirmes, quod Cicero respiciat *Syllum* Pythagoræum, cuius meminit IAMBLICHVS. [1] præter hæc dicunt, CICERONEM [2] scribere, dixisse Zenonem, præceptorem ipsius *distincte, grauiter, ornate*, quam virtutem DIOGENEM quoque LAERTIVM in Zenone, Apollodori auditore laudare, vt subinde pateat dilucide, non diuersos esse Zenones. sed argumentum hoc non magna probandi facultate valere, quisque cognoscere potest, qui cogitet, dotes ingenii ac facundiæ non soli cuidam proprias, sed & alios illarum esse capaces. est itaque Zeno iunior, quem Athenis Cicero cum Attico diligenter audiuit, vti ipse testatur: [3] *nisi mihi Phædrum, inquam, mentitum, aut Zenonem putas (quorum vtrumque audiui, quum mihi nihil sane præter sedulitatem probarent) omnes mihi Epicuri sententiæ satis notæ sunt: atque eos, quos nominaui, cum Attico nostro frequenter audiui, quum miraretur ille quidem vtrumque, Phaedrum autem etiam amaret: quotidieque inter nos ea, quæ audiebamus, conferebamus: neque erat vnquam controuersia, quid ego intelligerem, sed quid probarem.* item: [4] *Zenonem, quem Philo noster coryphæum adpellare Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequen-*

1 *vita Pythagoræ* §. 159. 2 *de natura Deorum lib. I. cap.* 21.
3 *de fin. bon. & mal. lib. I. c.* 5. 4 *lib. I. c.* 21. *de natur. Deor.*

ter & quidem ipso auctore Philone: credo, vt facilius iudicarem, quam illa bene refellerentur, quum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum diceretur. tertius ex Ciceronis præceptoribus *Phædrus* Atheniensis est, etiam Epicureus philosophus, cuius ipse Cicero passim meminit ipsumque prædicat, vti dicitur [1] *vir bonus & suauis & officiosus*: ac [2] fatetur, se vnice diligere *Phædrum* [3] item Phædro nihil esse elegantius, nihil humanius. successit ei *Patro*, quem Cicero commendat Memmio. [4] at de Demetrio Syro, cui dicendi magistro Cicero Athenis deditus fuit, veterum monimenta nihil produnt, cuius memoria facile potuisset oblitterari, nisi eam conseruasset TVLLIVS.

§. VIII. Postquam Cicero Athenis principes philosophiæ & dicendi facultate excellentes viros audiuerat, totam peragrauit Asiam, in qua plura fuerunt litterarum domicilia. namque ibi deprehendimus *Mitylenen*, studiis disciplinarum & sapientiæ inclitum oraculum, vbi *M. Claudius Marcellus*, quum bello ciuili partes Pompeii secutus, eo deuicto, Cæsarem suum inimicum metueret, in cultura bonarum artium tempore hoc vixit tranquille, vide SENECAM. [5] Tarsi, quam apostolus PAVLVS Tarsensis [6] *οὐκ ἄσημον πόλιν*, *nobilissimam vrbem Ciliciæ* adpellat, quæue IOSEPHO [7] *ἀξιολογωτάτη μητρόπολις οὖσα*, *maxime memorabilis & metropolis est*, philosophorum & artium ad humanitatem pertinentium cla-

1 *epist. ad diuersos lib. XIII. ep. 1.* 2 *lib. V. de fin. bon. & mal. c. 1.* 3 *lib. I. c. 33. de natur. Deor.* 4 *lib. XIII. ep. 1. ad diuersos.* 5 *ad Heluiam cap. 9.* 6 *Actor. XXI. v. 39.* 7 *antiquitatum Iudaicar. l. I. c. 8.*

rissima fuit schola, quam romani, quamuis non tanta multitudine quoque frequentarunt. vt enim ex veterum monimentis cognoscimus, Tarsenses studia rerum philosophicarum & optimarum artium summa industria prosecuti sunt, quas ita coluerunt, STRABONE teste [1] ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, *vt Athenas & Alexandriam superaverint.* sunt adhuc in Asia loci alii celebres propter doctrinæ studia, *Cnidus* quippe, vrbs Cariæ, *Magnesia* Lydiæ, *Antiochia* Syriæ, & *Rhodus* inprimis, quæ inter Asiaticas scholas palmam modestioris tenuit eloquentiæ. inter alia vero artium studia, quibus se tradebant Asiatici, eloquentia præcipue fuit, quæ vt semel ex Pireæo, Athenarum portu euecta est, omnes peragrauit insulas, auctore CICERONE. [2] at vero notant veteres discrimen inter Asiaticos, Atticos & Rhodios oratores, ita, vt *Asiaticum* dicendi genus fuerit amplum, copiosum, tumidum; *Atticum*, pressius Asiatico, nec vero concisum; *Rhodium* medium inter Asiaticum & Atticum. *Asiatici oratores*, inquit CICERO, [3] *non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi & nimis redundantes. Rhodii saniores & Atticorum similiores*: & QVINTILIANVS [4] *Attici limati quidem & emuncti nihil inane aut redundans ferebant. Asiana gens tumidior alioquin & iactantior vaniore etiam dicendi gloria inflata est. tertium mox, qui hæc diuidebant, adiecerunt genus Rhodium quod velut medium esse, atque ex vtroque mistum volunt:*

1 *lib. XIV.* 2 *Bruto. c. 13.* 3 *Bruto. c. 13.* 4 *lib. XII. cap. 10. inst. orat.*

confer.

confer GERH. IO. VOSSIVM.[1] nec tamen nullum inter Asiaticos discrimen erat, quam sententiam satis confirmat CICERO, qui [2] mentionem habet duorum Asiaticæ dictionis generum, quando dicit: *genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt: vnum sententiosum & argutum, sententiis non tam grauibus & seueris, quam concinnis & venustis: qualis in historia Timæus; in dicendo autem pueris nobis Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles frater eius fuit: quorum vtriusque orationes sunt in primis, vt Asiatico in genere laudabiles. alud autem genus est, non tam sententiis frequentatum, quam verbis volucre atque incitatum: quali est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato & faceto genere verborum: in quo fuit Aeschylus Cnidius, & meus æqualis Milesius Aeschines. in iis erat admirabilis orationis cursus, ornata concinnitas non erat*; quæ verba penitus inspiciamus. notat quippe Cicero in oratoribus Asiaticis duo genera orationis, quorum alterum sit concinnum; alterum vero copiosum atque elegans; ex quibus satis adparet, quod Asiatici vigore ingenii, cuius maxima vis in venusta suauique dicendi facultate est, floruerint, quod si spectemus ambitum periodorum, quibus oratio ad leges artis composita tenetur, non vnam præ se ferunt faciem, quarum aliæ circumductæ sunt ac copiosæ; aliæ concisæ & concinnæ, aliæ vero mixtæ, quæ neque adeo amplæ, neque breuiores exsistunt. quod ad concinnum adtinet sermonem, in cognoscenda ipsius indole duo inprimis obseruari debent, partim illius ambitus,

1 *instit. orator. lib. 6. p. 467.* 2 *Bruto c. 95.*

qui

qui breuis eſt ac conciſus nec verba admittit, niſi quæ ſenſui principali exprimendo maxime ſunt neceſſaria; partim dictiones, formulæ, ſententiæ, quarum proprium eſt, vt ſint magno ſignificationis pondere; vt cogitationes mentis cum adfectibus animi coniunctas exprimant, vtque interdum quandam argutiarum venuſtatem ſecum ducant. at vero & maxima huiusmodi dicendi generis elegantia poſita eſt in coniunctione verborum, ſententiarum, quæ talis eſſe debet, vt aurium delectantem ſenſum atque ſuauem efficiant ſonum, quo ſpectant Ciceronis verba: *datur etiam venia concinnitati ſententiarum: & arguti certique & circumſcripti verborum ambitus conceduntur: de induſtriaque non ex inſidiis; ſed aperte ac palam elaboratur, vt verba verbis quaſi demenſa & paria reſpondeant, vt crebro conferantur pugnantia, comparenturque contraria: & vt pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo ſonum:* [1] & alibi [2] dicit: *formæ vero quædam ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, vt ſequatur numerus neceſſario. nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur plerumque fit, vt numeroſe cadat.* etenim ſuauis in oratione concinna ἁρμονίας princeps fundamentum ponunt in ἀντιθέσει, παρισώσει & παρομοιώσει. primum genus eſt ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ, id eſt oppoſitio, quum modo illud, quod proprie contrarium eſt, contra ponatur, verbi gratia, *eloquentia obmutuit*, apud CICERONEM [3]

1 *oratore ad M. Brutum n.* 12. 2 *ib. n.* 65. 3 *in Bruto.*

cum

cum ratione insanit apud TERENTIVM; [1] modo vero & id, quod speciem habet contrarii, quo pertinent, vti dicuntur, priuantia e. g. *vnicum est bonum scientia*; *malum contra vnicum est inscitia*; contradicentia, v. g. *saepe melius est, non viuere quam viuere*: confer QVINTILIANVM. [2] secundum genus est ΠΑΡΙΣΩΣΙΣ, quum voces integraeque locutiones nullo coniunctae vinculo suis interuallis distinguuntur; & tertium ΠΑΡΟΜΟΙΩΣΙΣ, hoc est similitudo litterarum & vocum, quo de argumento conferri potest C. G. SCHWARTZIVS [3] huiusmodi igitur dicendi morem Asiaticos oratores obseruasse, profitetur CICERO, qui autem in eo contra artem interdum peccabant, quod perpetuas phrases & figuras habuerint prodigiosas & procul arcessitas, nec vim sententiarum rite temperata oratione conseruauerint. quo in genere multi veterum sophistarum a regulis verae eloquentiae discesserunt, quoniam ornamenta, & quae orationem reddunt concinnam eamque inlustrant, vbique adhibere studebant, sed re ipsa ista consectabantur immodice, nec vsum illorum temperabant cum iudicio. tale sententiosum & argutum dictionis genus sectatus est TIMAEVS, teste CICERONE, qui TIMAEO Pythagorico philosopho iunior, Andromachi filius, domo Siculus, quiue litteris historiarum inluxit, de quibus G. I. VOSSIVS [4] videri potest. de eloquentia ipsius CICERO alio loco ita disserit: *minimus horum omnium Timae-*

1 *Eunuch. act. I. scen. I. v.* 18. 2 *instit. orat. lib. IX. cap.* 3. 3 *diss. de orat, concinna.* 4 *de historicis graec. lib. I. c.* 12. *p.* 81.

us,

us, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus & rerum copia & sententiarum varietate abundantissimus, & ipsa compositione verborum non impolitus: magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum vsum forensem. [1] alterum Asiaticum dicendi genus erat amplum, copiosum, longiores periodos, longiora commata & cola habens, quod modo elegans atque ornatum fuit, modo quoque pulchritudinem suam amisit & in effrenatam loquacitatem sine vsu degenerauit, quapropter PETRONIVS [2] *nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigrauit, animosque iuuenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere adflauit, simulque corruptæ eloquentiæ regula stetit & obtinuit:* & SVETONIVS [3] *an potius Asiaticorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?*

§. VIIII. Asia itaque, de cuius musis, eloquentiæ præcipue iam quædam præmisimus, a CICERONE peragrata est, cuius itineris caussam his declarat verbis: *sed quum censerem remissione & moderatione vocis & commutato genere dicendi me & periculum vitare posse & temperatius dicere: vt consuetudinem dicendi mutarem, ea caussa mihi in Asiam proficiscendi fuit.* [4] princeps litterarum studium, cui in Asia sese tradidit, eloquentia fuit, cuius magistros eo tempore nobilissimos audiuit & ipsorum profecit doctrina. primus ex illis, quorum facit mentionem, est *Menippus Stra-*

1 *de oratore lib. II. n.* 14. 2 *satiric. c.* 2. 3 *Aug. c.* 86.
4 *c.* 93. *in Bruto.*

toni-

tonicensis, qui ab aliis Menippis, *Menippo* quippe Pergameno, qui in geographiæ in primis litteris clarus fuit, *Menippo* Comico, *Menippo* Cynico, *Menippo* Gadarensi distinguendus est quiue Stratonicensis a patria *Stratonicea* dicitur, quumque Stratonicea vrbs fuerit Cariæ, factum, vt PLVTARCHVS Menippum hunc adpellauerit Carem, confer. G. I. VOSSIVM [1] & CELLARIVM [2] secundus est *Dionysius Magnes*, qui num *Magnes* dicatur a *Magnesia* Asiæ propriæ vrbe, an a *Magnesia* Macedoniæ regione, id accuratius definiri non potest, quamuis verius sit, eum cognominatum fuisse a Magnesia vrbe Asiæ, cuius supra iniecimus mentionem. quem *Dionysium* ab aliis Dionysiis a IONSIO [3] diligenter recensitis, distinguendum subsequitur *Aeschylus Cnidius*, sic dictus a *Cnido* vrbe Cariæ, de quo præter nomen ad posterorum memoriam nihil est propagatum. quumque & alii eiusdem fuerint nominis, *Aeschylus* quippe tragicus, *Aeschylus* mathematicus, discipulus Hippocratis Chii, *Aeschylus* Menedemi Eretriensis inimicus, *Aeschylus* Agomestoris F. qui circa initium Olympiadum Atheniensibus imperauit, *Aeschylus* Corinthius; hosce cum TVLLII magistro confundere minus debemus. tandem & inter præceptores Asiaticos suos numerat Cicero *Xenoclem Adramytenum*: *Adramyttium*, siue *Adramytteum* siue *Adramytteos* seu *Adramyttion* est vrbs nobilis Mysiæ teste STEPHANO: Αδραμύττιον πόλις

1 *de histor. græcis lib. III. p. 388.* 2 *notitia orbis antiqui lib. III. c. 3. p. 102.* 3 *de scriptoribus historiæ philosoph. lib. III. cap. 8. §. 2.*

τῆς

τῆς κατὰ καΐκον Μυσιάς, *Adramytteum vrbs est Mysiæ illius, quæ iuxta Caicum sita est*; a qua Xenocles habuit cognomen.

§. X. Verum enim vero his CICERO non contentus, RHODVM venit & sub veteri doctore Molone vim consummauit eloquentiæ. Rhodus est insula Asiatica clarissima post Cnidi promontorium versus orientem sita, auctore STRABONE,[1] quæ olim tribus vrbibus *Lindo*, *Camiro*, *Ialyso* habitata fuit, teste PLINIO[2] & POMPONIO MELA[3] tetrapolis vero facta est post Xerxem, Persarum regem e græcia profligatum, addita noua ciuitate, quæ nomen accepit totius insulæ & RHODVS adpellata est, vt taceamus de colosso solis ibidem erecto, opere admirando atque inter septem mundi miracula locum obtinente; de aëre insulæ huius maxime salubri, de situs opportunitate, bellica virtute, quæ commendabat Rhodios, deque ipsorum cum romanis amicitia, quippe quod argumentum VBBO EMMIVS de republica & statu Rhodiorum persecutus est. verum princeps momentum, ad quod pro dissertationis nostræ ratione attendimus, est, quod Rhodus emporium fuerit atque officina musarum, quæ vix vsquam gentium habitarunt salubrius & splendidius, quam ibi, quo & Romani aliæque gentes transmigrarunt, vt præcepta sapientiæ atque eloquentiæ haurirent. quapropter erant Rhodus & Mitylenæ sedes exsulum eruditorum, quum vtrobique litterarum studia quam maxime

1 *lib. XIV. c. 7.* 2 *lib. V. c. 31.* 3 *lib. II. cap. 7.*

florerent:

florerent: CICERO [1] dicit: *qui si facile passurus esset, te carentem patria & fortunis tuis quiete & libere viuere; cogitandum tamen tibi esset, Romane & domi tuae, cuiusmodi res esset, an Mitylenis aut Rhodi malles viuere.* prout autem Mitylenae exsulem *M. Marcellum* ita adfecerunt, vt maluerit ibi, quam Romae & domi suae esse; sic & Q. *Metellus Numidicus* in voluntarium exsilium Rhodum profectus, ibique libris legendis atque audiendis magnis viris operam dedit, vt adparet ex LIVIO. [2] etenim philosophia atque eloquentia Rhodi effloruerunt: de philosophia nec non mathesi testatur id VITRVVIVS [3] quum in praefatione ita differit: *Aristippum socraticum eiectum naufragio ad Rhodiorum littus, cum schemata geometricis descripta rationibus vidisset, ad comites exclamasse, bene speremus, hominum vestigia cerno, statimque in gymnasium oppidi dilatum ibi cum admiratione disputasse & muneribus ampliter donatum esse:* quod autem ad eloquentiam adtinet, *Aeschines*, Atrometi litteratoris filius Rhodum cessit in exsilium, ibique scholam aperuit, quam PLVTARCHVS διδασκαλεῖον, PHILOSTRATVS σοφιςῶν φροντιςήριον nominat, atque generis dicendi Rhodii posuit fundamentum, quippe

1 *epist. ad diuers. lib. IV. ep. 7. n. 9.* 2 *epit. LXIX.* 3 *lib. VI. de architectura.*

quod medium fuit inter Atticum atque Asiaticum, adeo vt palmam modestioris eloquentiæ inter omnes Asiaticas scholas Rhodii tenuerint, quos *saniores & Atticorum similiores* id est minus turgidos aut copiosos CICERO laudauit, quam in rem & QVINTILIANVS [1] testatur.

§. XI. Sic & Rhodus eloquentiam nutriuit CICERONIS, qui præceptorem, ad quem ibi se adplicauit, nominat *Molonem*, qui clarissimus dicendi magister fuit, etiam caussarum patronus. iam Romæ *Moloni* huic Rhodio multum dederat operæ, totumque genus dicendi penitus cognouerat CICERO: *eodem anno etiam Moloni Rhodio romæ dedimus operam & actori summo caussarum & magistro.* [2] præter Ciceronem Molo hic discipulum quoque habuit *Iul. Cæsarem*, teste SVETONIO, [3] qui illud præcipue spectabat, vt ciuilem perficeret eloquentiam, ad quam ferebatur natura, auctore PLVTARCHO. [4] sed tamen & *Posidonium* Rhodi audiuit Cicero. nam non solum PLVTARCHVS, [5] sed & ipse CICERO, [6] quando ait: *& principes illi Diodotus, Philo Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus:*

1 *instit. orator. lib. XII. cap.* 10. 2 *cap.* 89. *in Bruto.* 3 *in vit. cap.* 4. 4 *vita ipsius p.* 708. 5 *vita Ciceronis p.* 862. 6 *de natura Deorum. lib.* 1, *c.* 3.

mus:

mus; satis adfirmant, quod Tullius a Posidonio quodam sit institutus, a quali autem id fuerit factum, de eo iam disputemus. namque in veterum monimentis tres Posidonii commemorantur, quorum primus patria *Apameensis*, secundus *Alexandrinus*, antiquior & Zenonis auditor, & tertius *Obiopolita*, qui libris quatuor Atticas historias conscripsit. quod horum primus Ciceronis magister fuerit, ex variis rationibus colligi potest, siquidem SVIDA auctore Posidonius Apameensis scholam habuit Rhodi, vbi Ciceronem Posidonium philosophum audiuisse clare pronunciat PLVTARCHVS, vt de ratione temporis, quæ cum sententia hac congruit, taceamus. equidem CICERO superiore loco, quo de profectione sua commemorat, ex præceptoribus, quibus Rhodi se tradidit, Molonem tantum nominat, Posidonii autem Apameensis nullam habens mentionem; sed id leue est momentum. CICERO enim ibi tradit, quorum opera in dicendi arte sit vsus, in quibus Posidonius, veluti philosophus & a quo in philosophia stoica redditus est exercitatior, minime fuit. hic igitur Posidonius dictus *Apameensis* ab Apamea Syriæ prope Orontis & Marsyæ confluentem, stoicus philosophus, discipulus & successor Panætii Rhodii iunioris magnam philosophiæ

atque astrologiæ laudem sua ætate consecutus est, quocirca AVGVSTINVS [1] ait: *Posidonius stoicus multum astrologiæ deditus*: item [2] *Posidonius magnus astrologus idemque philosophus*; etiam apud STRABONEM [3] legimus, Pompeium magnum, quum ad bellum Mithridaticum proficiscens Rhodium venisset, ibi Posidonium differentem audiuisse, confer G. I. VOSSIVM [4] IONSIVM [5] MENAGIVM [6] I. A. FABRICIVM. [7] hæ igitur sunt amœnitates historicæ, quas ex CICERONIS conlegimus peregrinatione.

1 *de ciuitate Dei lib. V. c. 2.* 2 *lib. V. cap. 5.* 3 *lib. XV.* 4 *de historicis græcis lib. I. c. 24.* 5 *de scriptor. hist. philos. lib. II. c. 16. §. 3.* 6 *ad Laërtium lib. VII. segm. 38.* 7 *in bibliothec. græc. lib. III. cap. 15.*

RA 156 A 205

EXERCITATIO

1 92 A

EXERCITATIO
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
ATHEISMO
ARISTOTELIS.

Digitized by Google

rint nonnulli, extare in paganorum monimentis non pauca, quæ magnam interdum cum sacris oraculis similitudinem habere videntur, ista cum diuinis illis scripturis non solum conciliare, sed & ipsos auctores in christianorum, quin immo in illorum, qui æterna fruuntur felicitate, numerum referre, sibi sumserunt; cuiusmodi institutum eo alacriori studio susceperunt, quo maior erga veteres philosophos venerationis ac pietatis cultus fuit, qua de re videri potest I. H. VON SEELEN.[1] contra alii fuerunt, qui ex ipsorum scriptis eiusmodi collegerunt sententias doctrinasque, quæ a vera ratione de deo sentiendi essent alienæ, adeoque in illis crimen *atheismi* notarunt, id quod aliis nimis durum visum fuit, quippe qui caussas horum philosophorum egerunt. fecit id elegantissima dissertatione IO. CHRIST. WOLFIVS,[2] quumque IO. HENRICVS EOPPIVS pro illorum opinione, qui veteres philosophos accusant atheismi, duas ederet dissertationes,[3] aduersus istas IACOBVS HASAEVS[4] arma sua tulit. quæ, quamuis magna exemplorum copia probare atque illustrare possemus, sufficiat tamen, vnum ex multis ARISTOTELEM produxisse.

§. II. Multum disputatum fuit de religione ac doctrinis ARISTOTELIS, quæ deum, eius opera, eiusdem cultum & alias res diuinas spectant, ita vt alii hac in re de philosopho hoc senserint præclare; alii vero minus, quæ tradidit, probauerint. namque quod ad priores adtinet, constat ex monumentis historiarum

1 *de script. gentil. falso in christ. ordinem relatis.* 2 *de atheismi falso suspectis.* 3 *de atheismo philos. gentil. celebrior. Brem. 1714.* 4 *de gentil. philos. atheismi falso suspectis Brem. 1716.*

philosophiæ quanta dignitas, quantaue auctoritas habita sit ARISTOTELI a doctoribus illis, vti dicuntur, *scholasticis*, ex quibus *Colonienses* libro quodam de *salute Aristotelis* tam magnificum ipsi statuerunt pretium, vt istum in societatem ac numerum sanctorum adscripserint, ac seruatoris nostri *præcursorem* in cognoscendis rebus naturalibus dixerint, de quibus H. C. AGRIPPA [1] ita disserit: *Aristoteles dignissimus latinorum gymnasiorum doctor & quem Colonienses mei theologi diuis annumerarent, librumque sub prelo euulgatum ederent, cui titulum facerent de salute Aristotelis, quem theologica insuper glossa illustrarunt, in cuius calce concludunt, Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Ioannes Baptista in gratuitis.* * quapropter non est caussa nobis, cur admiratio nos subeat, quod ista ætate tam putida fuerit barbaries, tamque luctuosa rerum christianarum facies, vt ex Aristotelis libris viam ad felicitatem, quæ constanti ac sempiterna retinetur possessione, demonstrare, istosque apud populum in sacro cœtu concilioque explicare, quidam instituerint, cuius rei testem habemus MELANCHTHONEM: [2] *audiuimus, quosdam pro concione ablegato euangelio ethica Aristotelis explicare.* & alio loco [3] dicit: *quidam Licentiatus dixit: si amitteremus omnes libros propheticos & apostolicos, posse doctrinam euangelii reparari ex ethicis Aristotelis.* nec defuerunt recentiori ætate, qui singulari philosophi huius amore capti iudicarunt, quod iste monimentis suis doctrinas di-

1 *de vanitat. scient. cap.* 54. 2 *apolog. A. C. pag.* 62.
3 *l. c. p.* 492.

uinis

uinis oraculis plane consentaneas prodiderit, ac omne pietatis studium exercuerit, vti FORTVNIVS LICETVS *de pietate Aristotelis erga deum & homines & de animarum rationalium immortalitate secundum opinionem Aristotelis* [1] scripsit; cui adhuc duos, qui religionem nostram professi sunt, adiungere possumus. quorum est alter IO. ZEISOLDVS, celeberrimus quondam academiæ nostræ philosophus, qui librum de *Aristotelis in illis, quæ ex lumine naturæ innotescunt, cum scriptura sacra consensu, ab eaque adparente dissensu* [2] edidit, *. Aristotelis consensum cum diuina scriptura demonstrare sibi sumsit, quod institutum quam minus feliciter successerit, adeoque opera male sit posita, ostendit venerandus BVDDEVS. [3] hinc & de isto dicit PASCHIVS. [4] *sed si verum fatendum, nititur sæpe præsumta viri alias doctissimi conciliatio lubrico fundamento, tribuunturque nonnunquam ex intempestiuo hoc conciliandi studio tales philosopho sententiæ, quæ ipsi in mentem non venerunt.* alter est CHRISTIANVS DREIERVS, qui integram Aristotelis philosophiam in deum reduci & in eo vltimo adquiescere, adfirmauit, [5] vt de aliis, IVLIO CAESARE SCALIGERO, ANTONIO SIRMONDO, AVGVSTINO NIPHO, quos commemorat quoque FABRICIVS, [6] taceamus.

* de libro hoc videri potest VINC. PLACCIVS theatro anonymor. & pseudonym. p. 77. & I. A. FABRICIVS biblioth. græc. lib. III. cap. 6.

1 *Patau.* 1629. *fol.* 2 *Ien.* 1667. 4. 3 *obseru. Hal. tom.* 3. *obseru.* 13. §. 5. 6. *p.* 239. *sqq.* 4 *introd. in rem litterar. moral. veter. cap.* 11. §. 11. *p.* 593. *tr. de var. mod. moralia trad.* 5 *philos. prim. p.* 43. 6 *biblioth. græc. lib.* III. *cap.* 6. *p.* 176.

p. 176. mentionem facit libri: *quæstio magistralis, ostendens per auctoritates scripturæ diuinæ, quid iuxta saniorum doctorum sententiam probabilius dici possit de saluatione Aristotelis Stagiritæ*, editi Coloniæ à *Lamberto* quodam de *Monte*.

§. III. Prout autem christianæ religionis homines Aristotelem magnis adfecerunt honoribus, veluti philosophum, cuius doctrinæ diuina abundarent sapientia, ita quoque Iudæi istum genti suæ vindicarunt, quod quum res ipsa negaret, fabulis ac commentitiis argumentis confirmare, summa adnisi sunt ope, alii pro suo rerum fictitiarum studio Aristotelem, Iudæum Hierosolymitanum è tribu Beniamin genus suum duxisse, prodiderunt, videatur BARTOLOCCIVS.[1] alii autem, ne tam magnum atque impudens dicerent mendacium, nugati sunt, istum in extremo vitæ constitutum Iudæorum sacris, proselyti instar se addixisse, id quod credi voluit R. IOSEPH filius SCHEMTOV.[2] quibus figmentis SCIPION. SGAMBATVM[3] adduci potuisse, vt verisimile existimaret, Aristotelem aut genere, aut disciplina aut cultu fuisse Iudæum, id est maxime demirandum, quum hæc omnia plena sint nugarum, atque aperte significent fabulas. nec quis, vi verum percipiendi præditus fidem adiunget narrationi, quod Aristoteles quotidie hac precum formula vsus fuerit, quæ a BARTOLOCCIO profertur ex bibliothecæ Vaticanæ codice, manu exarato & inscripto: מוסרי הפילוסופים *eruditiones philosophorum*:

1 *bibl. Rabbin. tom. I. p.* 471. 2 *præfat. ad exposit. in libr. Aristotel. de moribus.* 3 *archiu. V. T. p.* 457. *sqq.*

terri-

terribilis, cuius dominio me subiiciam,
& æterne, qui nunquam (regnare) *cessas,*
& auctor omnium rerum,
libera me ab igne tuo magno.

aut quod Alexander Macedo, quum victor Hierosolymas in suam redegisset potestatem, magistrum suum Aristotelem thesauro librorum Salomonis præfecerit; qui vero quidquid boni in illis inuenerit, huius furtum fecerit litterarium, idque omne, additis quibusdam grauissimis erroribus, ac speciatim de æternitate mundi, suo ipsius nomine ediderit; qua de re legas IACOBVM THOMASIVM [1] PETRVM BAELIVM, [2] & qui hæc omnia diligentissime conlegit, IO. CHRISTOPHI WOLFIVM. [3]

§. IIII. Sic Aristoteles aliis visus est christianus; aliis vero Iudæus: & quem fugiat, quam amplissimis ornatus fuerit laudibus, veluti sortem mortalis generis humani excedens, cuiusue merita nemo admiratione, multo minus cultu aut oratione consequi posset? ex quibus religiosis ipsius cultoribus PERERIVM, [4] tantum nominamus, in hæc verba erumpentem; *huius igitur viri, quem admirata est antiquitas, posteritas vero etiam venerata, & vt Lucretii verbis vtar,*

qui genus humanum ingenio superauit & omnes
præstrinxit stellas, exortus vti æthereus sol;

huius inquam viri præstantiam virtutesque laudando consequi velle, simile est, vt si quis vellet oceanum exhaurire, aut stellas cœli dinu-

1 *de plagio litter.* §. 364. *p.* 160. 2 *diction. histor. crit. tom.* I. *p.* 346. 3 *biblioth. Hebr. n.* 356. *p.* 217. 4 *lib.* V. *cap.* I. *physic.*

merare

merare & mundi totius magnitudinem manibus suis metiri. enim vero alii hunc philosophiæ doctorem adcusarunt impietatis, quin immo ordini illorum adscripserunt, qui veritati grauissimæ clarissimæque, quod detur summum numen, maximam vim intulerunt, eamque destruere sunt conati; id quod vtraque ætate factum esse, ex historiarum monimentis cognoscimus. namque æuo vetustiori Athenienses illum criminis insimularunt, quod esset ἀσεβὴς καὶ ἄθεος, & ipse metu impulsus, ne supremo adficeretur supplicio, Athenis res suas transtulit Chalcidem, quod ab Eurymedonte sacrorum antistite adcusatus esset impietatis, siue vt Phauorinus tradidit, a Demophilo, teste DIOGENE LAERTIO, [1] quamuis hos ambos eiusdem adcusationis auctores nominet ATHENAEVS: [2] confer THOMAM STANLEIVM. [3] recentiori vero ætate adhuc diligentiori opera studioque ea, quæ philosophus hic sensit dixitque de Deo, suspecta reddere, eaque grauissimorum errorum plena esse, demonstrare adlaborarunt, prout VALERIANVS MAGNVS de *atheismo Aristotelis* MDCXLVII. scripsit, & GVIL. POSTELLVS dedicatione, quam liber ipsius *Iustini Martyris euersio Aristotelicorum dogmatum* præ se habet. de isto ita iudicauit: *nullus autem sit reipublicæ periculosior aut euersione dignior hostis familiari & domestico. suscepi in falsa Aristotelis dogmata bellum Iustini Martyris & philosophi præstantissimi fretus armis & fidei cum martyre consimilis lorica tectus, eo quod vt olim omnia fere herescon se-*

1 *lib. V. segm. 5.* 2 *lib. XV. p. 696.* 3 *histor. philos. part. V. cap. 9. p. 422.*

mina

mina ex vno Aristotele emersere, ita hodie atheorum cohors inde manat, adde IO. LAVNOIVM.[1] qui & aliorum de Aristotele sinistre sentientium iudicia conlegit. sed præter hos alii adhuc eandem aduersus nostrum fecerunt censuram, ex quibus SAMVEL PARKERVS[2] eum *atheorum omnium principem atque ipso Epicuro apertiorem religionis hostem pronuntiat*; quodue sit *atheus & apertus religionis hostis*, id ex instituto probandum sibi sumsit AVCTOR obseru. Hallens.[3] & IO. FRANCISCVS BVDDEVS[4] dicit: *certe, quæ de deo, eiusque cum materia nexu necessario, mundi quoque æternitate docet, eiusmodi philosophiæ systema exhibent, quod cum atheismo consistere queat*: nec non ANDREAS RVDIGERVS[5] varia loca profert, quæ mentem a vera de deo sentiendi ratione alienam prodant, quibus addenda sunt ea, quæ hac de re differit IENKIN THOMASIVS.[6]

§. V. Quibus adparet, quanta sit diuersitas opinionum de Aristotele eiusdemque doctrinis, ita vt alii in ipsius laudes sint effusi, alios vero omnem pietatis existimationem illi adimere videamus, quapropter quum nobis quoque sit in animo, de atheismo philosophi huius tractare, non ab re esse duximus, illorum sententiam, qui magistrum suum Aristotelem tam sancte pieque colunt, accuratius examinare. id vero melius nobis peregisse videbimur, si generatim de studio multorum veteres philoso-

1 *de varia Aristotelis fortuna cap.* 14. 2 *de deo & prouid. diuin. disp. I. sect.* 24. *p.* 65. 3 *tom. VIII. obseru.* 10. *p.* 209. 4 *thesib. de atheism. & superstition. cap. I. §.* 15. 5 *physic. diuin. lib. I. cap.* 2. *sect. I. §.* 11. *sqq.* 6 *histor. philosoph. de atheism. cap.* 2. *p.* 48.

losophos cum scripturis sacris conciliandi dixerimus, ostendendo, quod partim huiusmodi institutæ conciliationes sint nullius momenti, partim minime ea, qua deceat ratione, possint institui. atqui vt de priori momento disseramus, in propatulo est, quod huiusmodi opinio tam magnifica de Aristotele ex corrupto animi adfectu, quo ipsi plane consecrati fuerunt, originem suam habeat, quæ vt fieret amplior & plurium occuparet animos, in id imprimis omnem contulerunt laborem, vt ostenderent, doctrinas Aristotelis plane esse consentaneas diuinis scripturis. pro studio quippe, quo quisque philosophum suum ex antiqua ætate prosequebatur, huiusmodi conciliationes sæpius sunt institutæ, id quod non solum Aristotelis, sed & Platonis aliorumque philosophorum cultores fecerunt. namque si PLATONEM respiciamus, negotio huic non mediocrem dederunt operam BESSARIO, MARS. FICINVS, FRANCISCVS PATRICIVS, LIVIVS GALANTES & plures alii, quorum mentionem habet FABRICIVS.[1] & quem fugiat, quo amore captus fuerit IVSTVS LIPSIVS in præcepta & doctrinas *Stoicorum*, quas ad sententias diuinarum litterarum interpretari, adeoque philosophiæ huic magnam efficere auctoritatem, summa opera adlaborauit, prout ipse profitetur, *non alios e priscis magis consentire cum christiana pietate quam eos, qui a stoica domo*;[2] cuius rei & IACOBVS THOMASIVS[3] exhibet testimonium, quando dicit: *verum id erat Lipsio propositum, vt quemadmodum Aristotelem*

1 *biblioth. græc. lib. III. cap.* 1. *p.* 38. 2 *centur. I. miscell. epist.* 33. 3 *origin. histor. phil. & ecclesiast. p.* 60.

stotelem

ſtotelem ſcholaſtici, ſic ipſe Stoicos ſuos, quoad poſſet, maxime reduceret in gratiam cum religione chriſtiana. * ſic & fuerunt, qui EPICVRI doctrinas cum ſacris pandectis in gratiam reduci poſſe facillimo negotio, ſibi perſuaſerunt, ac ipſius ſententias de *atomis* cum Moſis hiſtoria diuinæ generationis egregie conuenire, contenderunt. hinc EDMVNDVS DIKINSON [1] dicit: *quum ſuſcepiſſem philoſophiam Moſaicam pro virili mea dilucidandam cunctisque ſerio perpenſis firme concepiſſem, munus illud nulla ratione melius, quam corpuſculari vel, vt loquuntur, atomica præſtandum fore.*

* huc etiam ſpeciatim pertinent ea, quæ de SENECA & EPICTETO eorumque doctrinis, cum oraculis diuinis conuenientibus proferuntur. de SENECA multos auctores LINTRVPIVS præfatione ad SVANINGII Senecæ theol.natural.contemplat. Haun 1710.4. conlegit; EPICTETVS autem a BARTHIO aduerſar. lib III. cap. 10. & 16. chriſtianus eſt dictus; BERKELIVS not. ad enchir. cap. 37. commemoratis Epicteti doctrinis addit: *parum abeſt, quin exclamem, o ſancte Epictete!* POIRET œconom. diuin. lib. III. cap. 13. vocat illum *diuinum ſenem*, neque dubitat, *futurum, quando Chriſtus adpariturus eſt, vt ille una cum eo in gloria compareat.* conf MICH. ROSSALIVS disq. de Epicteto, qua probatur, eum non fuiſſe Chriſtianum Grœning. 1708. 8.

§. VI. Quod ſi igitur homines praui adfectus impulſu commoti ſint ad huiusmodi conciliandi ſtudium, facile exinde iudicare poſ-

1 *phyſic. veter. & ver. cap. 2. pr. p. 11.*

ſumus,

fumus, quanta fimplicis veritatis promouendæ ipfis fuerit cura, cuius quippe nullam habuerunt rationem, & perditæ mentis cupiditati fatisfacere, laborarunt. quid multa? quilibet mediocri iudicandi virtute præditus percipere poteft, quam ieiunæ aridæque fint fæpius tales conciliationes, quod vt fiat manifeftum, non ab re erit, hanc in rem exempla quædam proferre. fic BESSARIO eam ob cauffam PLATONEM cum oraculis dei confentire putat, quod plus fidei, quam demonftrationibus tribuerit; *Plato*, ait, *in hoc præcipue cum noftra religione conuenire videtur, quod nullam quærit demonftrationis rationem, fed primam præcipuamque omnium virtutum fidem conftituit, per quam res diuinas merito colendas exiftimat*; quafi fides Platonis, hominis rationis tantum lumine inluftrati & adhuc paganorum facris initiati eadem fit ac fides, quam doctores religionis chriftianæ docent, quæ feruatore generis humani nititur, cuiusue nemo per vires naturæ, fed gratiam fpiritus fancti particeps effe poteft. AVGVSTINVS STEVCHVS,[1] vt confenfum Ariftotelis cum Mofe demonftraret, momentum illius inter alia in eo pofuit, quod ad fimilitudinem libri generationis diuinæ adfirmauerit, deum marem & feminam πρὸς τὴν κοινωνίαν produxiffe, quod fane ita firmum ftatutumque eft, vt a nemine, fiue fit politus, fiue rudis ingenio, vocetur in dubium. quin immo interdum fuerunt ea licentia, vel potius audacia ac temeritate, vt fancta profanis, religiofa ac pia impiis, lumina tenebris, fumma infimis

1 *de perenni philof. lib. X. cap. 20.*

mifce-

miſcerent turbarentque, cui impudentiæ inſignem reliquit locum IVSTVS LIPSIVS, qui per fatum Stoicum intelligit *æternum prouidentiæ decretum, quod tolli non magis e rebus poteſt, quam prouidentia ipſa*: [1] quid? ipſam prouidentiam, quam ex ſacris litteris cognoſcimus quamue profitemur pie, ad VELLEII exemplum apud CICERONEM [2] qui eam per ludibrium *anum fatidicam* Stoicorum vocat, ita adloquitur: *ades noſtra anus, ades amanda nobis ſuper omnes veneres & venerum amores!* [3] quæ verba neque pectus, neque ſcribendi genus hominis chriſtiani produnt, & ſane miramur, magnum Lipſii ingenium in tam futiles, commentitias ac impias ſententias incidiſſe. atque etiam alia Stoicorum delirantium ſomnia tam pulcre interpretari poteſt. ſed, quæ attigimus exempla, ſufficiant.

§. VII. At vero hæ conciliationes non ſolum ſunt nullius momenti, ſed & ex veritate ea, qua decet ratione, minime poſſunt inſtitui, quæ ſententia noſtra verboſius explicari poteſt. primum enim ſacer codex, qui religionis chriſtianæ doctrinas tradit, eiusmodi complectitur res ac veritates, quas nemo humanæ mentis oculis intueri, vique rationis cognoſcere poteſt, prout omnes illæ ſunt, quæ viam ad veram eamque ſempiternam felicitatem conſequendam monſtrant. equidem facile concedimus, quod ratio noſtra emendata atque diligenti exercitatione perpolita nihil neque adfirmet, neque neget, quod diuinis effatis ſit aduerſum; multa tamen eaque grauiora veritatum momenta illis inſunt, quæ in-

1 *de conſtant. lib. I. cap. 19.* 2 *de natur. deor. lib. I. cap 8.*
5 *lib. I. diſſ. II. phyſ.*

tellectus noster sua percipiendi vi minime consequi potest. adhæc paganorum philosophi rationi emendandæ nullam dederunt operam, quin etiam adfectuum cupiditatibus indulgentes, istam corruperunt maxime, adeo vt philosophia, quæ veritates suas ex lumine sanæ rationis deducit, non sit eadem ac doctrina huiusmodi philosophorum. quod si enim hoc fecissent, pro veritatis indole, quæ simplex atque vna est, quæue vna eademque ratione cognoscitur ac percipitur; tanta sane diuersitas veritatum principalium, totque veterum philosophorum sectæ non fuissent, prout alia sententiarum principia adhibuit PLATO, alia ARISTOTELES, alia ZENO, alia EPICVRVS. atqui certe in summis erroribus & maximarum rerum, dei quippe, prouidentiæ diuinæ, animæ naturæ atque immortalitatis ignoratione sunt versati, quas tenebras & ille, qui recta vtitur ratione, dissipare & aliis in hisce momentis clarissimum præferre potest lumen. id quod diuinus apostolus PAVLLVS [1] pro sua iudicii grauitate breuibus, sed magna verborum virtute exprimit: ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *vani futilesque facti sunt cogitationibus meditationibusque*, καὶ ἐσκοτίσθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία, id est, quoniam intellectus ipsorum veræ sapientiæ non capax, crassis occultatus & circumfusus est tenebris errorum; qua interpretatione explanamus vocem καρδίας per *intellectum*, quæ significatio & alio loco apostoli huius [2] confirmatur, quando dicit: τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. immo addit: φάσκον-

1 *Rom. I. v. 21.* 2 *Rom. II. v. 15.*

τες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν, hisque verbis significat, quod summo elati spiritu sibi ipsis videantur sapientes ac grauissimi sapientiæ doctores; re ipsa autem in stultitiam sint deducti. en! hæc scripsit PAVLLVS ad romanos, qui omnem litterarum sapientiæque vindicabant sibi gloriam, qui principes gentium cultissimarum habebantur, quiue græcorum doctrinas de rebus diuinis emendasse, liberali mente sibi persuadebant.

§. VIII. In tam crassis igitur erroribus in rebus, quæ mentis tantum agitationem ac contemplationem spectant, quamnam lucem in doctrinis morum, quæue ad vitam bene conformandam valere debent, præferre potuerunt veteres philosophi? quantam sane speciem pulcritudinis præ se habent illorum præcepta, tanta omnino eorum adparebit deformitas, si in interiorem illorum indolem, quam veluti conclusiones ex principiis suis deductæ habent, penetramus, id quod per exemplorum vim corroborare volumus. sic PYTHAGORAS & PLATO vltimum hominis finem esse ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ. *similitudinem dei* docuerunt, ad quam perueniendi medium præter cognitionem sui ipsius esset κάθαρσις, *purgatio*, quam sequi deberet ἄνοδος, seu *adscensus* vel arcta cum deo coniunctio, cuius rei testimonia a scriptoribus, qui modo generatim, modo speciatim historiam philosophicam illustrarunt, collecta fuerunt copiose: quo autem fundamento nitatur hæc doctrina, ostendamus. scilicet primum communis veterum fuit opinio, quod anima nostra, aut potius mens pars sit diuinæ naturæ, cui præter

alios PYTHAGORAS & PLATO imprimis ſeſe addixerunt. ad illum quod adtinet, teſtatur THEODORETVS,[1] apud Pythagoram & Platonem intellectum nihil aliud fuiſſe, quam diuinam partem, quod etiam ex definitione, quam dedit de deo, patet, veluti *animo per vniuerſam rerum naturam commeante & intento: ex quo etiam animalium omnium vita capiatur*, teſte MINVCIO FELICE,[2] quæ de Pythagoræ ſententia depromta ſunt ex CICERONE,[3] adde CLEMENTEM *Alexandrinum*,[4] THOM. STANLEIVM[5] PETR. DAN. HVETIVM.[6] quod autem etiam PLATO huius fuerit opinionis, animam humanam ex animo diuino & per omnem rerum naturam diffuſo eſſe tractam, ea ſatis confirmant, quæ hac de re legimus apud ipſum PLATONEM[7] ALCINOVM[8] MACROBIVM[9] EVSEBIVM[10] NEMESIVM[11] PETRVM GASSENDVM[12] IACOBVM THOMASIVM.[13] ſic poſita animæ humanæ diuina indole, porro *deſcenſum quemdam* illius e cœlo in terram ſtatuebant, cuius modum rationemque commemorat MACROBIVS:[14] *ſecundum hos ergo, quorum ſectæ amicior eſt ratio, animæ beatæ ab omni cuiuscumque contagione corporis liberæ cœlum poſſident. quæ vero appetentiam corporis & hujus, quam in terris vitam vocamus, ab illa ſpecula altiſſima & perpetua luce*

1 *de curat. græc. adfect. lib. V. p. 516.* 2 *Octau. cap. 19. § 7.* 3 *de nat. deor. lib. I. cap. 11.* 4 *Strom. lib. V. p. 590.* 5 *histor. philoſ. part. VIII. p. 763.* 6 *quæſt. Alnet. lib. II. cap. 8.* 7 *Tim. p. 713.* 8 *introduct. Platon. cap. 17.* 9 *ſomn. Scipion. lib. I. cap. 21.* 10 *præp. euang. lib. XIII. cap. 16.* 11 *de natur. hom. cap. 2.* 12 *ſyntagm. philoſ. Epic. part. 2. ſect. 1. cap. 2. ſect. 2. cap. 6.* 13 *de ſtoica mund. exuſtion. diſſ. XXI. th. 18.* 14 *ſomn. Scipion. lib. I. cap. 11.*

deſpi-

despiciens desiderio latenti cogitauerit, e pondere ipso terrenæ cogitationis paullatim in inferiora delabitur. nec subito hac perfecta incorporalitate luteum corpus inducitur; sed sensim per tacita detrimenta & longiorem simplicis & absolutissimæ puritatis recessum in quædam siderei corporis incrementa turgescit. in singulis enim sphæris, quæ cælo subiectæ sunt, ætherea obuolutione vestitur, vt per eas gradatim societati huius indumenti testei concilietur. & ideo totidem mortibus, quot sphæras transit, ad hanc peruenit, quæ in terris vita vocitatur. quæ anima e cælo in terram delapsa, ex sententia Pythagoræ & Platonis cum corpore coniungitur, hacque coniunctione, quum ex materia omne gignatur malum, contrahit sibi prauam ac corruptam indolem, quæ est tertia doctrina, cuius in quæstionis nostræ gratiam habenda est ratio. etenim veteres pagani, quum inscitia primæ mali originis laborarent, ac motuum corporis vim, cui anima vix poterat resistere, sentirent, in eam ingressi sunt sententiam, fundamentum omnis mali positum esse in corpore ac materia, adeoque corpus, veluti carcerem, vbi anima pœnas det, habendum existimarunt. Pythagoræ hanc sententiam diserte tribuit IVSTVS LIPSIVS[1] ad EVSEBIVM[2] prouocans, qui hanc Pythagoræ referat doctrinam: *principiorum alterum esse vnionem, id est deum & bonum, alterum infinitum & binionem, id est dæmonem & malum, circa quem materialis multitudo est;* quod & satis notum est de Platone, quamuis minime sit auctor huius opinionis, vt putat

1 *physiol. Stoic. lib. I. dissert. 14.* 2 *præpar. euangelic. lib. XIIII.*

CLEOMBROTVS apud PLVTARCHVM, [1] *Platonem principio, quod qualitates, quæ gignuntur, vt subiectum sustinet, materiam nunc vocant, excogitato, multis magnisque philosophos liberasse difficultatibus*; siquidem illam Platone multo antiquiorem esse constat, cuius momenti testimonia studiose collegit PETRVS DANIEL HVETIVS. [2]

§. VIIII. Quam opinionem de animæ natura, descensu atque ex coniunctione cum corpore contracta prauitate quum mentibus suis comprehendissent Pythagoras & Plato, ἄνοδον illius, seu *adscensum*, quo e vinculis corporis tanquam ex carcere euolaret, seque iterum cum deo, vnde ipsius natura esset desumta, coniungeret, promouere omni studio annisi sunt. qua sententia explicari debet illorum ὁμοίωσις τῦ Θεῦ, quam vltimum finem esse hominis dixerunt, qua in re consentiebant Pythagoras & Plato, quod testatur STOBAEVS [3] Σωκράτης, Πλάτων ταυτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ τέλος ὁμοίωσιν Θεῷ εἶναι λέγυσι, *Socrates & Plato, quemadmodum Pythagoras, finem dixerunt dei similitudinem*, nisi quod Plato facultati ad hanc dei similitudinem perueniendi, his verbis: κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ posuerit limites, vide IO. SCHEFFERVM. [4] duplici autem ratione hunc animæ adscensum fieri posse, existimabant. primum quando anima re ipsa soluatur a vinculo corporis, & ad diuinam dei sedem transferatur; deinde si in corpore quidem veluti carcere, in quem fuerit coniecta, adhuc degat, sed omnem adhibeat operam, vt

1 *de defect. oracul. p. 414.* 2 *quaestion. Alnet. lib. III. cap. II. Origen. lib. II. cap. 2. qu. 6.* 3 *lib. II. eclog. cap. 3.* 4 *de natur. & constit. phil. Italic. cap. 6. 7.*

libe-

liberata a labe corporis, ad priſtinam libertatem puritatemque, ac denique ad vnionem cum deo poſſit peruenire. cuius poſterioris adſcenſus iterum duplex erat via: altera *philoſophica*; altera vero *theurgica*. quod ad *philoſophicam* pertinet, commendauit Pythagoras καθάρσεως ſtudium, quæ cum cognitione ſui ipſius & conuerſione in ſeipſum ἐπιστροφῇ εἰς ἑαυτὸν faciliorem ἄνοδον πρὸς τὸν Θεὸν efficeret, confer HIEROCLEM [1] & BVDDEVM. [2] Plato autem æque ac Pythagoras inter media finem illum attingendi retulit puritatis ſtudium, vt anima ſeiungeret ſe a corpore eiusque inquinamentis, [3] hinc & philoſophiam dixit μελέτην θανάτε, *meditationem mortis*. ad viam *theurgicam* vero neceſſaria erant varia purgationis externæ genera, modo per aërem, modo per aquam, modo per ignem, in quorum vſu multi celebres fuerunt ritus, id quod pluribus expoſuit IO. LOMEIERVS. [4]

§. X. Si quis ſingulari amoris adfectu erga philoſophiam Pythagoræ & Platonis eſſet occupatus, facile occaſionem doctrinas illas cum chriſtiana diſciplina contendendi captare poſſet. ſane vt PAVLLVS [5] τὴν ἀπόθεσιν τȣ͂ παλαιȣ͂ ἀνθρώπȣ hominibus chriſtianæ religionis neceſſariam eſſe dicit; ita HIEROCLES [6] a ſapientiæ cultoribus poſtulat τὴν τῶν ὑλικῶν μολυσμῶν ἀπόθεσιν; vtque AVCTOR epiſtolæ ad Hebræos conſcriptæ [7] μετάνοιαν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων commendat; ita HIEROCLES [8] confirmat, illos, qui ſocietatem cum deo adpe-

1 *comment. in aur. carm. Pythag. cap. 66. p. 222. cap. 70. p. 226.* 2 *analect. hiſt. phil. p. 368.* 3 *Phædon. tom. I. p. 67. opp.* 4 *de veter. gentil. luſtration.* 5 *Epheſ. IV. v. 22.* 6 *c. l. p. 26. 226.* 7 *cap. VI. v. 1.* 8 *p. 10.*

terent, debere se ἀπὸ τοῦ θνητοειδοῦς σώματος disiungere; vtque PLATO[1] dicit: μὴ καθαρῷ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν, ita PAVLLVS[2] scripsit: τίς γὰρ μετοχὴ δικαιοσύνῃ καὶ ἀνομίᾳ; item καὶ ἀκαθάρτου μὴ ἅπτεσθε. sed quanta videtur conuenientia effatorum Pythagoræ & Platonis cum sacris scripturis, si ista veluti conclusiones tantum, & ipsorum verba consideramus; tanta sane est dissimilitudo intuitu principiorum, quibus illa nituntur. omnia enim plena sunt errorum, quorum hoc in momento grauissimus est, quod anima hominum pars sit naturæ diuinæ, cuiusmodi doctrinam adfirmare ac profiteri, plane ab omni ratione, ne de diuina dicamus reuelatione, alienum est. de cetero sententia hæc, quæ omnes fere philosophos oppleuerat, alios eosque plures peperit errores, & fundamentum fuit multarum doctrinarum, quæ videntur elegantissimæ ac præstantissimæ, re ipsa autem sunt absurdæ atque impiæ. quam in rem, si dissertationis rationi esset consentaneum, vberius adhuc exempla e Stoicorum præcipue philosophia deprompta proferre possem; sed sufficiat, breuibus ea, quæ antiquis philosophiæ magistris de immortalitate animæ placent, attingere. ita prædicatur in illis rei huius cognitio, atque argumentorum, quibus veritas hæc de immortali animæ nostræ indole innixa, vim per illorum testimonia adhuc augeri ac corroborari posse multi sibi persuadent, cuiusmodi collegit HARTSCHMIDIVS[3] & PETR. DANIEL HVETIVS[4] verum

1 *Phædon. tom. I. p. 67. opp.* 2 *2. Cor. VI v. 14. sqq.* 3 *de immortalitate animæ humanæ.* 4 *quæstion. Alnetan. lib. II. cap. 8. §. 3.*

omnes

omnes illi, qui originem animæ ex diuina natura deriuabant eamque iterum in hanc reuerſuram contendebant, minime adfirmarunt, illam eſſe immortalem, id eſt propriam ſubſiſtendi vim retinere, ſed potius non poſſe deſtrui, quæ diſcrepantia ſatis eſt inſignis.

§. XI. Ex his a nobis ſatis ſuperque dictis, quod ratio humana dignitatem ac maieſtatem veritatum, quæ ſacris litteris inſunt, non ſemper capere poſſit; quodue veteres philoſophi lumen, quod natura ipſis fuerat dilargita, tenebris adfectuum atque errorum obſcurauerint maxime, efficitur concluſio, inane eſſe ſtudium, illorum doctrinas cum ſacris ſcripturis contendendi. equidem, ſi dono rationis a deo dato legitimo modo vſi fuiſſent, nec prauis animi adfectibus tam maximum reliquiſſent locum, facile has falſas opiniones ac turbulentos errores vitare, etiam ſibi eripere potuiſſent; ſed quid mirum, quod in tanto prauarum cupiditatum ſtudio, ratio ipſorum circumfuſa fuerit tenebris? quapropter etiam apoſtolus PAVLLVS [1] adfirmat, quod corruptio mentis, libido quippe adfectuum hunc opinionum morbum, hanc intellectus ægrotationem effecerit, quando dicit: τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης, quod pluribus exemplo græcorum philoſophorum clariſſime demonſtrat CAMPEGIVS VITRINGA. [2] verum nobis obiici poſſe videmus, quod veteres philoſophi ex paganorum ordine multa ope traditionis cognouerint, vt adeo inſtitutum, quo illorum do-

1 *Epheſ. IV. v. 22.* 2 *diſſert. de philoſ. græcor. vitio affectuum corrupta lib. 3. cap. 12. p. 633. obſeru. ſacrar.*

ctrinarum cum ſacris tabulis conuenientia oſtendatur, non plane ſit contemnendum. nec negamus, quod pagani hominis peregrinationes, ſi non in ipſam Iudæorum prouinciam, ad Aegyptios tamen fecerint, quorum ſacerdotes memoriam legum ac conſuetudinum Iudæorum tenebant, id quod de THALETE *Mileſio*, PLATONE & EVRIPIDE confirmat DIOGENES LAERTIVS, [1] & pluribus aliis DIODORVS *Siculus*; [2] quibus rationibus & hæc a multis additur, quod Ptolemæi magnum librorum numerum ex omnium gentium librariis theſauris conquiſitum comportare procurauerint, eoque ipſo græcis aliisque gentibus ſacros Ebræorum libros euoluendi ſuppeditauerint occaſionem, prout quoque ex plurium opinione auſpiciis *Ptolomæi Philadelphi* conuerſio ſacrarum litterarum in gentium linguam ſit facta, vt de aliis argumentis in præſens taceamus, quæ a nauigatione Ophiritica Salomonis iuſſu facta, eiusdem cum gentium feminis connubio, reginæ Aethiopicæ ad eundem acceſſu & aliunde petuntur. hinc MVTIVS PANSA [3] dicit: *ebraica æmulantes plerique multa ſuis in ſcriptis inſeruerunt, paucis mutatis. erant enim vel teſte Euſebio, ante Ptolemæum diuinæ ſcripturæ in græcam linguam traductæ. multa Theopompus, multa Theodotus tragœdiarum ſcriptor, multa Euripides, Sophocles, Phocylides, Diphilus, Menander & ceteri ab eis ſuffurati ſunt, ita vt integras chartas, columnas integras, vel ab eis carmine redditas, vel rhetorico fuco exornatas*

1 *lib. I. ſegm. 27. lib. III. ſegm. 6.* 2 *lib. I. p. 60.* 3 *oſcul. ethnic. & chriſtian. philoſ. præf.*

apud

apud illos legerim a prouerbiis & sapientia Salomonis desumptas; confer GOTHOFR. VOCKERODT. [1] sed tamen oracula diuina, & quae de illis ad ipsorum notitiam pervenerunt, gentes non solum minus recte intellexisse, sed & fabulis aliisque a sacra veritate aberrantibus opinionibus corrupisse, quem fugit? quin immo philosophi iudaicarum rerum vel parum vel minime erant studiosi, iisque multa exprobrabant vitia. post natum quidem generis humani seruatorem, quum temporis complementum aduenisset, quo mundi salus vbique terrarum illustraretur, omnium gentium homines in ciuitatem adscripti, cuius tum pomoeria satis fuerant angusta, etiam ad illos fama & doctrina euangelii peruenit; sed hanc ipsam doctrinam euangelii siue Christi crucifixi ἔλλησι, hoc est *gentibus*, quae Iudaeis opponuntur, praecipue autem illorum philosophis μωρίαν esse, PAVLVS [2] pronuntiat, quippe qui sibi persuaserunt, doctrinam illam de iustitia dei demonstratam in Christo crucifixo alienam esse a perceptionibus rationis, id quod colligere possumus ex illis, quae commemorat LVCAS. [3] equidem interdum philosophi de hominum miseria grauiter sunt conquesti; intimam tamen naturae humanae prauitatem minus perspectam habuerunt, persuasione corrupta occupati, inesse mortalibus facultatem bene viuendi, ac propriis viribus ad virtutis regulas sese conformandi: quapropter COTTA apud CICERONEM [4] dicit: *atque hoc quidem omnes mortales sic ha-*

1 *de notitia diuin. scriptur. ante Christum nat. in gentes vulgat. p. 227. comment. de erudit. societat.* 2 *1. Cor. I. v. 23.* 3 *Actor. XVII. v. 18.* 4 *lib. III. cap. 36. de N. D.*

bent,

bent, externas commoditates, vineta, segetes, olíueta, vbertatem frugum & fructuum; omnem denique commoditatem prosperitatemque vitæ a diis se habere: virtutem autem nemo vmquam acceptam deo retulit. nimirum recte: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis haberemus; hinc & HORATIVS: [1] *det vitam, det opes, æquum mihi animum ipse parabo.*

§. XII. Ita demonstrauimus, quantum sit discrimen inter paganorum ac diuinorum scriptorum doctrinas, quarum conuenientia frustra ac sine caussa ostendatur. prout autem multi ad huiusmodi negotium impulsu corrupti adfectus rapti fuerunt; ita de vera conciliandi via duplici ratione deflexerunt. primum enim sententias veterum philosophorum iuxta ipsarum principia, vnde deductæ sunt, minus examinarunt, & sensu, quem ipsa verba prodiderunt, adquiescentes, plane alia animo conceperunt, quam quæ ipse auctor quidem sensit. non sufficit, philosophorum conclusiones, quæ interdum singularem veritatis, pulcritudinis atque elegantiæ speciem præ se habent, præceptis diuinioris doctrinæ similes pronunciare, nulla nexus, quo cum principiis suis & inter se cohæreant, habita ratione. deinde non obseruarunt; philosophos pro diuersis sectis vsos esse iisdem sæpe vocibus, iis autem diuersas proposuisse opiniones, adeoque existimarunt, plures sensisse similia, quamuis nihil simile cogitauerint, qua in re multi interpretes scripturæ sacræ grauiter sunt lapsi, qui

1 *lib. I. epist. 18.*

ad

ad illius dicta philosophorum sententias inconsiderate adplicarunt, aut temere linguam gentium cum sermone sacrorum scriptorum contulerunt, vti sæpius fecerunt HVGO GROTIVS & IO. PRICAEVS, obseruante IO. CLERICO, [1] quamuis ipse aduersus hanc optimam interpretandi regulam interdum peccauerit, quod tantum ex interpretatione vocis λόγος apud Ioannem principio euangelii patet, quum existimet, Ioannem vocem & doctrinam hanc de λόγῳ a PHILONE mutuam accepisse, [2] quæ res in controuersiam & disceptationem vocata est ab IO. van der WAYEN, HERM. WITSIO, CAMPEGIO VITRINGA aliisque. sed hæc in transitu.

§. XIII. Quæ iam exposuimus, magnam habent vim ad illorum sententiam, qui Aristotelem cum libris diuina auctoritate conscriptis consentire credunt, diiudicandam. quamuis nobis sit in animo infra singillatim philosophi huius opiniones penitus inspicere, & quantum impietatis illis insit, explanare; ea tamen, quæ diximus generatim de grauitate veritatum sacrarum, de veterum philosophorum ratione per prauitatem adfectuum corrupta, & qui inde suam habuerunt originem, maximis erroribus, facile confirmare possunt, huiusmodi concordiam plane esse fictitiam commentitiamque. doctoribus, vti dicuntur, scholasticis facile potest ignosci, quum ista ætate tanta fuerit barbaries, vt neque sacrum codicem, neque Aristotelem explicandi, ob putidam græcæ & hebraicæ linguæ inscitiam cuidam fuerit facultas, præcipue quum illorum philo-

1 *arte critic. vol. I. parte 2 sect. I. cap. 15.* 2 *comment. ad euangel. Ioann. exordia subi. comment. in Genesin.*

sophia

sophia in seruitutem theologiæ Papææ esset redacta, quod historiæ momentum pluribus persequitur ADAMVS TRIBBECHOVIVS.[1] sed per LVTHERVM emendata doctrina puriore christiana, ac splendida bonarum litterarum exorta luce, multos adhuc ex societatibus nostris sacris fuisse, qui tam pio ac religioso cultu Aristotelem sint prosecuti, omnino est, quod admiremur. verum quid non persuadet adfectus, qui a prima ætate voluntatem occupauit suaque semper habuit alimenta? cui si quis amore erga veritatem incitatus resistat, facile ab erroribus liberari & in veram cognitionem rerum vtilium deduci potest. ita Aristoteles auctoritate sua multorum animos adeo ceperat, vt ab ipso discedere, nefarium crimen læsæ maiestatis Aristotelicæ haberetur, vtque sectatores illius hanc dignitatem conseruarent & in maiorem adhuc locum promouere possent, ipsius doctrinas cum diuinis effatis conciliarunt, quoniam turpe esset christianis, Aristotelem a christiana religione & litteris sacris alienum docere, interpretari ac defendere. quod opus quam infelici successu sit susceptum, quisque qui a corruptorum affectuum studiis abest, ex ZEISOLDI libro, cuius superioribus mentionem fecimus, satis & super cognoscere potest, quippe qui plenus est conciliationum ieiunarum; duriores cum sacri codicis, tum Aristotelis interpretationes complectitur, ac grauissima momenta, in quibus omnis vera conciliandi vis posita est, relinquit intacta: confer IO. FRANC. BVDDEVM.[2] ego existimarem, fieri posse maiori adhuc spe-

1 *de doctrib. scholastic.* 2 *obseru. Hallens. tom. III. obs. 13.*

cie

cie conciliationem inter Platonis, Pythagoræ, ſtoicorum doctrinas & ſcripturarum ſacrarum veritates, ſi tantum ſpectemus ipſas concluſiones, quam inter Ariſtotelem & codicem diuinum, cuius integra morum diſciplina externam modo hominis felicitatem reſpicit, vt pluribus infra demonſtrabimus. de cetero iure ac merito cum IACOBO THOMASIO [1] cenſemus, *melius eos de fide ſacra mereri, qui discordiam profanæ philoſophiæ cum chriſtiana intercedentem fideliter detegunt, quam qui tenebras inter & lucem paciſci pergunt*: quapropter & inſtitutum IO. BAPTISTAE CRISPI, qui de *philoſophis ethnicis caute legendis* [2] ſcripſit, laudem omnino meretur.

§. XIIII. Hactenus de prima ſententia, illorum quippe chriſtianorum, qui tam præclare de Ariſtotelis philoſophia ſentiunt eamque ſcripturis diuinis conſentaneam eſſe adfirmant. pro ordinis ratione conuertimus nos ad Iudæos, quorum fabulas de Ariſtotele, quas ſupra breuibus attigimus, verboſius exponere ac diiudicare non ab re eſſe ducimus. ſunt itaque, qui philoſophum hunc genere Iudæum fuiſſe, contendunt, vti R. GEDALIAS [3] cuius locum latino tantum referemus ſermone: *reperiuntur*, dicit, *in quodam libro inter chriſtianos ex iis, quos fecerat Euſebius, ſcripta hæc verba: dixit Alirkos diſcipulis ſuis: conuenit ut ſciatis, quod maior pars philoſophiæ ad nos peruenerit ab Ariſtotele ſapiente, qui fuerat vir Iudæus de ſemine Iſraelis Ieroſolymitanus de filiis Kalia, de tribu Beniamin. venit ad noſtri famam ex inſulis longinquis,*

1 *de ſtoica mundi exuſtion. p.* 20. 2 *Rom.* 1594. 3 *Schalſch™leth hakkabb. p.* 102.

quæ

quæ ſunt in Aſia & deſcendit ex montibus ad nos & ſedit nobiscum diebus plurimis. philoſophiam peperit nobis & multo plura valde reliquit & didicimus ab ore eius, quam ipſe didicerat a nobis. ſed GEDALIAS vel non intellexit EVSEBIVM; vel de induſtria verba ipſius in commodi ſui gratiam detorſit, ſiquidem apud EVSEBIVM eo loco, [1] quem GEDALIAS ſine dubio reſpicit, CLEARCHVS introducit ARISTOTELEM loquentem de Iudæo, animo & lingua græco philoſopho, qui ad ſe in Aſia degentem venerit, aliosque ſapientiæ ſuæ fecerit participes. nec CLEARCHVS hic fuit peripateticus ille & diſcipulus Ariſtotelis; ſed alius ætate multo inferior, cuius adeo fides non ſatis firma eſt, quippe quod omnino nos in admirationem deducit, etiam ex chriſtianis quosdam, MARSILIVM FICINVM ac GENEBRARDVM tam manifeſtis atque apertis Iudæorum fabulis fidem adiungere potuiſſe: confer PETR. BAELIVM. [2] quod ad illorum ſententiam adtinet, qui Ariſtotelem proſelytum factum & Iudæorum ſacra amplexum fuiſſe, tradunt, illa ſane minus digna eſt, quæ verboſius refutetur, præcipue quum epiſtola iſta Ariſtotelis ad Alexandrum, quæ fundamentum ſententiæ huius habetur, plane eſt commentitia ideoque iure ac merito reiicitur, vt pluribus obſeruant IO. FRANCISCVS BVDDEVS [3] & IO. CHRIST. WOLFIVS. [4]

§. XV. Fabula autem illa, quod Ariſtoteles

1 *præparat. euangel. lib. IX. cap. 3.* 2 *diction. hiſtor. critic. tom. I. p. 347.* 3 *introduct. ad hiſt. phil. Ebræor. p. 204. 208. ed. 2.* 4 *bibl. hebr. p. 218.*

phi-

philosophiam suam ex libris Salomonis rapuerit & furatus sit, plane conuenit cum Iudæorum ingenio atque animo: etenim philosophus hic magna apud illos valet auctoritate, quapropter R. ABRAHAM in אמונה הזק vocat eum ראש הפילוסופים *principem philosophorum*, & MAIMONIDES [1] dicit: *scientia Aristotelis est perfectissima scientia humana, præter illorum, qui diuino gaudent influxu, vsque dum attingant gradum prophetiæ, quo nullus superior.* quapropter quæ Iudæorum grauis est arrogantia, hæc omnia confinxerunt, vt Aristoteles veluti homo paganus non suo ingenio sapere, &, quæ sapientiæ ornamenta collegerit, Iudæorum nationi debere videretur, prout eos quoque pudet omnino, a paganis aut christianis didicisse. hinc & tradunt, quod PYTHAGORAS per ipsorum scripta suum ornauerit ingenium, quinimmo per circumcisionem istorum sacris sit initiatus; id quod post alios commentus est MENASSE *ben Israel*; [2] & ex recentiori ætate dixit SCIPIO SGAMBATVS: [3] *Pythagoras aut Hebræus, aut Hebræorum auditor fuit, aut vtrumque. Iamblichus & Neanthes Syrum fuisse confirmant, & a Pherecyde itidem Syro doctum. Alexander libro de symbolicis Pythagoricis Nazaretbi Assyrii discipulum eum facit, vt Clemens lib. I. stromat. quem a nonnullis putari Ezechielem dicit. Vestis illi fuit plane eadem, qua Hebræi sacerdotes vtebantur. Abstinentia ab animalibus callide ab eo inducta, quo facilius omnibus abstinens ea, quæ sunt Hebræis*

1 *epist. ad R. Aben Tibben.* 2 *de immortal. anim. lib. IV. c. 21.* 3 *archiu. V. T. p. 453.*

braeis immunda, vitaret. Samius vocatus est, vt reor, quod e Semi Academia aut secta se profiteretur: nam Syrus procul dubio fuit, non Samius: & licet a plerisque Tyrius vocatur, id forte ob ciuitatis illius famam accidit, quae totius olim Syriae princeps habita est. idem quoque narrant de PLATONE, quod multa ex lege Iudaeorum sua sibi fecerit, cuius sententiae & plerique sunt christianorum, IO. CLERICVS [1] autem isti se opposuit, vide IO. ALB. FABRICIVM [2] & IO. CHRISTOPH. WOLFIVM. [3] quae quamuis omnia maxime adhuc sint dubia, & dentur omnino, qui plane negant, Pythagoram Platonem ceterosque, quos graecia vetus tulit, philosophos sua ab Ebraeis accepisse; attamen, si & res ita sese haberet, obseruandum existimamus, hanc ipsam Ebraeorum doctrinam a philosophis istis saepius non recte perceptam, etiam esse corruptam; nec inde effici posse conclusionem, quod Aristoteles hauserit sua ex scriptis Salomonis, id quod aperte falsum ponitur.

§. XVI. Tandem tertia sententia de Aristotele explananda restat, eorum quippe, qui illum impiarum doctrinarum adcusarunt, etiam in ordinem adscripserunt atheorum. sed quum ipsum dissertationis huius argumentum in eo versetur, vt ostendamus, Aristotelis philosophiam plenam esse grauissimorum errorum, eorumque qui cum atheismo sunt coniuncti, quiue ad illum facile quemdam possunt perducere, non est, quod iam quaedam ea de re dicamus, quapropter potius ipsum opus adgrediamur.

1 *epist. critic. epist. VII.* 2 *bibl. graec. lib. II. cap. 12 p 457. not. bibl. hebr. p. 983. 984. not.*

CAPVT

CAPVT II.

DE

ATHEISMO ARISTOTELIS GENERATIM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Quid sit atheismus §. I. *quotuplex sit atheismus internus* §. II. *quotuplex sit atheismus externus* §. III. *de discrimine inter atheismum auctoris & doctrinæ cuiusdam, & de mediis ad diiudicandum veterum philosophorum atheismum necessariis, quorum alia spectant ad intellectum, alia ad voluntatem* §. IIII. *ratione* intellectus *medium* primum *indicatur & illustratur* §. V. VI. *medium* secundum *&* tertium §. VII. *medium,* quartum §. VIII. *ratione* voluntatis *indicantur media* §. VIIII. X. *hæc dicta generatim adplicantur ad Aristotelem* §. XI.

§. 1. De atheismo ARISTOTELIS disputaturi, non alienum ab officio faciemus, si quædam de ipsa atheismi indole, eiusdemque variis generibus, quanta fieri poterit & perspicuitate & breuitate, notemus, ac lectoribus ad faciliorem meditationum nostrarum cognitionem præferamus lucem. non est, quod vocabulum *atheismi* interpretemur, eiusque aut originem aut varias significationes declaremus, ne longius a proposito dicendi argumento dimoueamur, ac tali negotio, quo clarissimi viri THEOPHILVS SPIZELIVS[1] ZACHARIAS GRAPIVS[2] feliciter sunt functi, nos addicamus. sufficit quippe, nos propriam ac genui-

1 *scrutin. atheism. part. I.* 2 *diss. an atheism. necess. ducat ad corrupt. mor.* §. 4.

nam vim significandi vocis huius sequi ac per illam intelligere eiusmodi errorem, quo quis dari deum negat, adeoque rem subsistentem finitam originem sui sibi ipsi debere, nec rebus naturæ quidquam diuini inesse, sibi persuadet. qua definitione quum ponamus, atheismum errorem esse ideoque pertinere ad corruptionem intellectus, simul significare volumus, illum non propria vitii indole, sed ratione originis atque effectus, qui inde conflatur, referri posse ad voluntatem. etenim animus hominis se miscere atque implicare potest huiusmodi erroribus ac vitiis modo propter miseram intellectus debilitatem, modo corruptis adfectibus voluntatis impulsus, ita vt ex contracto tali errore semper impietas mentis aduersus deum nascatur. at vero quoniam error nunquam non spectat facultatem intellectus iudicandi & ex propositione quadam efficiendi conclusionem; inde quoque consequitur, discrimen esse ponendum inter errorem de deo & inter ignorantiam & inscitiam illius, qualem in variis gentibus fuisse & esse, a quibusdam adfirmatur, præcipue nostra ætate a PETRO BAELIO,[1] aduersus quem alii adserunt, nullam gentem fuisse & esse neque tam immansuetam neque tam feram, quæ non sensum habeat dei. & quamuis ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat, vide IO. LVDOVIC. FABRICIVM,[2] la CROSE[3] IO. FRANCISCVM

1 *dans la continuat. des pensees sur les cometes §. 86. sqq tom. II. respons aux. quest. d' vn prouincial & alibi.* 2 *apologet. pro genere human contra atheism. calumniam.* 3 *entret. sur diuers sujets d' histoire &c. p. 254.*

BVD-

BVDDEVM [1] IO. ALB. FABRICIVM [2] BENOIST. [3]

§. II. Vitium hoc atheismi duplici ratione considerari potest: partim prout in animo illud inhæret; partim aliis fit apertum & manifestum. priori modo iterum quis nullum deum dari, sibi persuadere potest, vel *simpliciter* sine vllo opinionis suæ argumento, in quam persuasionem alios deducit rerum prosperitas, vti LACTANTIVS [4] dicit: *ex rerum prosperitate luxuria; ex luxuria vero, vt vitia omnia, sic impietas aduersus deum nascitur*; alios vero aduersa fortuna, cuius vi res præter voluntatem eueniunt, ita vt bonis male, malis bene sit, quod suspicionem efficit, quasi nullum esse deum, saltim nulla rerum humanarum cura tangi; vel *per principia*, quæ venditant, quæue modo diserte, modo per vim concludendi impietatem hanc complectuntur, qui atheismus iterum diuiditur in *scepticum*, quum sublata omnium rerum certitudine, veritas quoque, deum dari, dubia redditur, quamuis dubitatio hæc nondum sit error; & in *dogmaticum*, quando eiusmodi doctrinarum constituunt complexum, vt ex illarum connexione effectuum rerum naturalium rationes se reddere posse, sine vi quadam & opera diuina sibi persuadeant. quum autem homines tam scelerata & nefaria mente negent, esse numen summum, id fieri potest *vel* directo, vt deum plane tollant, *vel* ita de natura dei, quatenus caussa prima est omnium rerum & omnia vi sua producta conseruat, sentiunt, vt deum es-

1 *select. iur. nat. & gent. p. 209. & thesib. de atheism. & superstit. p. 362.* 2 *bibliograph. antiqu. cap. VIII. § 3.* 3 *praef. obseru. in Tolandi origin. Iudaic.* 4 *instit. diuinar. lib. II. cap. I.*

ſe, nequaquam credere poſſint, quando ipſum vel ex mundo relegant, vel veluti cauſſam cum mundo, tanquam effectu commiſcent. namque ſi vellemus deum nobis fingere, qui plane nihil ex rebus, quas intuemur oculis, quasue concipimus mente, produxerit, multo minus naturæ proſpiciat viribus, prorſus eſſet abſurdum atque ab omni alienum ratione, quoniam deus ideo deus eſt, quod omnium rerum exiſtat prima cauſſa, omnique atque abſoluta perfectione præditus, prout quoque ſit idem, ſiue dicas deum corporeum, ſiue deum eſſe neges. nunc reſtat, vt dicamus, quomodo vitium hoc conſpiciendum aliis ſeſe præbeat.

§. III. Prodit quippe ſeſe atheiſmus modo doctrinis, ſiue ex ore exeant, ſiue ſcriptis proferantur; modo vita, quapropter diuiditur in *theoreticum* & *practicum*, ita vt poſterior ſpecies a priori re ipſa non differat, ſed vnus idemque ſit atheiſmus, & prout aut ex viuendi ratione aut ex dictis ſcriptisque cognoſcatur, mox *theoreticus*, mox *practicus* dicatur. quamuis enim apud atheos intellectus prauitas ſemper cum interna voluntatis corruptione ſit coniuncta; externis tamen actionibus hoc in re diſcrimen inter ſe conſtituunt, ſiquidem alii a doctrinis quidem ſe abſtinent; ſed tali peſtifero errore occupati, in diſſoluta vita & peſſimis moribus omnem laudem ponunt; alii vero ſpeciem honeſtatis atque animi ſalutis publicæ conſeruandæ ſtudioſi præ ſe ferunt; ea autem, quæ dicunt ſcribuntque, venenata ſunt. quæ diuerſitas ex variis cupiditatum generibus earumque indole gignitur, prout quis aut ambi-

ambitione aut voluptate ducitur, & praua sua mente pronus aptusque est ad simulationem ac dissimulationem. illi enim, qui gloriæ studio tenentur, facile simulacra virtutis exercent; disputationes autem, quibus veritatem quod deus sit, infringere conantur, minus negligunt, vt sapientia & acuta iudicii facultate aliis superiores videantur. at contra voluptate dominante, & imagines honestatis omnemque simulandi ac dissimulandi artem iacere, experientia testatur: confer IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [1]

§. IIII. Ita quidem atheismus ex mente in aspectum lucemque profertur; minime tamen ideo omnia sunt expedita, si de atheismo auctoris cuiusdam iudicare, vitiumque hoc in eo notare velimus. differentiam enim esse atheismi auctoris & doctrinæ vitæque, omnino ducimus, quæ & facile potest intelligi atque explanari, si quidem vt quis de tali errore reus fiat, necesse est, vt aut deliberato consilio & proposito atheismum profiteatur; aut eiusmodi quidem doctrinas tradat, quæ aduersus pietatem ac religionem erga deum sunt; monitus autem de illarum vero periculo, nihilominus illas defendat & tueatur. non omnes sane, qui cupiditatum illecebris excitati, omnibus flagitiis se contaminant, aut erroribus, quibus cum atheismo quidquam commune est, ducuntur, pro atheis siue *practicis* siue *theoreticis* sunt habendi, præsertim si quis nunquam admonitus, errores nec explicauerit nec defenderit. ita quamdam doctrinam possumus pronunciare impiam atque cum atheismo

[1] *thesib. de atheism. & superstit. cap. II. §. 6. p. 222.*

coniunctam, quamuis auctor illius sua mente suoque animo re ipsa credat, esse deum. quo nomine hac in caussa nunquam fere satis circumspecte officium nostrum facere possumus, ne viri cuiusdam innocentiam lædamus, eumque sine iure ac merito in ordinem adscribamus atheorum, aut benignius, quam pro veritatis dignitate par est, de eo sentiamus, etiam caussas illius contra iustas adcusationes, nullo rationum præsidio muniti agamus. id quod imprimis necessarium esse ducimus in disceptatione illa de atheismo veterum philosophorum, quibus alii dixerunt diem, eosque vitii huius damnarunt: at contra alii fuerunt ipsorum patroni, nullo posito discrimine inter atheismum *auctoris* & *doctrinæ cuiusdam.* vt igitur veritatis regulis doctrinas Aristotelis metiamur, fundamentum illarum, quarum aliæ spectant intellectum, aliæ vero voluntatem eius, qui hæc veterum momenta diiudicat, clare & breuiter indicare atque illustrare, non erit inconsultum.

§. V. Ut recte sentiamus & iudicemus de atheismo philosophorum, qui antiqua ætate floruerunt, ratione intellectus necesse est, *primum* integrum philosophiæ cuiusdam complexum tenere, quo doctrinæ inter se connectuntur, ac suis principiis conclusiones confirmantur. quapropter quum monimenta multorum philosophorum ad posteritatem minus sint translata; aliorum iudiciis non plane quælibet fides debeat adiungi; etiam vnius auctoris contraria sibi loca dictaque sæpius extent, immo non omni ætate moris fuerit, ad certum ordinem meditationes ac doctrinas dirigere,

rigere, omnino difficile eſt, tales philoſophos pronunciare atheos. cuius rei cauſſa vt exempla quædam ex hiſtoriarum monimentis repetamus, conſtat, quod nonnulli exiſtimauerint, *Zabios* ſiue *Sabæos*, gentes antiquiſſimas talia docuiſſe, quæ ad SPINOZAE errores quodam modo accederent, id quod MOSES MAIMONIDES [1] adfirmare videtur; ſed quis ignorat, incertam fidem illorum auctorum, per quos notitia huius gentis ad nos peruenit, vt pluribus poſt alios obſeruat IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [2] idem quoque ſentiendum eſſe ducimus de *Chaldæis*, quorum doctrinæ nonnullis atheiſmo fauere videntur, quippe qui adfirmauerint, omnes res fluxiſſe ex dei natura, quæ opinio ſaltim ſapiat ingenium Spinozæ; alii vero putant, ſenſiſſe chaldæos bene de ſummo numine, quod a ZOROASTRE dicatur φάος, *lux*, αὐγαὶ *radii*, φέγγος *ſplendor*, πῦρ πατρικὸν, ὕπατον καὶ ζωωγόνων, *ignis paternus*, *ſupremus viuificansque*, inprimis vero *Oromazes*, quæ vox ſit originis chaldaicæ ac ſignificet *ignem ſplendentem*. ſed tamen compertum omnes habent, qui leuiore induſtria in cultura hiſtoriæ philoſophicæ ſunt verſati, vt incerta omnia ſint, quæ de Zoroaſtre chaldæo dicantur, & quam lubrica fides atque auctoritas ſit *oraculorum*, quæ ipſius nomen præ ſe habeant, quamuis non prorſus negauerim, veſtigia quædam orientalis philoſophiæ ibi deprehendi, confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [3] qui accuſationes ſuas aduerſus veteres philoſophos ex antiqua ætate petunt, quod iam illa quidam adcuſati fuerint atheiſmi, cauſſam ſuam leuio-

1 *more neuochim part. I. cap. 29.* 2 *hiſt. eccleſ. V. T. tom. I. p. 417.* 3 *bibl. græc. lib. I. cap. 36.*

ribus ſane argumentis corroborant. tanta enim erat ſuperſtitio fuſa per gentes, atque imprimis græcorum oppreſſerat animos, vt ille, qui veriorem de deo ac ipſius cultu ſenſum doceret, ac tali barbaræ atque anili ſuperſtitioni reſiſteret, in atheorum numerum ſit relatus, quod præcipue Athenis factum eſſe relatum legimus, quæ deorum peregrinorum pariter ac patriorum ſedes erant atque officina, vt pluribus demonſtrat SAMVEL PARKERVS. [1] ita SOCRATI crimen atheiſmi obiecerunt & inter momenta adcuſationis a Melito contra ipſum prolata, hoc quoque fuit: ἀδικεῖ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, *iura violat Socrates, quos ex maiorum inſtituto ſuſcepit ciuitas, deos eſſe negans, alia vero noua dæmonia inducens*, teſte DIOGENE LAERTIO, [2] confer XENOPHONTEM: [3] vbi per ΔΑΙΜΟΝΙΑ non intelligendi ſunt DII, vt PLATONIS, XENOPHONTIS, DIOGENIS LAERTII & aliorum, qui de ſupremis Socratis fatis ſcripſerunt, interpretes ſine cauſſa exiſtimarunt. namque Athenienſes non adeo abhorruerunt à cultu peregrinorum deorum, qua de re notiſſimus eſt verſus Comici:

Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν,

quem reſpicit CICERO [4] & illuſtrat, quando dicit: *nouos vero deos ſic Ariſtophanes faceti ſſimus poeta veteris comœdiæ vexat, ut apud eum Sabazius & quidam alii dii peregrini, iudicati e ciuitate eiiciantur*; adhæc legimus

1 *de deo & prouidentia diuina diſp. I. ſect. 2. 3. 4.* 2 *lib. II ſegm. 40.* 3 *memorab. Socratis lib. I. cap. I.* 4 *de legib. lib. II.*

apud

apud PLATONEM, [1] Melitum ideo imprimis Socratem vocasse in iudicium, quod negauerit deos. quam ob rem in ea versamur opinione, ΔΑΙΜΟΝΙΑ significare ea, *quæ ad deos pertinent*, & ΕΤΕΡΑ ΔΑΙΜΟΝΙΑ καὶ ΚΑΙΝΑ introducere, esse idem ac noua ratione de rebus diuinis differere, nouam de rebus diuinis doctrinam proponere atque propagare. en igitur Socratem atheum! quoniam rectius de deo, quam plebeii ac multi philosophorum, sensit, ac contra aniles de diis fabulas disputauit, in atheorum ordinem adscriptus est. etenim teste XENOPHONTE plerique philosophorum putarunt, deos quædam scire, quædam vero ignorare; at Socrates existimauit, πάντα θεοὺς εἰδέναι. τά τε λεγόμενα, καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα. *deos omnia scire, vel quæ dicerentur vel agerentur, vel tacite deliberarentur*: item deos πανταχοῦ παρεῖναι καὶ σημαίνειν, τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν ἀνθρωπείων πάντων, *vbique adesse ac de rebus humanis omnia mortalibus significare*: conferatur AEGIDIVS MENAGIVS. [2]

§. VII. Quamuis placita veterum philosophorum ab aliis sint conlecta & ad posteritatis memoriam propagata; obseruamus tamen, illos sententias tantum speciales ac conclusiones, nec cum principiis coniunctas notasse; etiam magnam inter eos dari discrepantiam, adeo vt quidam ex vno auctore atheismi adcusetur; & altero iterum defendatur. sic multa legimus de opinionibus philosophorum sectæ Ionicæ apud ARISTOTELEM, PLVTARCHVM, STOBAEVM, CICERONEM, DIO-

1 *apol. tom. I. p. 26.* 2 *ad Diog. Laert. lib. II. segment. 40 p. 92. tom. I.*

GENEM

GENEM LAERTIVM, ex quibus alii hosce philosophiæ magistros de pietate ac vero de deo sensu suspectos reddiderunt; alii vero pro diuersa interpretandi ratione caussas eorum egerunt, id quod inprimis in exemplo THALETIS *Milesii* conspicuum est. namque nonnulli ipsum adnumerant atheis, duobus præcipue argumentis muniti, partim quod teste PLVTARCHO [1] τὸν Νοῦν τοῦ κόσμου deum statuerit, partim aquam dixerit esse initium rerum, cui deum ita adiunxerit, vt ipse vacans corpore minime possit constare, adeoque hæc THALETIS aqua prædita fuerit mente ac vita, cuius rei testimonium exhibeat ARISTOTELES,[2] item DIOGENES LAERTIVS [3] ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεστήσατο, καὶ τὸν κόσμον ἔμψυχον καὶ δαιμόνων πλήρη, *principium omnium aquam esse, & animatum mundum ac dæmonibus plenum*, quæ omnino præ se habeant similitudinem cum doctrina Spinozæ, confer AVCTOREM obseruat. Hallens. [4] at contra non desunt, qui THALETEM diligenter tuentur ac defendunt, hancque iniuriam ab ipso propulsant, siquidem veteres philosophicarum litterarum doctores per *mundi animam* nihil aliud intellexerint, quam quod deus omnibus rebus præsens adsit, suaque vi ipsis tribuat vitam eamque conseruet, quem deum THALES quoque a materia, siue aqua seiunxerit, auctore CICERONE: [5] *Thales Milesius, qui primus de talibus rebus quæsiuit, aquam dixit esse initium rerum; deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret*; quæ verba perspicue

1 *de plac. philosoph. lib. I. cap. 7* 2 *de anima lib. I. cap. 5.* 3 *lib. I segm. 27.* 4 *tom. II, obs. 21. §. 8.* 5 *de N. D. lib. I. cap. 10.*

pro-

prodant, num Thales deum siue mentem ab aqua adcurate distinxerit. licet sane Ionici, qui Thaletem sunt secuti, in explanandis rerum naturalium caussis dei, veluti caussæ efficientis nullam fecerint mentionem, inde tamen minime colligi potest, quod & nullum summum numen agnouerint, siquidem pro sua doctrinæ ratione inter rerum naturalium caussas materiam tantum considerauerint, vt bene obseruant SAMVEL PARKERVS [1] RVD. CVDWORTHVS [2] IO. FRANCISCVS BVDDEVS [3] IO. CHR. WOLFIVS. [4]

§. VII. Hactenus de primo momento, quod ad cognitionem atheismi philosophorum necesse sit integrum philosophiæ illorum complexum tenere: atqui fateri debemus, primum hocce medium huiusmodi censuræ, quæ iusta & æqua esse debet, minus sufficere, nisi *secundum* omnes doctrinæ, quibus inest conclusio, ad normam ac vim principiorum, vnde deductæ sint, adcuratius examinentur. quod quum multi neglexerint, atque oculos mentis ad conclusiones tantum conuerterint, quid mirum, quod pro studio aut amoris, aut odii, quo quisque captus fuit immodico, tam multi sine caussa modo in christianorum, modo atheorum ordinem sint adscripti? princeps sane lex est, quam bonus interpres obseruare debet, vt in excusando, defendendo aut explicando scriptore quodam ad ipsius scopum & primum fontem, ex quo omnes doctrinæ sunt deriuatæ, aduertat animum, quod si meliori fide fuisset obseruatum, sane tot dissertationi-

1 *de deo & prouid. disp. I. sect. 5 p 9.* 2 *system. intellect. lib. I. cap. 1 & 3.* 3 *thesib. de atheism. & superst. cap. I. p. 22.* 4 *de atheismi falso suspectis §. 9.*

bus

bus de theologia HOMERI, HESIODI, SOCRATIS, SENECAE, LVCIANI & aliorum orbis litterarum non abundaret, nec atheorum ex antiqua ætate numerus tam esset nimius. possunt quidem esse sententiæ ac conclusiones, quæ modo speciem christianæ doctrinæ præ se ferunt, modo vim ad atheorum errores habent; sed ex his non debemus colligere, quod ipse auctor atheus aut christianus sit. *tertium* necessarium esse hoc in negotio putamus, vt placita veterum philosophorum nobis quoque sint perspecta, quorum sententia si adhuc dubia adparet, locus quidem est coniecturis, minime vero grauioribus argumentis. sic atheismus obiectus est PYTHAGORAE, quod quemadmodum omnes numeri ex multiplicatis constent monadibus, adeoque nihil sint nisi monades, quæ quum componantur, varias accipiant adpellationes; ita etiam Pythagoras res quasuis, quas conspiciamus, varios dei caracteres formasque varias nominauerit, quod omnino ad doctrinam Spinozæ accedat. at vero quamuis ex PLVTARCHO [1] iam pateat clarissime, quod naturam diuiserit in duo principia, quorum alterum sit deus, vim agendi in se habens; alterum vero materia omni motus facultate destituta, quæue sit mundus, quem oculis nostris conspiciamus, confer SAMVELEM PARKERVM; [2] omnino tamen admiratio nos occupat, quod si quis orbi erudito nouum aliquid proponere ac receptæ cuidam sententiæ aduersari velit, coniecturis tantum sese muniat. etenim doctrina Pythagoræ de numeris adeo obscura est atque ambigua, vt quamuis explanationes multorum interpre-

[1] *lib. I. cap. 5. de placit. philos.* [2] *c. l. disput. I. sect. 10.*

tum

tum ſint adhibitæ; ſententiam philoſophi huius haud guſtare, multo minus ipſius impiam opinionem de deo ex illa probare poſſimus. quibus de cauſſis TH. BVRNETIVS [1] bene dicit: *quis ſapientior vnquam euaſit ex numeris Pythagoricis? aut veritatem ſibi antea ignotam exinde didicit? certe quas mihi contigit hactenus aut apud veteres aut recentiores numerorum Pythagoricorum interpretationes inſpicere, notitias vulgares exhibent, quales aliunde facile eſſet addiſcere: aut tenues argutias de rerum principiis abſque fundamento & ſine fructu.* huc quoque pertinet exemplum ANAXIMANDRI, qui ideo relatus eſt in atheorum numerum, quod initium omnium rerum τὸ ἄπειρον ſeu *infinitum* eſſe dixerit, ac per illud nihil aliud, quam materiam, ſublato deo ſignificauerit. equidem nobis neutiquam in animo eſt, philoſophum hunc ab omni errorum culpa liberare ipſumque tueri diligenter; plane tamen nobis perſuademus, quod opinio hæc de *infinito* huiusmodi accuſationi minus ſufficiat, quoniam nondum explicatum ſatis atque euolutum eſt, quid philoſophus hic per τὸ ἄπειρον, intellexerit. namque ipſe nondum explanauit, quid ſit τὸ ἄπειρον, de quo conqueritur DIOGENES LAERTIVS [2] οὐ διορίζων ἀέρα, ἢ ὕδωρ, ἢ ἄλλό τι, *non tamen definiens aëra, aut aquam, aut aliud quidpiam*: & idem dicit SIMPLICIVS [3] λέγει δὲ αὐτὴν μήτε ὕδωρ, μήτε ἄλλο τῶν καλουμένων εἶναι στοιχείων, ἀλλ᾽ ἑτέραν τινὰ φύσιν ἄπειρον, ἐξ ἧς ἅπαντας γίνεσθαι τοὺς οὐράνους, & PLVTARCHVS [4] ἁμαρτάνει δὲ οὗτος μὴ λέγων τί ἐστι τὸ ἄπειρον, πότερ᾽ ἀήρ ἐστιν, ἢ ὕδωρ,

1 *archæolog. philoſ. lib. I. cap. II. p. 154.* 2 *lib. II. ſegm. 1.*
3 *in lib. phyſic. cap. 6.* 4 *de placit. phil. lib. I. cap. 3.*

ἢ γῆ

ἢ γῆ, ἢ ἄλλα τινὰ σώματα, prout quoque CICERO [1] principium hoc vocat tantum *infinitatem naturæ*, quando ſcribit: *at hoc Anaximandro populari & ſodali ſuo non perſuaſit. is enim infinitatem naturæ dixit eſſe, a qua omnia gignerentur.* hinc non eſt, quod miremur, interpretes ſententiis diſcrepare maxime. GALENVS exiſtimat, intelligi æthera; THEMISTIVS apud GASSENDVM [2] naturam mediam inter aërem & ignem; & CLEMENS *Alexandrinus* [3] id non de materia, ſed mente diuina interpretatur, & DICKINSONVS [4] pro ſingulari receptæ ſententiæ ſtudio heic veſtigia quærit atomorum.

§. VIII. *Tandem* prout cognitio vitæ ac morum auctoris cuiusdam magnam habet vim in interpretatione ipſius doctrinarum; ita & heic, ſi de atheiſmo alterius velimus iudicare, ad illius viuendi genus animum conuertere, non ab re erit. etenim cogitationes ac propenſiones animi in lucem ſeſe proferunt per ſermones actionesque humanas, ex quibus debemus colligere, qua quisque ſit indole mentis quaue valeat voluntate. equidem haud negare poſſumus, quod ſi res nobis ſit cum philoſophis ex æuo antiquo, difficulter medium hocce ſit adhibendum, quoniam non ſolum ea, quæ de ipſorum vita moribusque conſignata ſint litteris, minus pleniori cognitioni ſufficiant; ſed & lubrica interdum confirmata ſunt fide atque auctoritate. adhæc plerique apti erant ad ſimulacra virtutum exercenda, & quo maiori ambitionis ſtudio quis trahebatur, eo vehementiori opera honeſtatis ſpeciem præ ſe

1. *acad. quæſt. lib. IV. cap. 37.* 2 *opp. tom I. p. 236.*
3 *protrept. p. 43.* 4 *phyſic. veter. & ver. cap. IV. §. 10 p. 46.*

fere-

ferebat, vt alii de isto sentirent magnifice, ac meritorum laus per terrarum orbem propagari posset, id quod pluribus demonstrat L' ESPRIT. [1] quod si autem doctrinæ cuiusdam non omni impietatis suspicione carent, etiam vita ipsius ad iustitiæ honestatisque præcepta minus composita, maior omnino coniectura maiorque atheismi suspicio gignitur, id quod exemplo DIOGENIS *Sinopensis*, qui inter Cynicos eminet, illustrare possumus. namque ille prouidam dei curam negauit, vt de eo memoriæ prodidit CICERO [2] *improborum igitur prosperitates secundæque res redarguunt, vt Diogenes dicebat, vim omnem deorum ac potestatem*; etiam nullas decori regulas obseruauit planeque ab omni honestatis cultu fuit alienus, vt DIOGENES LAERTIVS testatur, quæ omnia significant aperte, philosophum hunc exiguum dei sensum habuisse in animo.

§. VIIII. Ita intellectum nostrum ornare atque ad diiudicandos atheos præparare debemus. at vero hoc in negotio summa quoque ratio voluntatis habenda est, ne corruptorum adfectuum impetu a veritate aberremus, ac in tali censura mentem vinculis libidinum captam, veluti normam, quæ ratio esse debet, adhibeamus. quamobrem nos decet, vt sine amore & sine cupiditate, rursusque sine odio & sine inuidia iudicemus, adeoque veritatis incremento, non prauarum propensionum commodis prospiciamus. sed quam multitudinem atheorum nimia adfectuum studia produxerunt! sic olim statores & doctores ecclesiæ Romanæ hac

1 *de la fausseté des vertus humaines.* 2 *de N. D. lib. III. cap. 27.*

vtebantur calliditate, vt omnes atheismi, hæreseos & magiæ suspectos redderent, qui fabulis & anilis superstitionis generibus resistebant, verioremque sensum de deo deque via ad æternam felicitatem perueniendi tenebant. nec nostra ætate a tali pessimo instituto homines sese abstinuerunt, qui potius prolixe libenterque omnes illos pronunciant atheos, qui a vulgari doctrina recedunt & alias sacri codicis interpretationes sequuntur interdum, id quod non solum moris est apud illos, qui pontifici romano sunt addicti, sed & nostræ religionis ac nostrorum sacrorum socios. qua de re iure ac merito conqueritur DANIEL. GEORG. MORHOFIVS[1] quando dicit: *facile alioquin est, apud homines imperitos & indoctos in atheismi suspicionem vel ex leuissima caussa incurrere*; & paullo post: *nunc sane quotidie hanc multis inuri notam videmus ab illis, qui innoxiis sententiis, vbi licitum esse potest diuortium, atheos statim & naturalistas crepant: qua calumnia vt nulla est atrocior, ita christianam caritatem in his, qui temere illam admittunt, plane extinguit.* quumque nihil tam detestabile, tam pestiferum, tam inuidiosum sit, quam atheus homo, de industria sane ampliorem vocis huius significationem receperunt, quo numerum atheorum augere in dies, & pluribus pessimas vitii huius maculas inurere possint. quam significationem præter alios sequutus est GISBERTVS VOETIVS,[2] ideo quoque dignam censuram expertus AVCTORIS *apologiæ pro Iulio Cæsare Vanino*,[3] qui quum definitionem atheismi a VOETIO tra-

1 *polyhist. litter. lib. I. cap. 8. §. 12. 14.* 2 *disp. de atheism. tom. I. disput. selectar. pag. 116.* 3 *p. 23.*

ditam

ditam commemorasset, addit: *omnes species* (atheismi) *quas subiungit, recensere supersedeo, ex laxiore significatione numerum atheorum, quem sæpius mirari soleo, subortum indicans. non solum enim ethnici, Iudæi, Mahumedani, sed & omnes omnino errore satæ hæreses hoc nomine compellandæ essent, quarum asseclæ tamen deum, licet minus recta fide & verum deum, colunt, intentatur crimen ethnicis, & hi eorumque princeps Iulianus, ille apostata philosophus primis intentarunt christianis. qui Christi saluatoris dulcissimum nomen colunt, romanos de atheismo postulant; at hi reliquos non minore numero. illis ipsis hæreticæ prauitatis magistris hæreticus est atheus & atheus est hæreticus:* & paucis interiectis: *neque vero nomen in religionis solum negotio regnat, sed & in rebus ciuilibus locum habet non postremum. ab Hispaniarum partium theologis Galli, Veneti omnesque alii, qui consiliis & conatibus eorum minus fauent, athei salutantur, & hi eodem nomine Hispanos insigniunt. Gallo-Franci, qui nutibus romanæ curiæ se non mancipant, athei vocantur & libertini; imo illi quidquid obstat, hoc crimine quasi falce chalybea dissecant.* in tanta vsus vocis huius libidine quid mirum, quod MARINVS MERSENNVS [1] commemoret, Parisiis anno CIↃ IↃC XXII. L. millia atheorum fuisse, & in vnica sæpe domo repertos duodecim, qui non deprauata vitæ ratione, sed pestiferis sermonibus & scriptis impugnauerint deum. at vero qui ab vsitata vocis huius significandi vi recedunt, non solum distincta inter se perturbant, sed & sæpenumero

1 *commentar. in Genesin.*

aliorum innocentiam atque integritatem deducunt in discrimen, vti obseruat IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [1] quapropter vtilissimum esset opus, si quis huiusmodi virorum, qui sine caussa atheismi nomine adcusati sunt & damnati, susciperet defensionem, exemplo GABRIELIS NAVDAEI, qui *apologiam virorum magiæ suspectorum* edidit singulari fructu atque vtilitate.

§. X. Sunt quoque, qui amore & cupiditate adducti, vt priores odio, heic suo desunt officio, ac veritatem capere detrimentum patiuntur, quorum varia habemus genera. alii, vt multorum fauorem atque amicitiam sibi concilient, specie modestiæ omnia, quæ nullam habent excusationem, excusant atque in bonam interpretantur partem, cuiusmodi studia, si ex vero amore erga alios gignantur, nec veritati, cuius incrementum promouere atque dignitatem conseruare debemus, damnum adferunt, consentanea sunt partibus religionis christianæ; sed quis ignorat, plerosque voluptate hominibus placendi esse occupatos? alii quasuis doctrinas, quodcunque sit illarum pretium, admittendas esse ac fouendas putant, id quod munus sit & fructus libertatis cogitandi, qua fruantur homines, quamuis hancce nobilissimam libertatem in licentiam & petulantiam permutent, ac limites, quos deus facultati nostræ cogitandi constituit, transgrediantur. neque enim perinde est, quid cogites, aut qua ratione vi cogitandi vtaris; sed ea cogitare decet, quæ veritati sunt consentanea nostramque felicitatem promo-

1 *thesib. de atheism. & superstit. cap. II. §. 1 p. 209.*

uent;

uent: idque eo modo atque ordine fieri debet, quem ipſe deus in conſtituenda intellectus noſtri indole præſcripſit. tertium genus eſt illorum, qui doctrinas, quæ de impietate atque errore ſunt ſuſpectæ, non ſolum excuſant & tolerant, ſed & defendunt, tuentur, immo cum ſcripturis diuinis conciliant, de qua re ſuperioribus diſſeruimus copioſe.

§. XI. Hæc igitur generatim dicere non ab re eſſe duximus, vt explicate ac diſtincte ſententias Ariſtotelis de deo ac rebus diuinis perluſtrare, & quid impii illis inſit, quaue pietate ipſe philoſophus hic ſuam excoluerit mentem, explanare poſſimus. ſcilicet nobis eſt in animo, philoſophi huius cum doctrinas examinare ac demonſtrare, iſtas cum atheiſmo maxime eſſe coniunctas; tum omnem peractam vitam, etiam quæ tradidit morum præcepta intueri ac probabili ratione oſtendere, Ariſtotelem mente atque animo de deo ſenſum exuiſſe. ita ſane ſentimus atque ita animum inducimus, hunc philoſophiæ magiſtrum ætate antiqua principem fere fuiſſe atheorum, ita vt neque PLATO, neque STOICI neque EPICVRVS tam praue ſenſerint de deo ac, quam ipſi debemus, religionis cultu. quapropter vt bona fide officium noſtrum faciamus, primum ipſa doctrinarum principia proponere, ad iſta inde deductas concluſiones examinare omniaque ex Ariſtotelis animo, qua poſſumus probabilitate, interpretari, ſumma nitamur ope; quo facto, quid illis cum atheorum erroribus commune ſit, demonſtremus. quæ quum ſint explanata, conuertamus nos ad ipſum Ariſtotelem eius-

que mentem, quæ quam aliena fuerit ab omni veræ pietatis studio, demonstraturi.

CAPITIS III.
DE
ATHEISMO ARISTOTELIS THEORETICO.

SECTIO I.
DE
ARISTOTELIS SENTENTIIS AD NATVRAM DEI SPECTANTIBVS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *loca afferuntur, ex quibus verum Aristotelis de deo sensum probare, multi contendunt* §. II. *physicæ Aristotelicæ principia commemorantur & examinantur* §. III. IIII. V. *quod ista cum atheismo sint coniuncta, probatur.* §. VI. *speciatim Aristotelis sententia de mundi origine* §. VII. *de dei nexu cum materia* §. VIII. *quod deus cœlo supremo tantum præsideat* §. VIIII. *ex hisce dictis fit conclusio de atheismo huius doctrinæ* §. X. *loca quædam de atheismo Aristotelis reiiciuntur* §. XI. *respondetur ad superiora loca de vero Aristotelis sensu de deo* §. XII. XIII.

§. I. Disputaturi de atheismo Aristotelis theoretico, id inprimis monendum esse iterum censemus, nos intelligere atheismum, vti dicitur indirectum, ac nobis esse propositum, demonstrare, ex philosophi huius doctrinis de natura & operibus dei facile effici posse con-

conclusionem, nullum esse deum. etenim directo veritatem hanc nunquam negauit. quin etiam multa de deo disseruit, quamuis ista diuinæ naturæ minus sint consentanea, id est Aristoteles quidem deum existere scriptis suis est professus, sed tale numen tradidit, in quo neque diuinam vim neque sensum dei quisquam suspicari potest.

§. II. Illi, qui auctoritate philosophi huius capti sunt, omnino præclare ipsum de deo sensisse putant, hancque in rem ex monimentis eius multa colligunt loca, quæ veritatis huius præstantissimæ pietatisque erga summum numen essent plenissima. nec negari potest, esse Aristotelis effata, quæ pulcritudinem ac speciem veri præ se habent, proximeque ad dei naturam accedere videntur. sic arbitratus est, quamuis deus sit sua natura ἀθεώρητος, istum tamen vi rationis humanæ, quæ res naturales contempletur, posse cognosci: [1] quemue natura notum deum dixit, illum quoque unum esse, nec multitudinem deorum dari, adfirmauit, de quo testatur LACTANTIVS, [2] quando scribit: *Aristoteles quamuis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi & dicat & sentiat; in summum tamen vnam mentem mundo praeesse testatur*, & MINVCIVS FELIX [3] *Aristoteles variat & adsignat tamen vnam potestatem. nam interim mentem, mundum interim deum dicit, interim mundo deum praeficit*; prout ipse [4] primum motorem vnum vocat & perpetuum, hincquoque eum multitudo nominum minus perturbauit, quam expositurus

1 *de mundo cap. 6. tom. I. opp. p. 471.* 2 *institut. diuinar. lib. I. cap. 5.* 3 *Octau. cap. XVIIII. §. 10.* 4 *metaphysic. lib. XI. cap. I. tom. II. opp. p. 727.*

principio capitis [1] ita differit: εἷς ὢν, πολυώνυμός ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ, *vnus porro deus quum sit, pluribus nominibus adpellatus est: ab iis vtique suis omnibus affectibus denominatus, quorum specimen edere ipse solet.* ita vere adfirmatur, ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, vtilitate, pulcritudine, deum esse, cognosci, nec posse fieri, quin id, quod tam mirabili constat ratione, consilio & opera dei sit instructum. quumque deus sit, ex omni vtique parte perfectæ consummatæque virtutis, non potest esse nisi vnus, nosque etiam oportet idipsum intelligere ac dicere, quod sit nullis circumscriptus limitibus, quod sit æternus & omnipotens, quodue sit spiritus isque perfectissimus, cuius intellectus omnia cognoscit, voluntas autem plane a lege soluta & libera atque omni virtute, quamuis ne a mente quidem humana excogitari & concipi possit, prædita. quod si ita est, sicuti est, quum notionem dei sentiamus mente, nos quoque debere percipere, illum esse instructum absoluta ac consummata perfectione; facile quis sibi persuadere posset, quod Aristoteles etiam pro facultate, in qua grauiter valuit, iudicandi proprietates dei, prout decet & diuinæ naturæ consentaneum est, cognouerit. idque ipsum est, quod religiosi ipsius sectatores magna opera ac labore tuentur, quibus doctrina eius de deo adeo magnifica adparet, vt in ista nihil possit desiderari. etenim dicunt, Aristotelem adfirmasse, deum esse ἄπειρον, *infinitum* [2] ἀμερὲς καὶ μηδὲν ἔχειν μέγεθος, *quoddam partibus*

[1] *de mundo cap. 7. tom. I. opp. p. 475.* [2] *metaph. lib. XII. cap. 7. tom. II. opp. p. 742.*

vacans

vacans & nulla præditum magnitudine, [1] indeque non obſcure conflaſſe concluſionem, deum neque oculis, neque aliis ſenſibus poſſe percipi, adeoque eſſe ἀόρατον & πάσῃ θνητῇ φύσει ἀθεώρητον, *omni mortali naturæ inuiſibilem*, [2] & ab ipſo omnem corruptionem atque interitum eſſe procul, hocque nomine eum adpellaſſe ἄφθαρτον, *corruptionis expertem*, [3] ζῶον ἀθάνατον, *viuum immortale*, [4] item ζωὴν ἀθάνατον, *vitam immortalem*. [5] quod ſi reſpiciamus intellectum diuinum, de iſto quoque Ariſtotelem ſenſiſſe præclara atque egregia, aſſerunt, ſiquidem exiſtimauerit, deo ſoli vindicandam eſſe laudem ſapientiæ; [6] ratione voluntatis autem cognouerit, ipſum eſſe ἄριστον *optimum*, [7] nec non ἀρίστην οὐσίαν, *optimam ſubſtantiam*, [8] quia γενέτωρ καὶ σωτὴρ, αἴτιος τῆς σωτηρίας δι' ὃν ζῶμεν, *parens & ſeruator ſit, cauſſa ſalutis noſtræ & per quem viuamus*; hinc & ipſe alibi [9] vocetur ἑταιρεῖος τε καὶ φίλιος, καὶ ξένιος, καθάρσιός τε, καὶ ἱκέσιος καὶ μειλίχιος, *ſodalitius & amicitiæ præſes, hoſpitalis, expiator, ſupplex & placabilis*; quemue nullus liuor, nulla inuidia, nullus teneat dolor; [10] & quamuis maxime ſit benignus, omnisq; , qua fruantur mortales, felicitas ab ipſius prolixa ac beneuola proficiſcatur voluntate; iuſtitiam tamen ſemper obſeruet, qua ſuum cuique diſtribuat τοῖς ἀξίοις καὶ τ' ἄγαθα καὶ τὰ κακὰ bo-

1 *lib. VIII. cap. 10. auſcult. phyſic. tom I. opp. p. 335.* 2 *de mundo cap. 6. tom. I. opp. p. 473.* 3 *de cælo lib. II. t. 36.* 4 *lib. V. cap. I. topic. tom. I. opp p. 180.* 5 *de mund. cap. 6. tom I. opp p. 473.* 6 *lib. I. cap. 2. metaph. tom. II. p. 643.* 7 *lib. XII cap. 7 metaph. tom. II opp. p. 742.* 8 *ibid. cap. 9. tom II. opp p. 744.* 9 *de mund. cap 7. tom I. opp. p. 475.* 10 *metaph. lib. I. cap. 2. tom. II. opp. p. 644.*

na malaque pro meritis; [1] & quod ad potentiam dei adtinet, omnium sit potentissimus, [2] tandem quum notio dei etiam hoc significet, quod omnia condiderit, adeoque sit caussa prima omnium rerum, hæc quoque cognitio celebratur in Aristotele, quippe qui professus sit, mundum effectum esse a deo. [3]

§. VII. Quis igitur dubitaret, Aristotelem præclaram dei notitiam habuisse? quisque sane ex illis, qui illum pio prosequuntur cultu, effatis philosophi huius a nobis collectis magnum statuit pretium, eiusque pietatem sanumque de deo sensum probare subinde contendit. Sed tamen veritatis studium nos ab eorum sententiis plane dimouet; vtque pateat clarissime, non mediocribus argumentis nos adductos a tam magnifica de Aristotele opinione discedere, primum fundamenta doctrinæ Aristotelicæ, quæ res naturales explanat, attingamus, & quam lubrica ista sint, demonstremus. atqui philosophi, qui Aristotelem antecedebant ætate, posuerunt principia composita rerum naturalium, & quidem THALES dixit, constare omnia ex aqua, ANAXIMENES vero ex aëre, quoniam longe sit subtilior aqua; HERACLITUS ex igne & XENOPHANES atque post hunc PARMENIDES ex terra, qui adeo naturæ progressum ex solido in fluidum, secus atque adhuc factum fuerat, defendebant, ac de mechanicis & solidis principiis cogitabant. quæ quum consideraret post-

1 *magn. moral. lib. II. cap. 8. tom. II. opp. p. 137.* 2 *de mundo cap. 6. tom. I. opp. p. 473.* 3 *de mundo cap. 6. tom. I. opp. p. 472. metaphysic. lib. I. cap. 2. tom. II. opp. p. 644. lib. XII. c. 8. tom II. opp. p. 743. de generat. & corrupt. lib. II. cap. 10. tom. I. opp. pag. 407.*

hac

hac EMPEDOCLES, atque ipſi & aqua Thaletis, & aër Anaximenis, & ignis Heracliti, & mechanicorum terra placerent, quatuor hæc coniunxit & primus totidem poſuit elementa, ex quibus omnia naturæ gignerentur, confer PLVTARCHVM, [1] ARISTOTELEM, [2] CICERONEM. [3] hæcce rerum naturalium elementa iudicabat philoſophus noſter, nimis eſſe compoſita, quapropter de principiis ſimplicioribus erat ſollicitus, prout inter primos fuiſſe videtur, qui inter ϛοιχεῖα & ἀρχὰς, *elementa* & *principia* diſcrimen conſtituerunt, cuius rationem clare expoſuit PLVTARCHVS. [4] quibus de cauſſis retinebat quatuor illa elementa & tria adhuc principia *materiam*, *formam* & *priuationem* illis adiungebat, [5] quo phyſicam eo modo, quem metaphyſici obſeruant, tradidit, nec ſine documento ſingularis cuiusdam calliditatis, quamuis magno cum detrimento ipſius diſciplinæ. etenim philoſophi, qui Ariſtotele ſuperiores erant ætate, maxime mechanici & phyſici perturbauerant ſuperſtitionem inſigniter, eoque nomine non mediocre contraxerant ſibi odium, quod vt Ariſtoteles declinaret, etiam eruditorum diſputationibus in vtramque partem ſatisfacere poſſet, abuſus eſt metaphyſicis abſtractionibus, quarum ea eſt indoles, vt cum omnibus ſententiis, ſiue ſint veræ, ſiue minus, conciliari, etiam cum ſuperſtitione in gratiam redigi poſſint. ſic Ariſtoteles comparauit ſibi omnium fauorem, atque effecit, vt perpauci ipſi eſſent

1 *de placitis philoſ lib. I. cap.* 3. 2 *metaphyſic. lib. I. cap.* 3. 4.
3 *quæſt. acad. lib. IV. cap.* 37. 4 *de placit. philoſoph. lib. I. c.* 2.
5 *phyſic. lib. I. cap.* 6.

adver-

aduerſarii, tum quod principia illius, nimis generalia varias admittebant interpretationes, tum quod plerique ſubtile eius ingenium in abſtrahendo metuebant. quapropter haud mirum eſt, Ariſtotelem exiſtimaſſe, quod ἐκ τῶν καθόλȣ ἐπὶ τὰ καθ᾽ ἕκαςα δεῖ προϊέναι, id eſt, *ab vniuerſalibus progrediendum ad ſingularia ſit*, [1] id quod ordini, quem natura intellectui noſtro in cognoſcenda veritate præſcripſit, maxime eſt contrarium.

§. IIII. Quod igitur ad naturam *materiæ* adtinet, dicit Ariſtoteles: [2] ἡ δὲ ὕλη ᾗ ὕλη παθητικόν *materia, quatenus materia, eſt paſſiuum quiddam*, & alio loco: [3] τῆς μὲν γὰρ ὕλης τὸ πάσχειν ἐςὶ καὶ τὸ κινεῖσθαι· τὸ δὲ κινεῖν, καὶ τὸ ποιεῖν ἑτέρας δυνάμεως, *pati namque & moueri materiæ eſt: agere vero & mouere alterius potentiæ*, ex quibus patet, quod philoſophus noſter exiſtimauerit, materiam in ſe ſpectatam omni agendi vi eſſe deſtitutam, quapropter neceſſe erat, aliud quoddam motus principium adiungere, id quod num intellexerit per *formam*, nec ne? non eſt expeditum. namque in quo natura atque indoles ȣσίας ſiue *formæ* ſit poſita, Ariſtoteles id ineuolutum implicatumque reliquit, id quod interpretes ipſius in varias diſtraxit partes. nam doctores philoſoph. Ariſtotelicæ latini adfirmabant, formam eſſe ſubſtantiam; interpretes autem græci, eſſe accidens materiæ, quo factum, vt formam a materia plane veluti peculiarem ſubſtantiam diſtinguerent ac materiæ proprium eſſe pati; formæ autem agere, adſererent, prout quoq; in varias easq; inu-

1 *phyſic. auſcultat lib. I. cap. 1.* 2 *de generat. & corrupt. lib. I. cap. 7.* 3 *ibid. lib. II. cap. 7.*

tiles

tiles diſceptationes ac controuerſias de origine formarum ſunt deducti, confer. JO. BAPTISTAM du HAMELIVM, [1] DANIELEM GEORG. MORHOFIVM [2] & ROBERTVM BOYLE. [3] at vero Ariſtoteles per formam intelligat ſiue ſubſtantiam, ſiue accidens, neutrum erroris vitio caret. quod ſi enim dicas, formam eſſe accidens, effectus eſt ſubſtantiæ, non cauſſa, quoniam omne accidens eſt effectus ſubſtantiæ; ſi vero eſt effectus, non cauſſa, ſequitur quoque, vt non ſit principium quoddam rerum naturalium, ſiquidem principium & cauſſa hac in re eiusdem ſunt ſignificationis. nec forma eſſe poteſt ſubſtantia. nam hac ſignificatione, quidquid agit, eſt forma, iam vero agit & deus & ſpiritus & corpus, quæ tria maxime ſunt diuerſæ ſubſtantiæ, quibusue omnibus notio formæ eſt adtribuenda, vt adeo exinde pateat, quod forma Ariſtotelis ſit abſtractum quoddam metaphyſicum, vide ANDREAM RVDIGERVM. [4] tandem *priuatio* nullum locum habere poteſt in principiis rerum naturalium, ſiquidem ipſe Ariſtoteles [5] fatetur, *mirabile & ἀδύνατον videri, ex nihilo aliquid fieri.*

§. V. Non ab re erit, doctrinam Ariſtotelis de *motu* quoque adtingere. antequam oſtendamus, quomodo principia phyſicæ Ariſtotelicæ coniuncta ſint cum atheiſmo. motum autem ita definit: *φαμὲν, δὴ τὴν κίνησιν εἶναι ἐντελέχειαν τοῦ κινητοῦ ᾗ κινητόν, dicimus ergo, motum eſſe actum mobilis, quatenus eſt mobile,* [6] quæ de-

1 *de conſenſu vet. & nov. philoſoph. lib. II. cap. 1. 2.* 2 *Polyh. tom. II. lib. II. part. II. c 1. §. 7. ſeqq.* 3 *de origine formarum & qualitatum.* 4 *phyſic. diuin. lib. 1. cap. 3. ſect. I. §. 3.* 5 *phyſic. lib. I. cap. 8.* 6 *phyſic. lib. VIII. cap. 1.*

finitio

finitio ingenio atque amplissima fama Aristotelis plane est indigna. namque si istam accuratius consideramus, illa æque absurda est, ac si dicerem: motum esse motum, prout Aristoteles nec caussæ nec modi motus fecit mentionem, quo & factum est, ut modo sex, modo quatuor, modo tria posuerit motus genera, modo hæc, modo illa. in categoriis enim sex nominat, γένεσιν, φθοράν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν, καὶ τὴν κατὰ τόπον μεταβολήν, id est, *generationem, corruptionem, augmentum, decrementum, alterationem, & loci mutationem*; alibi autem [1] φοράν, ἀλλοίωσιν, φθίσιν καὶ αὔξησιν, *lationem, mutationem, corruptionem & augmentationem*; sic & alio loco [2] trium tantum facit mentionem φορᾶς, αὐξήσεως καὶ φθίσεως, *lationis, augmentationis & corruptionis*; quam distinctionem ita quoque effert, ut dicat [3] aliam esse τήν τε τοῦ ποσοῦ. καὶ τὴν τοῦ ποιοῦ, καὶ τὴν κατὰ τόπον, *quantitatis, aliam qualitatis, aliam loci* motionem, quas diuersas motus species maxime turbatim proposuit, præcipue quod motum loci reliquis motus speciebus sine caussa opposuerit, quoniam sine mutatione loci vel spatii nullus motus fieri nec concipi potest, vt de eo taceamus, quod motum vitæ, & vt dicitur, elasticum reliquerit intactum, confer ANDREAM RUDIGERUM. [4]

§. VI. Vt autem ostendamus, hæc Aristotelis principia doctrinæ physicæ facile quendam ad atheismi vitium posse deducere, id inprimis putamus & præmonemus, nos mentem nostram cognitione naturæ excolere debere, vt

1 *de anima lib. I. cap. 3.* 2 *physic. lib. IV. c. 4.* 3 *physic. lib. V. cap. 1. lib. VII. c. 2.* 4 *physic. diuin. lib. I. c. 7. sect. I.*

partim inde consilia de tuenda & conseruanda corporis valetudine capiamus; partim de deo ac rebus diuinis sentiamus recte, quo ipso disciplina physices remedium est aduersus atheismum & superstitionem. hinc & CICERO [1] dicit: *omnium autem rerum natura cognita, leuamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt sæpe formidines*: & alio loco: [2] *nec vero potest quisquam de bonis & malis vere iudicare, nisi omni cognita ratione naturæ & vitæ, etiam deorum & vtrum conueniat, nec ne, natura hominis cum vniuersa: quæque sunt vetera præcepta sapientium, qui iubent tempori parere & sequi deum & se noscere & nihil nimis. hæc sine physicis quam vim habeant, (& habent maximam) videre nemo potest. atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias, & reliquas caritates quid natura valeat, hæc vna cognitio potest tradere. nec vero pietas aduersus deos, nec quanta his gratia debeatur, siue explicatione naturæ intelligi potest.* quam cognitionis physicæ vim si Aristoteles cognouisset, eiusmodi sane principia rerum naturæ adhibere debuisset, quæ diuinam operam, quæue summum numen, vel vti auctorem omnium rerum, quas complectitur natura, produnt. sed si tria illa, *materiam*, *formam* & *priuationem*, quæ notiones sunt mente & cogitatione separatæ, admittamus, omnes sane naturæ effectus explicare possumus, vt non opus sit deo, quamcunque etiam sequamur interpretationem.

1 *de finib. bonor. & malor. lib. I, cap. 19.* 2 *de finib. bonor. & malor. lib. III, cap. 22.*

primum

primum enim materia, forma & priuatio quum ſint abſtracta metaphyſica, fiunt & producuntur ab intellectu noſtro, adeoque rebus ipſis, a quibus notiones hæ ſeparantur, ſunt poſteriora, quapropter non poſſunt eſſe principia a deo ad condendam naturam adhibita. deinde in doctrina de motu cauſſam illius primam putat eſſe modo deum, modo cælum, modo vero clarius, quid hac in re ſentiat, effert, quando dicit: ὐδὲν γὰρ παρὰ φύσιν ἀΐδιον, *nihil enim præter naturam eſt æternum*, [1] quumque Ariſtoteles non ſatis deum & naturam diſtinxerit, facile quis intelligere poteſt, quomodo hæc inter ſe cohæreant, & vnde ſolemnis Peripateticorum formula: *motus eſt æternus* ſuam trahat originem. adhæc ſi *forma*, quam opponit materiæ, eſt principium agens, prout materiæ indoles ſemper fert, vt aliquid patiatur, taleque principium eſſe poteſt Deus, ſpiritus & corpus; Ariſtoteles ſane ſecundum hanc doctrinam naturæ effectus explanare poteſt, ſi modo ſpiritum, ſiue ſit deus, ſiue minus, admittat. quo nomine non poſſumus, quin THOMAE BVRNETII [2] iudicium probemus, quando dicit: *hæc quum ita ſint, atque talis fuerit philoſophia Ariſtotelis, ſatis admirari non poſſumus orbis chriſtiani ſtuporem: qui per tot ſecula hanc diſciplinam vnice amplexus eſt: laudibus ad cælum extulit, omnibusque ſcholis & academiis publice docendam & prælegendam commendauit: immo ſanciuit autoritate & in diſſentientes ab Ariſtotele, aut nouam molientes philoſophiam tanquam in hæreticos & religionis chriſtianæ ho-*

1 *de cælo lib. II. cap. 3.* 2 *archæolog. philoſ. lib. I, c. 13. p. 183.*

ſtes

stes grassabatur. hinc tardi scientiarum progressus: & a tot seculis, quibus invaluit hæc philosophia, nulla inuenta, nulla commoda attulit humanæ vitæ. quot volumina commentariorum magna & inutilia? quot præclara ingenia hoc seruile iugum ferre coacta, in colendo solo infrugifero frustra laborarunt. sterilescebat orbis christianus, quasi arena conspersus, vbicunque hæc philosophia disseminata fuit.

§. VII. Posset quis nobis obiicere, Aristotelem tantum corporum naturalium principia tradidisse, ita ut illorum partim materia, partim forma essent considerandæ, ac de industria nullam mentionem dei fecisse, quoniam in illius contemplatione ac cognitione physicus minus versari debeat, quo nomine necessarium esset, ipsius doctrinam de deo ac mundi origine examinare. nec negamus, Aristotelem libris physicis proposuisse doctrinam de corporibus, quamuis ipse sibi non satis constet, ac libris de cœlo corpora cælestia referat ad physicam; metaphysicis vero cælestia physicis opponat; attamen, vt iam superioribus obseruauimus, debuisset physicam seu doctrinam de corporibus naturæ eiusmodi superstruere principiis, quæ nobis rectam ac facilem viam ad cognitionem dei demonstrassent. de cetero ea, quæ a nobis sunt obseruata, non obscure significant quo animo quoue sensu mentis de deo fuerit Aristoteles, quæ vt pateant adhuc clariora, in sententias ipsius de deo ac mundi origine inquiramus. fuerunt plurimi ex philosophis, qui mundum ea quoque facie, qua nunc conspicitur, æternum fuisse, aut nul-

lum habuisse initium, etiam genus humanum semper extitisse contenderent, quos breuiter indicat CENSORINVS: [1] *sed prior illa*, inquit, *sententia, qua semper humanum genus fuisse creditur, auctores habet Pythagoram Samium, & Ocellum Lucanum & Archytam Tarentinum, omnesque adeo Pythagoricos. sed & Plato Atheniensis, & Xenocrates & Dicæarchus Messenius itemque antiquæ academiæ philosophi non aliud videntur opinati. Aristoteles quoque Stagirites & Theophrastus multique præterea non ignobiles peripatetici idem scripserunt eiusque rei exempla dicunt, quod negent, omnino posse reperiri, aues ne ante an oua generata sint, cum & ouum sine aue & auis sine ouo gigni non possit.* & quamuis alii originem generis humani admiserint, materiæ tamen æternitatem statuentes, & in hunc errorem per male intellectum principium illud: *ex nihilo nihil fit*, coniecti, reipsa negarunt creationem, & diuinis operibus, a quibus omnia dependent, eorumque libertati summam intulerunt vim. sic Aristoteles existimauit, mundum esse æternum, quod ex ipsius monimento de cœlo [2] patet, ubi de duratione mundi disserit, ac reiicit cum eorum opinionem, qui principium illi sine fine, tum aliorum, qui initium pariter & finem adiungebant, ex quo id consequitur, vt mundum & principii & finis expertem esse putauerit. hinc & LACTANTIVS [3] *nam Aristoteles quum non videret, quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire; & hanc præscriptio-*

1 *de die natali. cap. 4.* 2 *lib. I. cap. 10. tom. I. opp. p. 349.*
3 *lib. VII. cap. 1. diuinar. instit.*

nem

nem vellet effugere; semper ait fuisse mundum ac semper futurum. cui impiæ sententiæ ex illis, qui Aristotelem secuti sunt, magno studio imprimis quoque sese addixit ANDREAS CAESALPINVS, Aretinus, *qui*, auctore SAMVELE PARKERO [1] *recentiorum primus & pene postremus fuit, qui quid Aristoteles velit, cepisse visus est: prout & pronuntiat, non longe ab hac impietate abfuisse* CLAVDIVM BERIGARDVM [2] *atque adeo*, ait, *vno eodemque opere* (BERIGARDVS) *diversas cum Epicureæ tum Peripateticæ impietatis rationes adornauit, quamquam Aristotelis disciplinam fusius & ardentius excoluit, atque eam potissimum, quam libro physicorum octauo, librisque de cœlo & rerum generatione tradidit, quibus vniuersam mundi fabricam sine prouidentia architectrice extruxisse se putat philosophus.*

§. VIII. Equidem fatetur Aristoteles, mundum a deo esse productum, sed ea sententia, quæ impietatis plenissima, nec a sana ac polita intelligendi facultate proficisci potest. omnes philosophorum, quos vetus græcia tulit, sectæ in eam ingressæ fuerant opinionem, duo esse æterna, deum & materiam, ita vt deus sit sapientia præditus, materia vero bruta; ille particeps rationis; hæc vero expers; ille principium & caussa boni; hæc vero mali; cuiusmodi doctrinæ plane sunt absurdæ, ut mirari satis non possimus, quod nostra ætate PETRVS BAELIVS existimauerit, istas a nemine solide esse confutatas, nec feliciter posse confutari:

1 *de deo & prouident. disp. I. p. 64.*
2 *circul. Pisan.*

vide IO. FRANCISCVM BVDDEVM.[1] at vero vt rationem voluntas & hanc libertas sequitur, non poterant non hi philosophi libertatem operandi aut deo sibi relicto abiudicare, aut adtribuere materiæ. atqui materiæ inesse necessitatem eamque magnam, non mediocri consensione profitebantur; deo autem tanto minorem libertatem adiungebat quisque, quo arctius istam cum materia coniungeret, aut in materiam immergeret penitus. itaque Plato censuit, mundum ex libero dei cum materia congressu extitisse; quum Aristoteles contra & Stoici crederent, deum vinculo necessario, quod euitari minime potuerit, cum materia fuisse coniunctum, quamuis Aristoteles in eo a Stoicis discreparet, quod ipse mundum sub luna a deo per solam virtutem attingi; Stoici contra per ipsam substantiam quasi fermentari opinarentur, vide IACOBVM THOMASIVM.[2] quapropter nonnulli discrimen ponunt inter *formam assistentem* & *informantem*, asseruntque Aristotelem credidisse deum veluti formam assistentem adeoque erroris, quem pestiferum inprimis BENEDICTVS SPINOZA in lucem produxit, esse immunem. equidem si fidem habeamus CLEMENTI *Alexandrino*,[3] Aristoteles deum esse animam mundi existimasse videtur, si quidem, vt verba ipsius latine tantum huc transferamus, ita dicit: *cujus quidem secta* (peripateticorum) *qui est pater, nihil de eo patre, qui supremus est, intelligens, putat esse animam vniuersi, hoc est mundi animam deum esse exi-*

1 *thesib. de atheism. & superstit. cap. 1. p. 156. sqq.* 2 *de stoica mundi exustion. dissert. II.* 3 *admonit. ad gentil p. 44.*

stimans,

ſtimans, ipſe a ſe ipſo confunditur. qui enim vsque ad lunam eius definit prouidentiam, deinde mundum deum eſſe exiſtimat, euertitur, vt qui eum, qui eſt dei expers, deum eſſe arbitretur. hinc & RAYNAVDVS [1] reprehendit CLEMENTEM: *nec enim*, inquit, *poteſt quidquam ex Ariſtotele proferri, quod errori illi faueat*; intelligit autem errorem, quo deum permutarunt in animam mundi proprie dictam & *informantem*. ſed IACOBVS THOMASIVS [2] obſeruat, quod nec Raynaudus Clementem, nec Clemens Ariſtotelem ſatis intellexiſſe videantur. quamuis enim Clemens iure ac merito reprehendere poſſet Ariſtotelem, quod contraria ſibi & repugnantia dixerit, ſi toti mundo deum præfecerit, veluti animam mundi; prouidentiam autem ipſius ſolo cœlo terminauerit; nunquam tamen probari poteſt, quod Ariſtoteles affirmauerit, deum toti mundo præſidere. quumue Clemens mentionem tantum faciat animæ cuiusdam mundi, nec num ſit anima *aſſiſtens*, an *informans* definiat, minus cauſſam percipimus, cur Raynaudus ipſum adfecerit cenſura. equidem proferuntur loca quædam, ex quibus pateat, Ariſtotelem credidiſſe animam mundi vniuerſam, eamque *informantem*, quando dicat [3] λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα, ἥτε ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα, ἔμψυχός τε καὶ γονιμὸς οὐσία, *quum alioqui ſpiritus adpelletur ſubſtantia animata & genitalis in ſtirpibus atque in animantibus exiſtens*

1 *theol natur. diſt. 6. q. 1. n. 5. p. 562.* 2 *de Stoica mundi exuſtion. diſſert. XIIII. §. 141. ſqq.* 3 *de mundo cap. 4. p. 468. tom. 1. opp.*

per omniaque pertinens; item [1] *γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε, καὶ ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διεκόσμησε μία διὰ πάντων διήκουσα δύναμις*, *terram etiam omnem, omne mare, ætherem, ſolem, lunam & poſtremo totum cœlum* vis vna per omnia pertinens, *certo ordine deſcripſit*; ſic & laudet hæc carmina Orphica: [2]

ζεὺς πνοιὴ πάντων, ζεὺς ἀκαμάτου πυρὸς ὁρμή,
ζεὺς πόντου ῥίζα, ζεὺς ἥλιος, ἠδὲ σελήνη,

id eſt, *iupiter eſt ſpiritus omnium, iupiter indefatigabilis ignis impetus eſt, iupiter eſt radix maris, iupiter eſt ſol & luna.* non negamus, quod verba hæc multam ſpeciem illius erroris præ ſe habeant, quo deum & naturam confundere inſtituerunt multi; ſed auctoritas libri illius, vnde iſta ſunt depromta, non ſatis valida eſt, nec firmis argumentis Ariſtoteli, vti auctori poteſt adtribui, id quod infra verboſius demonſtrare, animum induximus. ſic Ariſtoteles cum a Platone, tum a Stoicis hac in re diſcrepat. Plato enim, deum libertate frui, cenſuit, quam ſummo numini & Ariſtoteles & Stoici abiudicarunt, exiſtimantes, id per neceſſitatem adductum egiſſe omnia. Quod autem ad animam mundi adtinet ſpeciatim, Plato illam eſſe, quidem credidit, ſed plane alia ſententia, quam iſtam tradiderunt Stoici, ſiquidem Plato tres deos, *deum ſummum, mentem* & *animam*, eſſe adſirmauit, ac per *deum* intellexit ipſum ſummum numen; per *mentem* mundum, quem intellectus tantum percipit & per *animam* ſpiritum huius vniuerſi, quam opinionem Platonis fuiſſe, clariſſime de-

1 *ibid. cap. 5. p. 470. tom. I. opp.* 2 *ib. cap. 7. p. 475.*

demonstrati IACOBVS THOMASIVS. [1] quum igitur ex sententia Platonis anima, tertius deus a summo numine fuerit distincta & separata, plane a Stoicorum placitis abhorret, quippe qui asseruerunt, ipsum deum animæ mundi officio defungi, ita ut arctissimo vinculo cum materia sit coniunctus. ab horum sententiis cum Platonis, tum Stoicorum in ea recedit Aristoteles, quod deum non vniuerso mundo, sed tantum supremo cœlo præsidere crediderit, nec cum Stoicis ipsum pro forma *informante*; sed *assistente* habuerit: confer SEBASTIANVM FOXIVM [2] FRANCISCVM PATRICIVM [3] IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [4] ADAMVM RECHENBERGIVM. [5]

§. VIIII. Sic Aristoteles persuasit sibi, deum cœlo supremo præsidere, seu esse motorem primum, præter quem alias adhuc intelligentias, materiæ expertes, æternas & inferiorum sphærarum motibus præfectas credidit, [6] per quas plerique intelligunt dæmones, qui media inter diuinam atque humanam mentem præditi essent natura, quod HERMANNVS quidem CONRINGIVS [7] negat, confer THOMAM STANLEIVM. [8] deo igitur seu primo motori cura est ex sententia Aristotelis primi mobilis, quod veteribus est orbis stellarum fixarum, seu octaua sphæra, ita vt deus, quamuis moueat, ipse tamen maneat immobilis. hinc dicit Aristoteles: [9] ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ

1 *de Stoica mundi exustione dissert. XIIII. §. 23 sqq.* 2 *de Platon. & Aristotelis consensione lib. II. cap. 2.* 3 *Aristot. exoteri. n. 36.* 4 *analect. hist. phil. p. 333.* 5 *dissert. de anima mundi cap. I. §. 6. 7.* 6 *metaphysic. lib. XII. cap. 8.* 7 *Conringian. p. 117.* 8 *philos. hist. part. V. cap. 8. p. 490. sq.* 9 *metaphys. lib. XII. cap. 8. tom. II. opp. p. 743.*

καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων, ἀκίνητον καὶ καθ' αὑτὸ, καὶ κατὰ συμβεβηκός. κινοῦν δὲ τὴν πρώτην καὶ ἀΐδιον, καὶ μίαν κίνησιν. ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπό τινος κινεῖσθαι, καὶ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον εἶναι καθ' αὑτὸ, καὶ τὴν ἀΐδιον κίνησιν ὑπὸ ἀϊδίου κινεῖσθαι, καὶ τὴν μίαν ὑφ' ἑνός, *principium enim ac primum entium tum per ſe tum per accidens immobile eſt: mouens autem primo, ſempiterno & vno motu. quum vero quod mouetur, neceſſe ſit ab aliquo moueri, primumque mouens immobile per ſe eſſe ac motum æternum ab æterno moueri & vnum ab vno.* modum autem, quo ſummum numen ipſum immotum omnia alia poſſit mouere, explanat ea ratione, qua res vel intellectum ad cognitionem, vel voluntatem ad cupiditatem excitare ac mouere queat, ita vt quamuis in intellectu ac voluntate fiat motus, ipſa tamen res maneat immobilis. ſic deus quum habeat ſui ipſius cognitionem, quod ſibi inſint omnia præſtantiſſima, in quibus partim intelligendi, partim appetendi facultas verſari poſſit, ſempiterna ſui ipſius contemplatione penitus occupetur, ita vt nihil aliud ipſe fuerit, quam ſui ipſius contemplatio. [1] poſt primum hunc immobilem motorem alias quasdam ſubſtantias ſeu intelligentias eſſe voluit, quæ ab ipſo motæ inferiorum orbium motibus præeſſent, ſiquidem dicit: [2] ὁρῶμεν δὲ παρὰ τὴν τοῦ παντὸς τὴν ἁπλῆν φορὰν, ἣν κινεῖν φαμὲν τὴν πρώτην οὐσίαν, καὶ ἀκίνητον, ἄλλας φορὰς οὔσας τὰς τῶν πλανήτων ἀϊδίους. ἀνάγκη, καὶ τούτων ἑκάστην τῶν φορῶν ὑπ' ἀκινήτου τε κινεῖσθαι καθ' αὑτὸ καὶ ἀϊδίου οὐσίας, *videmus*

1 *metaphyſic. lib. XII. cap. 7. tom. II. opp. p. 742. & cap. 9. p. 744.* 2 *ibid. cap. 8. p. 743.*

vero

vero præter ſimplicem lationem totius, quam dicimus primam ſubſtantiam & immobilem mouere, & ceteras etiam lationes, quæ errantium ſunt, ſempiternas eſſe. neceſſe eſt, harum quoque lationum vnamquamque a per ſe immobili & æterna ſubſtantia moueri. ita intelligentiæ orbium, in quibus planetæ ſeptem voluuntur, præſides, per ſummi numinis admirationem atque adfectum incitatæ orbes neceſſario mouerunt, adeo vt ſine quadam numinis opera & prouidentia cæleſtium curſus fuerint conſtituti, quorum vi & opere inferior omnis natura per neceſſitatem quamdam mechanicam naſcatur & gubernetur. etenim quam intelligentiæ orbes ſuos neceſſario ſine quodam conſilio mouerint, factum ſit, vt omnis quoque materiæ moles variis agitata fuerit motibus, ex quibus diuerſitas formarum præ diuerſa materiæ natura ſuam habuerit originem, ita vt ſi quid vtile, quid pulcrum, quid admirabile in rerum natura intueamur, id omne non diuinæ artis, non prouidentiæ opus eſſe, ſed ſolius neceſſitatis ex ipſis rerum qualitatibus ortæ euentum dicere & habere debeamus, confer SAMVELEM PARKERVM [1], MICHAELEM MOVRGVES. [2]

§. X. En deum Ariſtotelicum! bene de mente Ariſtotelis iudicauit beatus noſter LVTHERVS apud VITVM LVDOVICVM SECKENDORFIVM. [3] *Ariſtoteles in eam fere delabitur ſententiam, vt etſi deum non adpellet ſtultum, tamen ignarum rerum omnium*

1. *de deo & prouidentia diſſ.* 4. *ſect.* 6. *p.* 371. 2 *dans le plan theologique du Pythagoriſme tom.* I. *epiſt.* 2. *p.* 75. *ſeqq.* 3 *hiſtor. Lutheraniſmi lib.* III. § 81. *n.* 17. *p.* 304.

ſtatuat, qui nihil negotiorum noſtrorum intelligat, & videat, nihil conſideret præter ſe ipſum & tantum conſideret in ſpeculatione ſui ipſius. hoc autem etſi non eſt ſtultitiam tribuere, tamen certe eſt adimere ſcientiam & conſtituere ignarum rerum humanarum; recteque addit: *ſed quid ad nos talis deus aut quis eius eſt vſus?* quibus verbis nihil ſane verius nec pulcrius dici potuiſſet. etenim nullum alium deum animo menteque nobis concipere poſſumus, quam qui ſit principium primum, prima cauſſa omnium rerum, quas complectitur natura, adeoque omnibus præditus perfectionibus. qui deus abſoluta fruitur libertate, cuius vi liberum quoque cepit conſilium, mundum in tempore condendi, quem & ex nihilo produxit, & vbique ſingularis potentiæ, ſapientiæ, benignitatis dedit documenta. cuiusmodi veritas adeo eſt perſpicua, vt iſtam quisque, qui ſanæ rationis particeps, comprehendere debeat, atque omnino ſit mirandum, fuiſſe ex philoſophis præcipue Ariſtotelem a tam clara cognitione alienum. namque quum dicit, materiam cum deo eſſe æternam, mundum nec principium nec finem habere, deum per modum *formæ aſſiſtentis* cum eo neceſſario vinculo eſſe coniunctum, cælo tantum ſupremo præſidere, nullam rerum noſtrarum curam tenere, contemplatione ſui ipſius totum occupari, quæue ſint inferioris naturæ, fieri per neceſſitatem quamdam mechanicam, omnia plane turbat, & vim & naturam dei tollit penitus. ecquis dubitaret, hanc Ariſtotelis doctrinam non modo eſſe abſurdam, ſed & impiam? nam æternitatem materiæ

riæ aſſerere, ipſique deum quemdam pariter æternum adiungere, idem eſt, ac ſi quis contraria ſibi ac repugnantia adfirmare, atque hoc ipſo verum rationis vſum perturbare vellet. quod ſi enim materia æterna eſt, aut eſt a ſe ipſa, aut a deo quodam: ſi eſt cauſſa ſui ipſius, ſane non poteſt eſſe materia, omni ſe mouendi facultate deſtituta, quid? quod neceſſe eſt, adfirmare materiam eſſe deum; duplicem autem deum credere, æque eſſet abſurdum, quoniam deus ſi ex omni parte perfectus eſt, vt eſſe debet, non poteſt eſſe niſi vnus, vt in eo ſint omnia. at vero ſi materia a poteſtate ac virtute dei profecta, eſt omnino effectus adeoque ſua cauſſa poſterior, id quod omnem remouet æternitatem. ex quibus patet, quod homo quoque, qui tantum luce ac lumine rationis vtitur, adfirmare neceſſe habeat, deum ex nihilo produxiſſe materiam primam, id quod quanto clarius eſt, tanto in maiorem deducimur admirationem, quod veteres philoſophi mirifica conſenſione, Plato, Ariſtoteles, Stoici, Epicurus de æternitate materiæ male exiſtimauerint. fuerunt quoque, qui quamuis Ariſtotelem magno conſectati ſint ſtudio, hanc tamen doctrinam de æternitate mundi minus probarunt, ſed impugnarunt ſaltem eam reieciſſe videri voluerunt, vt BERNHARDINVS TELESIVS[1] NICOLAVS TAVRELLVS[2] aliique. de cetero Plato de modo & ratione, qua ex rudi iſta eaque æterna mole mundus hic prodierit, verius ſenſit, quam Ariſtoteles &

1 *de rerum natura lib. 1. cap. 9. 10.* 2 *de rerum æternitate.*

Stoi-

Stoici & Epicurus. nam iuxta Platonis placita mundus ex libero dei cum materia congressu extitit, quum Aristoteles contra & Stoici illum siue congressum siue nexum, quiue a deo minus potuisset euitari, crederent, & Epicurus ex fortuita atomorum concursione mundos plurimos ortos adfirmaret. Verum hæc Aristotelis sententia de deo non solum sanæ rationi est aduersa, sed & multum illi inest impietatis. equidem ex ista probare ac colligere, quod ipse Aristoteles fuerit atheus sua mente suoque animo, minus instituo; sed talem doctrinam eum atheismo maxime esse coniunctam, & quemdam facile in tam pestiferum errorem coniicere posse, contendo. hac enim ratione omnes naturæ effectus explanari possunt, vt nobis non opus sit deo, adeoque quilibet atheus huius modi doctrinam de deo ac mundi origine admittere queat. quod & haud difficulter concedet nobis JO. ALBERTVS FABRICIVS [1] qui hac de re hoc idque moderatum tulit iudicium: *mihi quidem non videtur temere inter atheos reiiciendus esse Aristoteles, etsi mundum æternum a deo naturaliter emanasse sensit, & multos docuit graves & maximos errores, quorum vim si omnem penetrasset, vel consecutiones vniuersas fuisset amplexus, in ἀθεότητα forte potuisset incidere, vel saltim perinde omni se exsoluere religione, vt Epicurus fecit. neque disputo, quali ipse fuerit animo erga deum, vel num omnem eius conscientiam amoremque mente eliminauerit, in cuius operibus contemplandis per omnem fere*

[1] *bibl. græca lib. III. cap. 6. p. 177.*

vitam

vitam tam assidue fuit versatus. hoc saltim affirmo, ex scriptis Aristotelis, qualia hodie exstant, hoc neutiquam constare, nec posse firmiter concludi, Aristotelem fuisse atheum, nequé adeo Hippocratem ex scriptis Hippocratis, quod conatus nuper est demonstrare vir acuti & acris ingenii. nam quod non plura de deo dixerit vterque, ferendum in philosophis, qui rationes proximas rerum naturalium exponere volebant, non ad caussam primam, quam præponebant, tanquam ad aram semper confugere.

§. XI. Exposuimus itaque Aristotelis sententiam de deo. equidem obseruare adhuc possemus, quod dixerit, deum esse ζῶον ἀΐδιον *animal æternum*; [1] alio autem loco [2] asseruerit, animal constare ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, *ex anima & corpore*: item [3] ὥσπερ ὁ ὀφθαλμὸς ἡ κόρη καὶ ἡ ὄψις, κακεῖ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τὸ ζῶον, *vt pupilla visusque oculus est: sic anima & corpus est animal*; sed de industria hæc silentio dimittamus. nam Aristoteles a cultoribus suis per hoc excusari, quin etiam defendi potest, quod vox ζῶον significet viuentem substantiam generatim, speciatim autem, si de deo adhibeatur, ipsius αὐτοζωὴν, prout quoque addat: ὥστε ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ. τοῦτο γὰρ ὁ θεός. *quare vita & æuum continuum & æternum deo inest. hoc enim deus est.*

§. XII. Videamus nunc de illorum opinione, qui eximiam dei notitiam in Aristotele prædicant, & hanc in rem multa testimonia,

1 *metaph. lib. XII. cap. 7. p. 742. tom. II. opp.* 2 *de republ. lib. I. cap. 5. p. 225. tom. II. opp.* 3 *de anima lib. II. cap. 1. tom. I. opp. 487.*

quæ

quæ superioribus attigimus, adferunt. Si loca illa intueamur nude, possent facile nos ad adsensum mouere; sed quum ipsa doctrinæ Aristotelicæ principia reuocamus ad animum, tum demum manifeste obseruatur, illis nullam inesse dignitatem. profitetur quidem Aristoteles, deum esse vnum, nullis circumscriptum limitibus, omnis materiæ expertem, immortali natura præditum, absoluta sapientia, benignitate, iustitia, potentia conspicuum. at qui deum vnum atque æternum pronunciare potuit, quum materiam ab omni æternitate extitisse crediderit? & quæ sapientia, quæ potentia quæue alia virtus apud deum esse potest, qui impulsus per necessitatem cum materia coniunctus, supremum tantum cœlum moueat, regat, gubernet? mortalis sane, qui solo lumine rationis humanæ illustratus, tales proprietates dei minus habet cognitas, nisi ex operibus ipsius magnificis atque præclaris, quum ipsum mundum, eius membra, cœlum, huiusque insignia solem, lunam stellasque; terras, maria ac omnis generis animalia vidisset, quumque temporum maturitates, mutationes, vicissitudinesque cognouisset, collegerit, aliquam excellentem esse ac præstantissimam naturam, quæ hæc omnia per potentiam ac sapientiam summa libertate prædita fecerit, etiam adhuc pro incredibili benignitate conseruet. adhæc Aristoteles sæpe tradit non apta inter se & cohærentia, sed sibi ipsis repugnantia & contraria: hinc CICERO [1] *Aristoteles quoque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro Platone non dissentiens:*

[1] *de N. D. lib. I. cap. 13.*

tiens: modo enim menti tribuit omnem diuinitatem: modo mundum ipsum deum dicit esse: modo quendam alium præficit mundo eique eas partes tribuit, vt replicatione quadam mundi motum regat, atque tueatur: tum cæli ardorem deum dicit esse, non intelligens, cœlum mundi esse partem, quem alio loco ipse designauit deum; & LACTANTIVS: [1] *Aristoteles quamuis secum ipse dissideat ac repugnantia sibi & dicat & sentiat.* quapropter non est mirum, quod Aristoteles interdum bene & præclare existimet de deo, interdum vero omnem vim ac naturam diuinam tollat. ac quamuis facile ex hisce conclusio effici possit, quod in tanta dissensione ac varietate, in qua Aristoteles de deo differens constitutus est, nihil firmi neque de pietate, neque impietate ipsius sit dicendum, adeoque nostra disputatio suo careat fructu; hæc tamen, licet speciosa videantur, debiliora omnino sunt, quam vt nos de iam proposita sententia dimoueant. verum est, Aristotelem dicere sibi contraria; sed quod integram doctrinam de deo atque origine mundi ita struxerit, vt etiam principia illius sibi sint repugnantia, nec lectores habeant facultatem, veras ac genuinas ipsius sententias cognoscendi, plane negamus. quo nomine, si rem ipsam intueamur accuratius, obseruabimus, quod Aristoteles conclusiones sibi contrarias tradiderit, & quamuis vi principiorum haberet necesse, aperte omnem in deo suo negare diuinitatem, istum tamen æternum, infinitum, sapientem, benignum esse adfirmauerit, vt artem, impiam doctrinam quadam ratione occultan-

1 *instit. diuin. lib. 1. cap. 5.*

di,

di, exerceret. quod si enim nuda Aristotelis effata de proprietatibus dei ponamus, nulla habita ratione ipsius complexus doctrinarum, qualia ista sint, non facile possunt indicari. & si quis ex hisce colligere velit, philosophum hunc de deo existimasse bene, eodem sane iure etiam BENEDICTVM SPINOZAM prædicare adeoque absoluere atheismi possumus.

§. XIII. Adhæc obseruamus, quod multa testimonia, quæ superioribus in verum Aristotelis de deo sensum prolata sint, lubrica fide atque auctoritate nitantur, quod ex libro *de mundo* sint petita. namque de ipsius auctore in vtramque partem disputatur. alii negant, Aristotelem opus hoc perfecisse, vt MVRETVS, [1] SALMASIVS, [2] DANIEL HEINSIVS, [3] MENAGIVS, [4] VOSSIVS, [5] IACOBVS THOMASIVS. [6] alii autem ipsum exclusisse fetum hunc adfirmant, iique recentiori ætate, ingenio atque eruditione clarissimi viri, PETRVS PETITVS, [7] ELMENHORSTIVS, [8] FORTVNIVS LICETVS, [9] IO. ALBERTVS FABRICIVS [10] & qui commentariis notisque librum hunc illustrarunt OLAVS WORMIVS, IO. LANGIVS, BONAV. VVLCANIVS. nos fatemur ingenue, priorum auctorum, qui monimentum hoc Aristoteli abiudicant, argumenta nobis videri grauiora, ut non possimus, quin illorum sententiæ faueamus. siue enim ipsas doctrinas, quæ ibi tradun-

1 *var. lection.* II, 18. 2 *ad Solin p.* 1247. 3 *peculiar. dissertat. qua adiunct. oration. p.* 471. 4 *ad Diog. Laërt. tom. I. p.* 203. 323. 5 *de scient. mathem. p.* 272. 6 *de Stoica mundi exustione diss.* XIIII. §. 152. 7 *obseru.* II. 19. 8 *not. ad Apuleium de mundo.* 9 *allegor. Peripatetic.* 10 *bibl. graca lib.* III. *cap.* 6. §. 13.

tur,

tur, siue scribendi genus respiciamus, deprehendimus omnino, quæ cum Aristotele eiusdemque ingenio minus conueniunt. quod ad res ipsas adtinet, magnam obseruabimus diuersitatem sententiarum, si librum hunc cum genuinis Aristotelis monimentis contendamus. *primum* compertum est, Aristotelem cæli æternitatem tueri atque asserere, mundum extitisse ab æterno; hic autem dicit auctor, ipsum mundum διακόσμησιν ὑπὸ θεοῦ καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένην, *ornatam ordinationem dei munere, dei recta custodia esse*; & paullo post clarius: ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ συνέστηκε, *omnia ex deo consistere & per deum.* [1] *secundo* Aristoteles intelligentias cœlo affixas credidit; heic autem duæ caussæ & utraque in vno deo ponuntur, quarum altera ποιητική seu διακοσμητική, quæ & formauit orbem; altera συνεκτική siue φυλακτική, quæ hunc conseruat & regit. *tertio* satis est manifestum, Aristotelem ad lunam tantum vsque diuinam prouidentiam sese mouere, existimasse; heic autem hæc legimus: σεμνότερον δὲ καὶ πρεπωδέστερον, αὐτὸν μὲν ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω χώρας ἱδρύσθαι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου διήκουσαν ἥλιόν τε κινεῖν καὶ σελήνην, καὶ τὸν πάντα οὐρανὸν περιάγειν, αἴτιον τε γίνεσθαι τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς σωτηρίας, *quare augustius id decentiusque existimandum est, deum summo in loco ita esse collocatum, numinis vt tamen eius vis per vniuersum mundum pertinens, tum solem lunamque moueat, tum cælum omne circumagat, simulque caussam præbeat eorum, quæ in terra sunt, salutis atque incolumitatis.* [2] *quarto* auctor libri huius descripsit Britanniam

[1] *cap. 2. & 6.* [2] *cap. 6.*

& Hiberniam, [1] quæ Alexandri tamen tempore ignotæ fuerunt, quod TACITVS [2] confirmat, *hanc oram*, inquit, *nouissimi maris tunc primum romana classis circumuecta, insulam esse Britanniam adfirmauit*; & DIO CASSIVS [3] πρώτοις καὶ ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων οὐδ᾽ ὅτι ἐςὶν, ἐγιγνώσκετο· τοῖς δὲ ἔπειτα ἐς ἀμφισβήτησιν, εἴτε ἤπειρος, εἴτε καὶ νῆσος εἴη, ἀφίκετο, *primis græcorum romanorumque, ne esse quidem eam, compertum fuit; posteriores in controuersiam adduxerunt, continensue ea terra, an vero insula esset.* huc quoque accedit, quod auctor tradit de nobilissima insula *Taprobane*, [4] quam Alexander rex detexisse dicitur. si igitur hæc scripsit ante ipsius expeditionem, sane situm illius minime scire potuit; sin in ipsa expeditione, plane absurdum fuisset, hoc Alexandro exponere, qui ista maxime cognita habuit aut primus, aut solus. nec tractandi ratio & scripturæ genus cum ingenio Aristotelis conueniunt, vt pluribus demonstrat DANIEL HEINSIVS. [5] equidem alii, qui scriptum hoc inter γνήσια philosophi huius monimenta referunt, variis ex vetusta ætate testimoniis muniunt sese, quæ iam credidit, id ab Aristotele esse profectum. primum prouocant ad STOBAEVM, [6] apud quem ex longiore illa epistola Aristotelis ad Alexandrum περὶ τοῦ παντὸς fragmenta exstent, quæ omnia ad verbum leguntur in libro hoc de *mundo*; sed ex his nondum perspicuum esse putamus, monimentum hoc vere esse Aristotelis. nam quamuis epistolam hanc περὶ τοῦ παντὸς Aristoteles ad Alexandrum con-

1 *cap.* 3. 2 *vit. Agricolæ cap.* 10. 3 *lib.* XXXIX. *pag.* 114. 4 *ibid.* 5 *cit. loc.* 6 *eclog. p.* 7. 14. 70. *sqq.*

scri-

ſcripſerit, quamuis etiam illius fragmenta deprehendamus apud STOBAEVM, quæ extent libro de mundo; verus tamen ſcripti huius auctor hanc Ariſtotelis epiſtolam in vſum ſuum transferre potuit. nec firmum argumentum eſt, quod opus hoc de mundo inſcriptum ſit Alexandro, quoniam magna probabilitate adfirmare poſſumus, nomen hoc aut ſine cauſſa eſſe additum, quod & in nonnullis exemplis hodieque omittitur; aut ideo fuiſſe adiectum ab auctore, vt facilius ſub Ariſtotelis nomine admitteretur. deinde adferunt teſtimonium IVSTINI *martyris*, [1] qui dicit: Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα λόγῳ σύντομόν τινα τῦ ἑαυτῦ φιλοσοφίας ἐκτιθέμενος ὅρον, σαφῶς καὶ φανερῶς τὴν Πλάτωνος ἀναιρεῖ δόξαν, ὐκ ἐν τῇ πυρώδει ὐσίᾳ τὸν θεὸν εἶναι λέγων, ἀλλὰ πέμπτον αἰθέριόν τι καὶ ἀμετάβλητον ἀναπλάττιον σῶμα, ἐν τύτῳ αὐτὸν εἶναι φησι. *Ariſtoteles autem in eo, quem ad Alexandrum Macedonem ſcripſit libro, breuem quandam philoſophiæ ſuæ delineationem proponit: vbi manifeſte quoque ac perſpicue Platonis tollit ſententiam. neque enim in ignea ſubſtantia vult eſſe deum, ſed vero quintum aliquod æthereum atque immutabile conſtituit corpus, in quo eum ponit.* adfirmat igitur primum IVSTINVS, libro hoc Ariſtotelem philoſophiæ ſummam tradidiſſe breuiter. Sed tantum abeſt, vt id ſcripto huic ſit conſentaneum, vt ne inſcriptio quidem admittat. nihil enim de diſciplina, quæ rationem ac voluntatem in functionibus ipſorum dirigit, attingit, quæue de rebus naturalibus diſputat, penitus ſunt imperfecta. nec in ope-

1 *adhortat. ad gentes p. 6.*

re hoc manifeste tollitur sententia Platonis, vt existimat IVSTINVS *martyr*, siquidem capite quidem secundo quinta essentia ponitur; sed sine vlla Platonis reprehensione. tertius testis esse debet APVLEIVS, qui præfatione libri sui de mundo dicat: *quare nos Aristotelem, prudentissimum & doctissimum philosophorum, & Theophrastum auctorem secuti, quantum possumus cogitatione contingere, dicemus de omni hoc cælesti ratione, naturas & officia complexi, & cur & quemadmodum moueantur, explicabimus.* quum igitur APVLEIVS librum græcum de mundo ad verbum propemodum in latinam linguam transtulerit, ipseque, quem secutus sit ducem, commemorauerit, ex hisce consequi putant, Aristotelem esse auctorem græci operis de mundo. sed tamen APVLEIVS profitetur, sequi se Aristotelem & Theophrastum, quapropter eodem iure concludere ex hoc possumus, quod Theophrastus conscripserit librum de mundo. verum neque Aristotelem neque Theophrastum illius esse auctores, aperte significant verba APVLEII, quod tantum interpres fuerit, atque Aristotelem & Theophrastum, non se, sed auctorem secutum esse dixerit, nisi eundem, qui sequitur & quem sequitur, dicamus.

CAPI-

CAPITIS III.
DE
ATHEISMO ARISTOTELIS THEORETICO.
SECTIO II.
DE
OPINIONE ARISTOTELIS AD PROVIDENTIAM DEI SPECTANTE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum nexus cum superiori argumento §. I. *veterum philosophorum sententiae de prouidentia diuina* §. II. *loca afferuntur, ex quibus multi probare contendunt verum Aristotelis sensum de dei prouidentia* §. III. *contrarium demonstratur* §. IIII. *respondetur ad illa loca* §. V. VI. VII. *fit conclusio de hac doctrina cum atheismo coniuncta* §. VIII. *caussae, cur negetur prouidentia dei* §. VIIII.

§. I. Qui deum esse profitetur, & prouidentiam simul esse concedit. nam quum notio dei complectatur quoque notionem sapientiae, potentiae & benignitatis, ita vt summum numen non solum possit, sed & velit prouidam omnium rerum curam tenere; nemo sane deum esse, prouidentiam tamen nullam, dicere potest. quapropter LACTANTIVS [1] dicit: *etenim si est deus, vtique prouidens est, vt deus; nec aliter ei potest diuinitas attribui, nisi & praeterita teneat & praesentia sciat, & futura prospiciat.* quum igitur prouidentiam

1 *de ira dei cap. 9.*

sustulit (Epicurus) *etiam deum negauit esse. quum deum esse professus est, & prouidentiam simul esse concessit*: confer JO. FRANCISCVM BVDDEVM. [1]

§. II. Ex vero igitur sensu de deo vera quoque ipsius prouidentiæ cognitio gignitur, prout illos, qui aut omnem diuinam mentem negant, aut eiusmodi deum credunt, apud quem nihil est diuinitatis, error quoque tenet & miserabilis ignoratio prouidentiæ summi numinis. id quod exemplis philosophorum ex ætate vetusta possumus illustrare, quorum quisque vt sensit de dei indole & natura; ita quoque de ipsius prouida rerum omnium mente existimauit. PLATO maximam deo libertatem adtribuit, ac credidit, mundum ex libero dei congressu cum materia extitisse, quo factum est, vt mundum ab æterno fuisse negare posset, sicque omnium, quos vetus græcia tulit, principum philosophorum sapientissimus iudicaret de deo. quapropter etiam mundum prouidentia ipsius regi atque administrari, est professus. ac primus nominauit in philosophia τὴν τῦ Θεῦ πρόνοιαν, *dei prouidentiam*, teste DIOGENE LAERTIO. [2] præcipue autem opere de legibus [3] copiose de momento hoc disputat & probare contendit, deos dari, illos omnibus prouidere, ac tandem pro meritorum ratione decernere hominibus aut supplicia aut præmia. apud STOICOS deus erat mens mundi & quidem non *assistens*, sed *informans forma*, quippe qui cum materia connexus esset vinculo arctissimo ac necessario,

1 *thesib. de atheism. & superstit. cap. VII. §. 1.* 2 *lib. III. segm. 24.* 3 *lib. X.*

quam

quam ob rem necesse erat, omnem tollere prouidentiam. equidem affirmabant, mundum regi & gubernari prouido dei animo; sed hac ratione contraria sibi docebant, quum putarent, deum esse animam mundi, & nihilo minus ipsi adtribuerent prouidentiam. quod bene obseruauit LACTANTIVS [1] *interdum sic confundunt, vt sit deus ipse mens mundi & mundus sit corpus dei: quasi vero simul esse cœperint mundus & deus, ac non mundum fecerit*: & paucis interiectis: *vbi est ergo illud, quod iidem ipsi aiunt; & factum esse diuina prouidentia & regi? si enim fecit mundum, fuit ergo sine mundo. si regit, non vtique sicut mens corpus regit; sed tanquam dominus domum, nauim gubernator, auriga currum.* nec illorum doctrina de fato vllam admittit prouidentiam dei. omnia enim fato subiecerunt, quamuis ipsimet, quid fatum sit, non satis intellexerint, vt *malignitatem fati Stoici* solide demonstrauit IACOBVS THOMASIVS; [2] at vero si deus est pars mundi, quomodo a legibus fati potest esse solutus? si igitur deus vinculo fati adstrictus, omniaque per fatum fiunt necessitate ineuitabili, omni plane libertate destituitur deus omnisque ipsius remouetur prouidentia. obseruamus quidem, Stoicos interdum fatum a prouidentia diuina discernere: hinc M. AVRELIVS ANTONINVS [3] dicit: *omnia sunt aut ἀνάγκη εἱμαρμένη, ἀπαράβατος τάξις, necessitas fatalis, atque ordo ineuitabilis*; aut πρόνοια ἱλάσιμος, *prouidentia placabilis; aut* φυρμὸς εἰκαιότητος καὶ

1 *institut. diuin. lib. VII. cap. 3.* 2 *de Stoica mundi exust. diss. XIII. p. 166.* 3 *lib. XVI. §. 12.*

ἀπροςάτητος, *confusio inanis & nullum habens rectorem.* sed nondum clarum est, quod hic imperator prouidentiam a fato distinctam, ex sua aut Stoicorum, non aliorum philosophorum mente posuerit. finge vero, quod tamen non apertum est, disserere illum secundum principia atque doctrinas Stoicorum, constat, tradidisse hos philosophiae magistros non apta inter se & cohaerentia, sed contraria sibi & repugnantia. ita vt verbis professi sint prouidentiam dei, quam re ipsa vero negauerint. plane impia & a doctrina religionis christianae aliena est sententia IVSTI LIPSII, [1] quod ex prouidentia fatum sequatur, vel potius fatum sit ipsa prouidentia, nec per illud summi numinis libertas tollatur. EPICVRVS credidit, mundum ex fortuita atomorum concursione factum esse; deos in intermundiis positos vitam agere beatam, qua diuinae naturae nihil sit conuenientius nec vitae beatae quidquam magis aduersum, quam curis & rerum aliarum administratione turbari. propter quas sententias necesse habebat, omnem negare diuinam prouidentiam, ita vt deus nihil agat, nullis occupationibus sit implicatus: nulla opera efficiat: sua sapientia, sua virtute gaudeat. hinc SENECA ex mente Epicuri: *itaque non dat deus beneficia, sed securus & negligens nostri, auersus a mundo aliud agit, aut (quae maxima Epicuro felicitas videtur) nihil agit, nec magis illum beneficia, quam iniuriae tangunt* [2] & alio loco [3] *tu denique, Epicure, deum inermem facis. omnia illi tela, omnem detraxi-*

[1] *physiolog. Stoica lib. I. diss. XI.* [2] *de benefic. lib. IIII. c. 4.* [3] *ibid. cap. 19.*

sti

ſti potentiam, & ne cuiquam metuendus eſſet, proieciſti illum extra mundum. hunc igitur inſeptum ingenti quodam & inexplicabili muro, diuiſumque a contactu & a conſpectu mortalium, non habes, quare verearis, nulla illi tribuendi, nec nocendi materia eſt. in medio interuallo huius & alterius cæli deſertus, ſine animali, ſine homine, ſine re ruinas mundorum, ſupra ſe circaque ſe cadentium euitat, non exaudiens vota, nec noſtri curioſus: adde DIOGENEM LAERTIVM [1] PETRVM GASSENDVM. [2] aliam quidem ſententiam amplexus eſt IACOBVS RONDELLVS [3] qui exiſtimat, Epicurum non plane negaſſe prouidentiam dei, ſed tantum ea fuiſſe opinione, quod deus nullam curam eorum effectuum, quibus producendis vires naturæ inditæ ſufficiant, teneat; ſed num hac ratione bonus cauſſarum Epicuri patronus ſit, nec ne? alii iudicent. ſatis ſuperque apertum eſſe exiſtimarem, philoſophum hunc etiam ab humanis rebus remouiſſe prouidentiam, quoniam beatæ vitæ, qua deus fruatur, nec curas, nec iram, nec gratiam, quæ omnia in mortales tantum rationis participes cadunt, conuenire putauit.

§. III. Quod ad Ariſtotelem adtinet, pii ipſius cultores penitus ſibi perſuadent, vere illum hac in re ſenſiſſe ac mundum vi prouidentiæ diuinæ regi, gubernari, conſeruari, adfirmaſſe. quam cognitionis laudem vt vindicent ipſi iure ac merito, ac illius cauſſam tueantur diligenter, varia adferunt loca, quibus

1 *lib. X. ſegm 77.* 2 *not. ad lib. X. Diog. Laertii tom. V. opp. p. 128 & phyſic. ſect. I. lib. IV. cap. 6. p. 319.* 3 *libro de vita & moribus Epicuri.*

diſputauerit de prouida omnium rerum mente dei, atque dicunt, ipſum adpellaſſe mundum τῶν ὅλων τάξιν τὲ καὶ διακόσμησιν, ὑπὸ θεȣ͂ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένην *ordinem & digeſtionem vniuerſorum, quæ a deo & per deum aſſeruetur*; [1] & alibi [2] tradidiſſe, deos immortales curam habere rerum humanarum, & illis, qui fungantur muneribus menti conſentaneis eamque colant, præmia perſoluere gratiamque referre. quin immo expreſſis verbis dixerit Ariſtoteles: ȣ̓δεμία δὲ φύσις, αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τȣ́τȣ σωτηρίας, *nullam naturam ſatis inſtructam ad ſalutem eſſe poſſe, quæ citra dei præſidium ſuæ ipſa demum tutelæ permiſſa ſit.* [3] quumue alii ſunt teſtati, quod philoſophus hic male ſenſerit de prouidentia dei, fuerunt quoque, qui cauſſam ipſius dixerunt, exiſtimantes, iſtum nulla dignum eſſe reprehenſione, quoniam omnia per prouidentiam ſummi numinis ſuſtentari adfirmauerit. quam in rem adhuc prouocant ad locum quemdam, [4] vbi ad ſimilitudinem exercitus atque amplæ familiæ loquatur atque aſſerat, deum æque ac imperatorem & ſedulum patrem familias curam rerum gerere, confer MARSILIVM FICINVM. [5] & quamuis ipſe interdum ſecum diffideat, etiam de deo dicat repugnantia ſibi; huius tamen rei liberalem mereatur excuſationem per ingenii humani in cognoſcendis rebus diuinis imbecillitatem, cuius ſibi conſcius libro de diuina ſapientia ſe-

1 *libro de mundo cap. 2. tom. I. opp. p.* 465. 2 *ethic. ad Nicomach. lib. X. c. 9. p.* 104. *tom. II. opp.* 3 *de mundo cap. 6. p.* 471. *tom I. opp.* 4 *lib. XII. cap* 10. *met. p.* 745. *tom. II. opp.* 5 *de immortalit. animæ lib. II. cap.* 13.

cundum Ægyptios, [1] si modo illius sit au-ctor, ita seipsum excuset, dum *quoniam eius* (primi opificis) *qualis ipsa in se est natura, explicare non possumus, neque attingere, atque quantulumcunque est, quod mens humana in illa intelligit, id abstractione quadam & huic quasi succenturiata negatione assequitur, gradatim ascendendo, donec defatigata conquiescat, vt imperfectissima.* confer GERH. IO. VOSSIVM. [2]

§. IIII. Sed plane alia sumus opinione, atque affirmamus, Aristotelis doctrinam de prouidentia dei non solum absurdam esse; sed & impiam, quod partim per rationes, partim per testimoniorum auctoritatem confirmare, nobis est in animo. primum quod ad rationes adtinet, satis verum esse existimamus, quod notio prouidentiæ diuinæ dependeat a notione dei ac diuinæ naturæ, ex quo, quum perspicuum sit ac manifestum, facili negotio possumus colligere, qualis sensus, qualis cognitio diuinæ prouidentiæ fuerit apud Aristotelem? constat ex iis, quæ superiora disputauimus, neminem in deo Aristotelis aliquid de diuinitate posse suspicari, esseque deum omnis sapientiæ, benignitatis ac potentiæ expertem, qui vnde habeat prouidentiam, non videmus. nam si caret deus sapientia & potentia, minime omnibus rebus conseruandis, ea pulcritudine, eo ordine, eo fine, quo sunt constitutæ, sufficit: sique animus ipsius alienus a benignitate, nullum quoque erit studium, nulla voluntas prolixa rebus naturæ earumque saluti consulendi

[1] lib. XI. cap. 4. [2] de orig. & progressu idololatr. lib. I. cap. 40.

prospi-

prospiciendique. id quod adhæc per testimonia corroborare possumus. sic DIOGENES LAERTIVS de Aristotele dicit: [1] διατείνει δὲ αὐτοῦ τὴν πρόνοιαν μέχρι τῶν οὐρανίων, *extendit prouidentiam dei ad cælestia vsque*: & apud CLEMENTEM *Alexandrinum* [2] traditur, ad lunam vsque eandem deduxisse; & PLVTARCHVS [3] testatur, illum existimasse, mundum prouidentia dei haud gubernari, id quod etiam apud alios legimus. nec Aristoteles vi principiorum suorum aliter sentire poterat, quam quod prouidentia dei, si & illam verbis admiserit, tantum spectet res cælestes, quoniam ex ipsius sententia deus cælo supremo præsideat, ipsique adeo cura sit primi mobilis, quod veteribus est orbis stellarum fixarum, seu octaua sphæra. secundorum autem mobilium intelligentiæ gerant curam, vnde & sequitur, primum illum motorem, quem Aristoteles vocat deum, rebus, quæ sub luna sunt, nulla prospicere prouidentia.

§. V. Firmior adhuc nostra disputatio adparebit, si & illa argumenta, quæ in Aristotelis eiusque recti de diuina prouidentia sensus gratiam proferuntur, remouere instituamus. quapropter quod ad testimonia illa, quæ ex libro de mundo depromta sunt, pertinet, iterum generatim monemus, quod ista nullum habere possint pondus, quoniam superioribus vi argumentorum probabili demonstrauimus, Aristotelem opus hoc minus conscripsisse. finge vero, quamuis id nequaquam specie quadam veritatis adfirmari queat, Aristotelem

1 *lib. V. segm.* 32. 2 *Stromat. lib. V.* 3 *de placit. phil. lib. II. cap.* 3.

libri

libri huius esse auctorem, testimonia sane, quæ ex illo sunt petita, omni, qua valere deberent, probandi virtute carent. namque primum hoc fuit: τῶν ὅλων τάξιν τε καὶ διακόσμησιν, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένην, mundum esse *ordinem & digestionem vniuersorum, quæ a deo & per deum asseruetur*, [1] quem locum iam superioribus produximus, veluti argumentum, quod Aristoteles librum hunc de mundo minus confecerit, vt pluribus ostendit DANIEL HEINSIVS. [2] iam vero obseruamus, quod scriptura vulgaris, quam & supra exhibuimus, sit corrupta καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένην, quam emendare ac scribere: διὰ θεῶν φυλαττομένην, propter varias rationes necesse habemus. nam auctor libri de mundo principio capitis secundi duas mundi definitiones tradit, quarum altera hæc est: κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων, *mundus cæli & terræ constitutio est, earumque naturarum* (vt APVLEIVS loquitur) *quæ sunt vtriusque*: qua posita, addit alteram his verbis: λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως κόσμος, *dicitur quoque aliter mundus* ἡ τῶν ὅλων τάξις ἐστὶ καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. prior definitio est Peripatetica; posterior vero Platonica aut Pythagorica, quas auctor ipse per vocem ἑτέρως discernit, atque significat, posteriorem definitionem non sibi, sed aliis esse vindicandam, in quibus Platoni ac Pythagoræ eorumque principiis maxime conuenit. quæ & caussa est, cur non solum legamus διὰ θεῶν φυλαττομένη, sed & verba ὑπὸ θεοῦ referamus ad διακόσμησιν. nota enim est

1 *de mundo cap. 2.* 2 *orat. p. 479. sqq.*

doctrina

doctrina Pythagoræorum & Platonicorum de *dæmonibus*, quo nomine proprie illi adpellantur, qui inter deos & homines sunt positi, & de quibus multa ex Pythagoricis fragmentis, ex Platonico Timæo, conuiuio, Epinomide ac libris de republica, PLOTINO, PORPHYRIO, IAMBLICHO, CHALCIDIO, MAXIMO TYRIO, PLVTARCHO, APVLEIO, MARTIANO CAPELLA, AVGVSTINO, MARSILIO FICINO aliisque colligi possunt. officium horum dæmonum erat, vt humana ad deos, & diuina ad homines referrent, hominum quippe preces & sacrificia ad deos; & deorum leges & sacra instituta ad homines. APVLEIVS [1] dicit: *dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiua, corpore aëria, tempore æterna*; & CHALCIDIVS: [2] *dæmon est animal rationabile, immortale, patibile, ætherium, diligentiam hominibus impertiens.* quorum dæmonum iterum varii constituti sunt ordines variaque genera, quod argumentum solide persequitur GOTTFRIED OLEARIVS. [3] prout autem diuersas habuerunt adpellationes, sic quoque vocati sunt θεοὶ ἀθάνατοι principio *aureorum carminum*, item tantum θεοὶ a PLATONE [4] PROCLO [5] PLOTINO [6] ANTONINO [7] MENANDRO [8] & aliis. atqui hi sunt, qui altera definitione de mundo, quando dicitur: καὶ διὰ θεῶν φυλαττομένη. probabili ratione indicantur, adeo vt integra definitio huius sit

1 *de deo Socrat. p. 78.* 2 *ad Timæum p. 227.* 3 *de genio Socratis p. 150. ed. latin. Stanleii hist. philos.* 4 *in Tim.* 5 *theol. Platon. l. 24.* 6 *Enn. III. lib. V. cap. 6.* 7 *XII. 26.* 8 *apud Plutarch. Platon. quæst. 1.*

senten-

ſententiæ: mundus complexu ſuo omnia ſingulari ordine atque ornatu continet, quæ a ſupremo numine ſunt conſtituta, a dæmonibus autem, ipſius adminiſtris conſeruantur & cuſtodiuntur. namque hi dæmones credebantur, quod non ſolum gentium aut vrbium, ſed hominum quoque eſſent præſides, quod actiones atque humanam vitam dirigerent, quod in poteſtate haberent aſtra, eorumque motum, quodue aliis rebus, imbribus, tempeſtatibus, frugibus præfecti. ſic dæmones adminiſtri erant ſummi numinis, & quemadmodum in ſacris ſcripturis ſpiritus dei miniſtri adpellantur *angeli*, etiam λειτȣργικὰ πνέυματα; [1] ſic dæmonibus quoque nomen *angelorum* adtributum fuiſſe, deprehendimus, id quod ARISTIDEM, PORPHYRIVM, SIMPLICIVM vſurpaſſe, teſtis eſt MERICVS CAVSABONVS: [2] conf. IO. ALBERTVM FABRICIVM. [3] ex his copioſe a nobis diſputatis efficimus concluſionem, quod hoc teſtimonium primum, quum definitionem mundi aut Platonicam aut Pythagoricam continet, illis nullo adiumento eſſe poſſit, qui Ariſtotelem recte ſenſiſſe de prouidentia dei, per illud probare contendunt.

§. VI. Quod ad ſecundum teſtimonium adtinet, tantum abeſt, vt tueatur Ariſtotelem, vt ipſius animum ac mentem de vi ac poteſtate prouidentiæ diuinæ non obſcure prodat. namque dicit: ἐι γὰρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ ἔιη ἂν ἔυλογον χάιρειν τε αὐτȣ̀ς τῷ ἀρίςῳ καὶ τῷ συγγενεςάτῳ·

1 *Hebr. I. v. 14.* 2 *ad M. Anton. III, 4.* 3 *bibliograph. antiqu. cap. 8. §. 26.*

τȣ̃το

τῦτο δ' ἂν εἴη ὁ νῦς, *nam ſi dii immortales curam habent aliquam rerum humanarum, quemadmodum veriſimile eſt: illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima ſibique maxime cognata delectari, hæc autem mens fuerit.* [1] en cognitionem tam nobiliſſimæ veritatis huius, quæ apud Ariſtotelem fuerit! pronuntiat quippe, probabile eſſe, deos curam rerum humanarum habere, ſatisque apertum indicium aut corrupti intellectus aut deprauatæ voluntatis profert in lucem. quod ſi enim certo ac firmo animo principalem comprehendiſſet veritatem, eſſe deum, auctorem totius vniuerſi; atque omnium rerum, quas videmus, quæue ſunt factæ, conſtantem eumque pulcerrimum ordinem diligenti ac ſana meditatione cognouiſſet; prouidentia dei ipſi non veniſſet in dubium. adhæc verba teſtimonii huius, deos præcipue delectari mente, τῷ ἀρίϛῳ καὶ τῷ συγγενεϛάτῳ, *veluti re omnium optima ſibique maxime cognata*, item quæ præmiſſa ſunt, quando dicitur: ὁ δὲ κατὰ νῦν ἐνεργῶν καὶ τῦτον θεραπεύων, καὶ διακείμενος ἄριϛα. καὶ θεοφιλέϛατος ἔοικεν εἶναι, *qui vero muneribus fungitur menti conſentaneis & hanc colit, eſtque optime animo affectus, eum probabile eſt, deo cariſſimum eſſe*; aliquid doctrinæ Ariſtotelicæ de intellectu agente ſapere mihi videntur, quam infra copioſius illuſtrare, induximus animum. multo minus tertio teſtimonio pretium aliquod ſtatuere poſſumus, quoniam verba hæc: ὐδεμία δὲ φύσις, αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα

1 *ethic. ad Nicom. lib. X. c. 9.*

τῆς

τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας, [1] non ex principiis philosophiæ Aristotelicæ, sed Pythagoricæ explicari debere, probabili ratione existimamus. primum enim auctor libri huius paullo ante dixit: ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος, καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ συνέστηκε, *vetus igitur sermo est, a maioribusque proditus inter omnes homines, vniuersa tum ex deo tum per deum constituta fuisse atque coagmentata*, iisque aperte significauit, hæc respicere ad vetustissimam doctrinam de dæmonibus, præcipue quum addit: διὸ καὶ τῶν παλαιῶν εἰπεῖν τινὲς προήχθησαν, ὅτι ταῦτά ἐστι πάντα θεῶν πλέα τε *quocirca veterum nonnulli eousque prouecti sunt, vt hæc omnia dictitarent deorum esse plena.* etenim doctrinæ de dæmonibus ætatem a longinquo tempore repetere possumus, siquidem monimenta historiæ philosophicæ confirmant, quod ista primis philosophiæ temporibus fuerit tradita. si fides habenda est oraculis, quæ Zoroastris nomen præ se ferunt, compertum tenemus, Chaldæos non solum credidisse dæmones, sed & diuersos illorum ordines constituisse, quorum præcipui erant *hyperarchii*, *Azoni Dii*, *Zonæi Dii*, *angeli*, *animæ*; munera autem, vt quidam ex illis totum mundum regerent; quidam regionis cuiusdam curæ præessent, etiam animas humanas, a corpore liberatas ad æternas transferrent sedes, vide THOMAM STANLEIVM. [2] eodem modo varia dæmonum genera posuerunt Persæ, de quibus videre possu-

1 *de mundo cap. 6.* 2 *histor. philos. oriental. lib. I. sect. 2. cap. 7. 8. sqq.*

mus THOMAM HYDE, [1] si autem scholas græcorum philosophorum perlustramus, deprehendimus in Ionica THALETEM *Milesium*, de quo præter PLVTARCHVM [2] testatur ATHENAGORAS, [3] quod tres spirituum classes fecerit, quarum prima *deos immortales*, secunda *dæmones* & tertia *heroes* complectatur; STOBAEVS vero tradit, [4] credidisse Thaletem, vniuersum aërem plenum esse dæmonum. cuius institutione quum vsus fuerit PYTHAGORAS, hausit quoque eandem doctrinam, & putauit, plenum esse πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν, *omnem aërem animarum*, teste DIOGENE LAERTIO. [5] eandem sententiam secutus est PLATO & ex romanis doctissimus VARRO, de quo dicit AVGVSTINVS: [6] *adiungit, mundum diuidi in duas partes, cælum & terram. & cælum bifariam, in æthera & aëra; terram vero in aquam & humum. e quibus summum esse æthera, secundum aëra, tertiam aquam, infimam terram. quas omnes partes quatuor animarum esse plenas in æthere & aëre immortalium, in qua & terra mortalium. a summo autem circuitu cæli usque ad circulum lunæ æthereas animas esse, astra ac stellas, easque cælestes deos non modo intelligi esse; sed etiam videri. inter lunæ vero girum & nimborum ac ventorum cacumina, aëreas esse animas, sed eas omnino non oculis videri & vocari heroas & lares & genios.* quapropter censemus, & hæc verba ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ, quæ vulgaris est scriptu-

1 *histor. religion. veter. Persar. cap. 19. 20.* 2 *de placit. philosoph. lib. I. c. 8.* 3 *apolog. p. 25.* 4 *eclog. physic. p. 2.* 5 *lib. VIII. segm. 32.* 6 *de ciuitate dei lib. VII. cap. 6.*

ra,

ra, συνέςηκε esse emendanda, ita vt pro διὰ θεȣ̃ legamus διὰ θεῶν, id est per dæmones, qua emendatione vox συνέςηκε respicit cum originem, quæ deo debetur, tum prouidentiam omnium rerum, qua fungantur dæmones. ita integra oratio, quæ libri huius de mundo capitis sexti principio extat, plane expedita est, nec illius sententia quadam obscuritate inuoluta. disserit quippe auctor ex principiis veterum philosophorum apud Chaldæos & Persas, præcipue Pythagoræ & Platonis, quod mundus ope & consiliis dæmonum regatur, sine quorum tutela nihil firmum esse possit, hinc & nonnulli adfirmauerint, omnia plena esse dæmonum, qui singulis partibus mundi, singulis naturarum generibus præsideant. verum enim vero si adhuc ponamus, Aristotelem opus hoc conscripsisse, quod tamen non est, etiam ex illis, quæ subsequuntur, colligere possumus, adductum testimonium haud valere ad tuendam ipsius hac in caussa dignitatem. nam quum auctor ex sua mente instituit disputationem, angustioris prouidentiæ diuinæ limites ponit, eiusque potestati cælum tantum subiicit.

§. VII, Tandem & locus ille, [1] quo Aristoteles ad similitudinem imperatoris ac patris familias de prouidentia dei disserit, nullum habet pondus, quem si penitus inspiciamus, manifestum erit, philosophum hunc non agere de benigna summi numinis cura. libri autem de *mystica Ægyptiorum philosophia*, ex quibus nonnulli Aristotelem excusare contendunt, quod in illis ingenii sui imbecillitatem in cognoscendis rebus diuinis ipse perceperit,

[1] *metaphys. lib. XII. cap. 10.*

non sunt Aristotelis, quamquam FRANCISCVS PATRICIVS [1] & ATHANASIVS KIRCHERVS [2] opus hoc ipsi adtribuunt. nam quum disseritur de deo, λόγῳ, anima, vniuerso, rerumque principiis, auctor ingenium non Peripatetica, sed Platonica sapientia præditum prodit, id quod pluribus persequitur IO. ALBERTVS FABRICIVS. [3]

§. VIII. Sic igitur Aristoteles male existimauit de prouidentia dei, quod per illius vim cælum tantum regatur, adeoque omnem summi numinis prouidam rerum humanarum mentem negauit. quam doctrinam coniunctam esse cum atheismo, facileque quemdam in pestiferum errorem, nullum esse deum, coniicere posse, quisque, qui sana vtitur ratione, fateri debet. quemadmodum atheus nullam admittit prouidentiam dei, id quod res ipsa docet; ita qui istam negat ac persuadet sibi, deum hominum saluti nec consulere nec prouidere ac prospicere, non multum differt ab atheo. nam si deum tantum ex admirabili, pulcerrimo & constanti ordine rerum naturalium cognoscimus, adeoque ex effectu efficimus conclusionem ad caussam primam; sane qui tollit prouidentiam dei, principem illius effectum remouet, quo constans ordo rerum naturæ nititur, eoque ipso impedit, quominus cognitionem dei, prout decet & naturæ diuinæ consentaneum est, quis sibi comparare queat. adhæc omnes, qui deum verum esse credunt, vti necesse habent, fateri ipsum consummata ac perfecta sapientia, benignitate & potentia esse

1 *prolegomen. ad suam edition.* 2 *præfation. paranetic. ad Obelisc. Pamphil.* 3 *bibl græca lib. III. cap. 6. §. 36.*

prædi-

præditum, id eſt dari prouidentiam diuinam, quæ dictis dei proprietatibus abſoluitur; ita quisque, qui dei prouidentiam aut plane negat, aut ab illius vi res humanas excludit, non poteſt, quin dei naturæ maximam iniuriam inferat. ſaltem huiusmodi homo, qui in tali errore verſatur, omne cultus diuini ac religionis fundamentum tollit. nam ſi remouetur prouidentia diuina, remouetur quoque timor atque amor dei, quem vtrumque adfectum gigni in mente noſtra per meditationem cum potentiæ, tum benignitatis dei infinitæ, ſatis eſt apertum. quum enim animus humanus ſentit atque intelligit, quod deus partim illos, qui voluntati diuinæ ſunt contrarii, & poſſit & velit grauiſſima adficere pœna; partim mortales incredibili proſequatur amore; hac præceptione motus oriuntur in voluntate, timor quippe atque amor dei. ſi autem quis omnem timorem dei atque amorem abiiceret, quomodo poſſet religionem obſequii colere, eaque, quæ ſanctiſſimis legibus cum præcepit, tum prohibuit, præſtare aut omittere? quapropter bene dicit SAMVEL L. B. de PVFENDORF: [1] *tertium eſt, deum tum in vniuerſum mundum, tum in genus humanum regimen exercere, id quod ex admirabili & conſtanti ordine, qui in hoc vniuerſo cernitur, liquido adparet. quoad effectum autem moralem perinde eſt, vtrum quis neget, deum exiſtere, an ab eodem humana curari; cum vtrumque omnem religionem plane tollat. fruſtra enim metuitur aut colitur, vtut in ſe ſit præ-*

1 *de offic. homin. & civ. lib. I. cap. 4. §. 4.*

ſtantiſſimus, qui nulla plane noſtri cura tangitur & nihil boni malique in nos vult, aut poteſt conferre; & IO. FRANCISCVS BVDDEVS: [1] *inter dogmata, quæ cum atheiſmo arctiſſimo quodam vinculo coniuncta ſunt, primum merito præcipuumque locum tenet negatio prouidentiæ diuinæ. quemadmodum enim atheus hanc non admittit, ita, qui eam negat, non multum ab atheo differt. ſaltem omne religionis cultusque diuini fundamentum tollit.*

§. VIIII. Superioribus de induſtria diximus, quod atheus prouidentiam dei non poſſit admittere, & qui iſtam neget, non multum differat ab atheo. qua ſententia declaramus perſpicue, nos minime illos pronunciare atheos, quod ſua mente, ſuo animo nullum deum credant, qui in errore de prouidentia dei verſantur, ſiquidem ſummum quoddam numen eſſe, ſibi perſuadere poſſunt, quamuis, id nullam rerum humanarum ac naturalium curam habeat. de cetero talis error facile viam ad atheiſmi vitium parare poteſt, ac cauſſa, ex qua oritur, ignorantia duplicis generis eſt. alia ignorantia eſt naturæ diuinæ, quum quamuis deum eſſe dicant, eiusmodi tamen deum animo & cogitatione fingant, apud quem nihil diuinitatis eſt, quoue omne prouidentiæ fundamentum tollitur, vt exempla veterum philoſophorum Ariſtotelis, Stoicorum, Epicuri id confirmant. alia vero ignorantia eſt diuinorum operum, cuius iterum variæ ſunt ſpecies, quum homines illorum partim naturam atque indolem, partim finem non eo modo, quo decet, cognoſcant adeoque occaſionem male de

1 *theſ. de atheiſm. & ſuperſt. cap. III. §. 1.*

pro-

prouidentia dei ſentiendi, captent. primum igitur genus talis ignorantiæ in eo poſitum eſt, quod putent, deum ita condidiſſe mundum, ut viribus naturæ omnia permiſerit; ipſe autem nihil curet, quo errore contraria ſibi & repugnantia ſtatuunt. nam vires naturæ eo ipſo ſunt vires naturæ, quod a potentia diuina dependent, ac deus cauſſa prima eſt motus, quem ceſſare, ſaltem perturbare neceſſe eſt, ſi deum nihil curare adfirmare velimus. virium autem naturæ fundamentum eſt motus, cuius nulla vis ineſt materiæ, quæ quum adhuc ſit bruta, motus autem definitus & ad certum finem directus, multo minus cauſſam ac conſeruationem motus ſibi poterit vindicare. ſecundum genus ignorantiæ eſt diuinæ intentionis, quam deus in producendis variis rerum naturalium ſpeciebus animo ſibi propoſuit. dicunt quippe multa reperiri in hoc terrarum orbe, quæ hominibus nullam adferant vtilitatem, ex quo ſequi putant, talia omni carere fructu adeoque caſu quodam fortuito originem habuiſſe, nec a deo omnium ſapientiſſimo, curam omnium rerum gerente eſſe profecta. hinc TITVS LVCRETIVS CARVS, [1] quum in eo eſt, vt oſtendat

nequaquam nobis diuinitus eſſe paratam
naturam rerum: tanta ſtat prædita culpa,

exempli loco hæc adfert:

principio, quantum cæli tegit impetus ingens
inde auidam partem montes, ſiluæque ferarum

1 *lib. V. de rerum natura p. 154.*

possedere, tenent rupes, vastaeque paludes, & mare, quod late terrarum distinet oras;

cuiusmodi argumentum aduersus prouidentiam dei satis est leue, vt ostendit IO. FRANCISCVS BVDDEVS.[1] tertia ignorantia est verorum bonorum, quae efficit, ut saepe putemus bonum, quod malum est, saepe malum id, quod bonum est. vera bona hominis sunt, ex quorum fructu vera illius felicitas nascitur, vti ratione corporis est sanitas, ratione intellectus veritas & ratione voluntatis virtus, quae principem tenet locum; honores autem, diuitiae & alia commoda ad voluptatem spectantia, sua natura neque sunt bona, neque mala; sed vt fiant aut bona, aut mala, id dependet ab illorum vsu, prout aut rationi est consentaneus, aut illi aduersatur. quod quum ita est, sicuti est, facile iudicare possumus, quis ex mortalium genere vere sit felix? atqui homo sanitate, facultate verum ac falsum cognoscendi, virtutisque ornamento praeditus multo felicior ducendus est, quamuis nulla fruatur dignitate honoris summaque adflictus sit paupertate, quam ille, qui omni honorum genere conspicuus, atque diuitiarum copia abundet; male autem se habet ipsius aut corpus per morbos, aut intellectus per errores, aut voluntas per vitia & studium erga pravos mentis affectus. ita autem haec tria eaque vera bona sunt comparata, vt alterum altero sit praestantius, & ex illis virtus principatum sibi vindicare debeat, quapropter dicere possumus, quod homines, qui virtutibus ac praecipue pietate animum su-

1 *thesib. de atheis. & superstition. cap. VII, §. 1, p. 548.*

um

um exercent ſedulo, omnium ſint feliciſſimi, ac vera felicitate, id eſt animi tranquillitate perfruantur; alii contra, qui laudem ſuam in vitiorum ſtudio ponunt adeoque tranquilla carent mente, non poſſint non eſſe miſerrimi. ex quibus patet, quantum pretium ſtatuendum ſit illi argumento, quod improborum proſperitates ſecundæque res, piorum autem calamitates vim prouidentiæ diuinæ redarguant. quæ quæſtio iam ab antiquiſſimis temporibus etiam ſanctorum hominum animos ac philoſophorum ingenia exercuit, prout iſta pluribus exponitur libro IOBI, & SENECAE opere de prouidentia, qua diſputat: *quare bonis viris mala accidant, cum ſit prouidentia?* quarta ignorantia eſt naturæ miraculorum, quum multi perſuadeant ſibi, deum facere miracula propter leuiores cauſſas, hinc & mediocri incommodo adflicti eiusmodi auxilium a ſupremo numine efflagitant. quo contra ordinarias vires naturæ agere neceſſe haberet. at vero quum illis deus non occurrit, neque in precibus, neque in optatis, neque in votis, male de ipſius prouidentia ſentire eamque vocare in dubium inſtituunt, nec credunt, ſe tutela diuina ſatis eſſe munitos, ſi ipſis ſint panis & aqua cum viliſſimo corporis tegumento. quamuis enim nec ex indole miraculorum, nec ex cognitione naturali naturæ diuinæ pateat, num deus velit frequentiora, an rariora edere miracula? experientia tamen ſatis & ſuper teſtatur, quod in rebus maximi momenti, exempli gratia in prohibendis bellis iniuſtis, hæreſibus perraro vlla indubitata faciat miracula; hinc efficimus concluſionem, deum niſi

ob grauissimas caussas, miracula non efficere, confer ANDREAM RVDIGERVM.[1] tandem etiam ignorantia originis mali argumentum aduersus dei prouidentiam suppeditat, quod exposuit pluribus & confutauit feliciter IO. FRANCISCVS BVDDEVS.[2]

CAPITIS III.

DE

ATHEISMO ARISTOTELIS THEORETICO.

SECTIO III.

DE

OPINIONE ARISTOTELIS AD NATVRAM ANIMAE HVMANAE SPECTANTE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *sententia Aristotelis de anima, vbi variae sententiae commemorantur de entelechia* §. II. *explicatur ipsius definitio animae atque reiicitur* §. III. *speciatim Aristotelis opinio de intellectu agente* §. IIII. *quae comparatur cum aliorum philosophorum sententiis.* §. V. VI. *locus Aristotelis de spiritu vitae attingitur* §. VII. *fit conclusio de impia hac doctrina* §. VIII.

§. I. Merito perlustramus Aristotelis doctrinam de anima humana, quoniam illius consideratio cognitionem, quam per vires naturae

1 *physic. diuin. lib. I. cap. I. sect. 5. §. 136.* 2 *thes. de atheism. & superstit. cap. III. §. 1. p. 246. cap. VII. §. 1. p. 549.*

nobis

nobis comparamus de deo, adiuuare multum poteſt, adeoque etiam ad diſputationem de atheiſmo Ariſtotelis illuſtrandam valet. hanc autem differendi ſequamur rationem, vt primum philoſophi huius ſententiam de indole animæ humanæ generatim; deinde de intellectu agente ſpeciatim exponamus, & quanta illi inſit dignitas, explanemus.

§. II. Conſcripſit Ariſtoteles tres libros de anima, quorum primo veterum philoſophorum hoc de argumento ſententias ad examen reuocat, poſtquam iſtos præcipue capite ſecundo commemorauerat, quod ſcilicet Democritus, Pythagoræi & Anaxagoras dixerint, animæ naturam abſolui *motu*, Empedocles & Plato *cognitione*, alii *vtroque*; item nonnulli iſtam in eo poſuerint, quod *corporis ſit expers*, vel quod ſit *ſubtiliſſimum corpus*; Thalesque adfirmauerit, eſſe *rem quæ ſeſe moueat*; Diogenes *aërem*, Heraclitus *exhalationem immortalemque ſubſtantiam*; Hippo *aquam*, *ſanguinem* Critias. ſecundo autem libro tractat Ariſtoteles de anima ſenſitiua & tertio de anima rationali, confer IO. ALBERTVM FABRICIVM[1] & THOMAM STANLEIVM[2] quod ad ipſius ſententiam de anima adtinet, oſtendit ante omnia, quod ſit ſubſtantia, & deinde dicit: διὸ ψυχὴ ἐςιν ἐνλελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. τοιοῦτον δὲ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικὸν, [3] quæ definitio, præcipue autem vox ἐνλελέχεια omni ætate philoſophorum ingenia exercuit. ſiue enim reſpicias illius originem, ſiue ſcripturam, ſiue ſignificationem,

1 *bibboth. græc. lib. III. cap. 6. §. 14.* 2 *hiſtor. philoſ. p. 466. edit. latin.* 3 *de anima lib. II cap. I. p. 486. tom. I. opp.*

quod

quod princeps est momentum, vbique diuersitatem deprehendimus opinionum. atqui CICERO [1] de Aristotele scribit: *ipsum animum ἐνδελέχειαν adpellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem*, quæ interpretatio multis minime placet, vide CHRISTOPHORVM SCHEIBLERVM [2] de HERMOLAO BARBARO relatum legimus, quod malum genium euocauerit, vt illius ope ad cognitionem vocis huius ἐντελέχεια perueniret, quam & iste per *perfecti habia* explanauerit; sed hæc indubitata est fabula, quam a BODINO profectam esse, confirmat GABRIEL NAVDAEVS, [3] cuiusmodi quoque apud PLINIVM [4] deprehendimus, quod APPION *grammaticus* de patria Homeri cognoscenda sollicitus dæmonem hunc consuluerit. SCALIGER [5] existimat, vocem hanc compositam esse partim ex ἐν, quia sit in omnes artus infusa, & ita pars compositi: partim ex τέλος, quia sit finis & perfectio; partim vero ex ἔχειν quia possit producere omnes operationes & motus, confer COELIVM RHODIGINVM. [6] nostra ætate GODOFREDVS GVILIELMVS LEIBNITIVS [7] de nomine hoc disputauit, cuius notionem, qua actum permanentem seu *formam substantialem* significet, non penitus esse abiiciendam putauit, quam & sententiæ, cui ipse de anima est addictus [8] adcommodauit, prout quoque

1 *Tusculan. lib. I. cap.* 10. 2 *de anima part. I. p.* 2. 3 *apolog. viror. mag susp. cap* 13. 4 *hist. nat. lib. II c* 30. 5 *exerc.* 80. *sect.* 3 307. *sect.* 12. 39. 6 *antiquar. lection. lib. II c.* 1; . 22. 7 *libro essais de Theodicée part* I. §. 87. 8 *in theoria motus abstracti apud hypothes. physic. nou. confer. Iaquelot conformité de la foy auec raison p.* 381. *sqq.*

hoc

hocde argumento litteras conſcripſit ad BOVVETIVM & PELISSONIVM.[1]

§. III. Id ſatis apertum eſt, quod Ariſtoteles intellexerit per *formam* principium agendi, quam & materiæ, cuius indoles fert, vt ſemper patiatur, oppoſuit; nec negari poteſt, ipſum adfirmaſſe, animam eſſe ſubſtantiam, ſiquidem dicit: *ἀναγκαῖον, τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι*, *neceſſe eſt, animam eſſe ſubſtantiam*, quæ ſubſtantia ex ipſius opinione eſt *πρώτη ἐντελέχεια* *primus actus*, vt hæc vox a plurimis explicatur, qui actus quum ſit complementum potentiæ, de induſtria per hoc græcum vocabulum, quod perfectionem reſpiciat, ſignificetur. ex quibus conſequi putamus, Ariſtotelem hac definitione nihil aliud dixiſſe, quam quod anima ſit quædam potentia, ſiue vt alii loquuntur, *vis quædam actiua*, a qua actiones corporum viuentium dependeant. excuſent autem alii, aut defendant aut interpretentur, quacunque velint ratione Ariſtotelem; nos plane talem definitionem ieiunam, aridam & huiusmodi magno philoſopho indignam eſſe iudicamus. primum enim iſta pro more metaphyſicorum eſt conſtituta, vt quidquid ſentiamus de anima, cum illa poſſit conciliari, ſiue dicamus iſtam eſſe ſubſtantiam, ſiue accidens; ſiue corpoream, ſiue corporis expertem, ſiue compoſitam ex elementis, ſive minus. hinc quoque talis anima, quæ eſt *primus actus corporis phyſici organici*, non ſolum homini & bruto, ſed & plantis adtribui poteſt, ſiquidem & plantæ habent organa, quamuis valde ſimplicia, prout

1 *vid. miſcellan. p.* 113. 316. 352. 340.

ipſe

ipse dicit: [1] ὄργανα δὲ καὶ τὰ τῶν φυλῶν μέρη· ἀλλὰ παντελῶς ἁπλᾶ, *enimuero partes quoque plantarum instrumenta sine controuersia sunt, quamuis videantur penitus simplices esse.* secundo definitio hæc ita est comparata, vt de nullo alio spiritu, quam *incompleto*, vt in scholis metaphysicorum dicitur, intelligi queat, hinc & dicit: [2] καὶ διὰ τοῦτο καλῶς ὑπολαμβάνουσιν, οἷς δοκεῖ, μήτε ἄνευ σώματος εἶναι, μήτε σῶμά τι ψυχή, *idcirco recte admodum putant illi, quibus anima neque esse sine corpore, neque corpus aliquod esse videtur*, id quod quam alienum sit a veritate, quod anima debeat esse necessario in corpore organico, vel ex ipsius immortalitate patet. tertium hæc, quæ Aristoteles de anima dicit, de sic dictis spiritibus animalibus, si corpus ratione mechanica mouent, dici possunt, vt pluribus ac solide demonstrauit ANDREAS RVDIGERVS. [3]

§. IIII. At fortasse dicis, Aristotelem credidisse, hominem præditum esse non solum anima, sed & mente, vt illam cum brutis habeat communem; hanc autem sibi propriam, ad eaque illa fungatur muneribus motus corporis conseruandi; hæc autem in cognoscendis rebus atque intelligendis versetur. ita se res omnino habet, quod philosophus inter ψυχὴν & νοῦν, *animam* & *mentem* posuerit discrimen, quod explanare & inde conclusionem de impia hacce opinione conflare, induximus animum. atqui omnes, quibus Aristotelis doctrina perspecta est, satis habent compertum, quod iste cum mentis, tum animæ

1 *de anima lib. II. cap. I. p.* 486. *t. I. opp.* 2 *de anima lib. II. cap.* 2 *p.* 488. 3 *physic. diuin. lib. I. cap.* 4. *sect.* 1.

mæ faciat mentionem atque alteram diſcernat ab altera. at vero id inprimis deductum fuit in diſceptationem & controuerſiam, num exiſtimauerit, quod mens peculiaris ſubſtantia eaque diuerſa ab anima, an facultas tantum ab alia eiusdem animæ facultate ratione potius, quam re ipſa diſtincta? quod poſterius momentum ex philoſophis æui recentioris ANDREAS RVDIGERVS [1] adfirmat, exiſtimans, Ariſtotelem per mentem non diuerſam ab anima ſubſtantiam; ſed intellectum ac præcipue iudicium vſu perpolitum intellexiſſe, atque vt placeret populo, de mente, quæ diuina ſit, ediſſeruiſſe. a qua viri huius ſententia non poſſumus, quin diſcedamus, grauioribus permoti argumentis. etenim quum diſputat de mente atque anima, ſeu intellectu *agente* & *patiente*, [2] confirmat atque perſpicue profitetur, quod ille ſit immortalis, isque ſolus: μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστι, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον, *ſolum quod eſt, atque id ſolum eſt immortale perpetuumque*; hic autem mortalis. quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, ſane vna eademque anima non poteſt eſſe ab vna parte mortalis; ab altera vero immortalis, vt adeo plane nobis perſuadeamus, Ariſtotelis ſententia mentem peculiarem eamque ab anima diſtinctam ſubſtantiam fuiſſe. verum enim vero de eo adhuc diſpiciendum eſt, quid per mentem, ſeu intellectum agentem intellexerit Ariſtoteles? qua quæſtione inprimis obſeruandum eſſe putamus, quod intellectus hic ab Ariſtotele adpelletur εἶδος εἰδῶν *forma formarum*, [3] item

1 *phyſic. diuin. lib. I. cap. 4. ſect. 1 §. 8. 9.* 2 *de anima lib. III. cap. 5. p. 504. t. I, opp.* 3 *de anima lib. III. cap. 8.*

τόπος

τόπος εἰδῶν locus formarum, seu specierum; [1] quodue alibi [2] dicat: δῆλον δὴ ὥσπερ ἐν τῷ ὅλῳ θεὸς, καὶ πᾶν ἐν ἐκείνῳ. κινεῖ γάρ πως πάντα τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον. λόγου δ' ἀρχὴ οὐ λόγος ἀλλά τι κρεῖττον, *patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est deus, & vicissim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine. rationis autem non ratio, sed præstantius quidpiam est principium.* ad quorum verborum sententiam quum prouocasset IVL. CAESAR SCALIGER [3] summa ductus admiratione exclamat: *quid ais diuine vir? est in nobis aliquid diuinum, quod sit præstantius ipsa ratione? quum homo sit rationalis per intellectum, eritne in intellectu quidpiam diuinius? an tibi quoque fuerunt ipsi radii spiritus sancti, cuius pietate voluntas humana dirigatur?* atqui in eo plerique consentiunt, Aristotelem nomine *intellectus agentis* significasse quandam intelligentiam numero vnicam, quæ omnibus, quos terrarum orbis ferat, hominibus id præstet officium, quod sol luce sua ad videndum. Sed quæ nam sit illa intelligentia, in eo discrepant auctores suis sententiis. nam alii intelligunt primam intelligentiam, seu deum ipsum, prout græcorum interpretum facile princeps ALEXANDER *Aphrodisiensis* [4] aperte professus est, hunc intellectum agentem esse deum; & SONERVS, [5] qui & magnum sibi fecit locum inter Peripateticos, contendit, istum a deo Aristotelis differre neutiquam. alii vero persuadent sibi, munus intellectus agentis obire intelligentiam, quæ or-

1 *ibid. cap.* 4. 2 *eod. lib. VII. cap.* 14. *tom. II opp. p.* 116. 3 *exerc.* 307. §. 25. 4 *lib. II. c.* 15. *de anima & alibi.* 5 *lib. V. metaph. cap.* 6.

bi

bi lunæ præſit, quam opinionem fouet ALGAZEL; ſic & ſunt, qui intellectum agentem peculiarem intelligentiam eamque generi humano propriam eſſe dicunt. qua ſententia intelligentia lunæ adhuc eſſet ſuperior intelligentia intellectus agentis. confer FORTVNIVM LICETVM, [1] IACOBVM THOMASIVM, [2] IO. IACOBVM SYRBIVM. [3]

§. V. Si igitur intellectus agens Ariſtotelis eſt intelligentia quædam; ſuperioribus autem ſatis perſpicue expoſitum, philoſophi huius opinionem fuiſſe, deum ſupremo cælo, & reliquas intelligentias aliis orbibus præeſſe tantum per modum *formæ aſſiſtentis*; facile exinde iudicare poſſumus, & hunc intellectum ſeu animam generis humani eſſe *aſſiſtentem*. id quod ipſe Ariſtoteles perſpicuis verbis fatetur, quando dicit: [4] λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, *reſtat igitur, vt mens* (intellectus agens) *ſola forinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit*; quæ adpellatio θύραθεν νοῦς etiam apud alios ex ſententia Ariſtotelis deprehenditur, ARISTIDEM QVINCTILIANVM, [5] GREGORIVM NAZIANZENVM. [6] vt autem omnia pateant clariora, ac inprimis cognoſcamus, quo præcipue momento hac in re Ariſtoteles diſceſſerit ab aliis philoſophis, horum ſententias breuiter attingere, non ab re eſſe ducimus. atqui non ſolum philoſophiæ magiſtri apud paganos, ſed & Ebræi & ex chriſtianorum ordine quidam de hominis facultate intelligendi exiſtimaſſe male dicuntur. quod ipſi Ebræi er-

1 *de intellectu agent.* 2 *de Stoica mundi exuſtion. diſſ. XIIII.* §. 154. 3 *philoſ. prim. p.* 435. 4 *de generat. anim. lib. II. cap.* 3. *p.* 819. *t. I. opp.* 5 *lib. III. de muſic. p.* 134. *edit. Meibom.* 6 *orat. de ſpirit. ſanct. p.* 220.

roribus de intellectu agente se admiscuerint atque implicuerint, ostendit IO. SELDENVS,[1] qui quum obseruauerit, præcepta naturæ vocari a R. SIMEONE מצות שכלוית *præcepta intellectiua*, addit: *nimirum ex debita intellectus humani operatione & assidua intellectus agentis (qualisnam is illis sit, statim ostendimus) ope & auxilio ea, quæ sic imperata sunt, seu naturaliter habentur obseruanda, vt & principia cetera omnia & conclusiones, circa quas versatur intellectus humanus, indicari, dignosci, & veluti intus legi (quatenus scilicet dignoscuntur) innuunt.* intellectus autem agens ipsis est aut summum numen, aut præcipue recentioribus Iudæis intelligentia omnium postrema, ita ut ipsum deum apud Ebræos; intelligentiam vero apud alios homines munere hoc fungi afferant, quæ intelligentia vi atque auctoritate a summo numine deriuata mentem humanam in actu intelligendi illuminet. de vtroque intelligunt verba illa: *in lumine tuo videbimus lumen*, [2] quæ MOSES MAIMONIDES [3] ita interpretatur: אשר ישפע ממך כשפע השכל *per influentiam intelligentiæ, quæ a te fluit.* diuidunt autem Iudæorum Cabbalistæ ipsam animam in tres partes, quarum prima sit *Nephesch* s. *psyche*, secunda *Ruach* seu *spiritus*, & tertia *Neschamach* seu *mens*, quæ mens sit profecta ex natura diuina adeoque pars mentis diuinæ, vide KNORRIVM a ROSENROTH, [4] IO. GEORGIVM WACHTERVM, [5]

1 *de iure nat. & gent. iuxta disciplinam Ebr. lib. I. cap.* 9.
2 *Psalm. XXXVI,* 9.   3 *more neuoch. part. II. cap.* 4.
4 *Cabbal. denudat. tom. I. part.* 2. *p.* 393.   5 *elucidat. Cabbalist. cap.* 3. §. 4.

IO. AN-

IO. ANDREAM EISENMENGERVM. [1] quod ad philoſophos paganos adtinet, primum heic commemorantur Chaldæi, qui etiam mentem ab anima diſtinctam eſſe voluerint, vt pateat ex oraculis, [2] quæ ZOROASTRIS nomen præ ſe ferant:

Σύμβολα γὰρ πατρικὸς νόος ἔσπειρε ταῖς ψυχαῖς
Ερωτι βαθεῖ ἀναπλήσας τὴν ψυχὴν,
Καἰέθετο γὰρ νοῦν ἐν ψυχῇ, ἐν σώματι δὲ
Ὑμέας ἐγκατέθηκε πατὴρ ἀνθρῶν τε θεῶν τε,

Symbola enim paterna mens ſeminauit in animabus,
amore profundo replens animam.
repoſuit enim mentem in anima, in corpore vero
vos depoſuit pater hominumque & deorum;

quam mentem ex dei natura atque eſſentia deductam eſſe crediderint. hinc PSELLVS [3] dicit: *animarum humanarum duplicem cauſſam ponunt, e fonte perenni promanantem, paternam nempe mentem & animam fontanam; prodit autem vt illi volunt, particularis anima a fontana iuxta patris voluntatem, & habet eſſentiam per ſe generatam & animatam, aliunde enim non mouetur. nam ſi, vt in oraculo fertur, ignis diuini pars eſt & ignis lucidus atque paternæ mentis conceptus, profecto forma eſt materiæ expers & per ſe ſubſiſtens. illa enim omnia cum natura diuina communicant, cuius particula eſt anima*: confer PLETHONEM, [4] MARSILIVM FICINVM, [5]

1 *in entdeckt. Iudenthum Part. I. cap. I. p. 54. p. II. c. I. p. 9.*
2 *v. 217. ſqq.* 3 *ſumm. expoſ. dogmat. Chaldaic. p. 111.* 4 *ſchol. in oracul. p. 89.* 5 *de immortalit. anim. lib. X. c. 8.*

IVSTVM LIPSIVM, [1] præter quos a nonnullis in societatem huius doctrinæ vocantur Pythagoras & Plato: de priore dicit CICERO [2] *nam Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo nostri animi carperentur*, (ita legit DAVISIVS, [3] quoniam hæc loquendi formula magis conueniat cum mente VELLEII, ac significet, mentes nostras numinis esse frusta quædam lacera particulasque vi quadam auulsa) *non vidit distractione humanorum animorum discerpi & lacerari deum.* adde LACTANTIVM, [4] MINVCIVM FELICEM, [5] PLVTARCHVM. [6] idem quoque sensit PLATO, quod mens humana ex deo emanauerit, adeoque sit particula essentiæ diuinæ. namque statuebat, tres esse deos, ex quibus primum locum teneat *deus summus*, secundum *mens*, tertium *anima*, per quam animam intelligebat spiritum huius vniuersi orbis, qui per oculos corporis nostri percipiatur. atqui hunc spiritum vniuersi credebat, fontem esse reliquarum animarum, vt perspicue ostendit NEMESIVS, [7] quando dicit: *Plato & vnam & multas animas adfirmat. vnam enim esse huius vniuersi animam, esse etiam alias rerum singularum, vt vniuersum vniuersi anima separatim animatum sit, itemque separatim res singulæ sua quoque anima sint præditæ. dicit enim, vniuersæ naturæ animam porrectam esse a centro orbis terræ vsque ad extremas oras cæli, non equidem vt*

1 *physiol. Stoic. lib. II. c.* 10. 2 *de natura deorum lib. I. cap.* 11. 3 *p.* 27. 4 *inst. diuin. lib. I. cap.* 5. 5 *Octau. cap.* 19. 6 *de placitu phil. lib. II. c.* 13. 7 *de natur. homin. cap.* 2, *fol.* 576.

locum

locum ista notet porrectio, sed extensionis quemdam modum, quem mens & ratio assequatur, atque hanc esse animam, quae in orbem rerum vniuersitatem contorqueat, mundique corpus contineat atque constringat. hanc esse volunt animam, quae gubernat vniuersa & singulas animas, quae tamen iam antea a deo factae sint, in corporibus includat, cum deus illi leges dederit, quibus hunc mundum administret. sicque anima mundi Platonis erat ipsius essentiae diuinae, ex qua quum animae rerum singularum tractae sint atque haustae, facile ex his colligere possumus, quod ex opinione Platonis quaelibet anima fuerit depromta de mente atque natura diuina, vt pluribus demonstrarunt IO. BAPT. CRISPVS, [1] IACOBVS THOMASIVS, [2] IACOBVS BASNAGIVS [3] aliique, quorum supra iam fecimus mentionem. sed si speciatim doctrinam de intellectu agente respiciamus, neque de Pythagora, neque de Platone affirmari posse, existimamus, quod in talem sententiam fuerint ingressi. etenim Pythagoras, vt ex testimonio CICERONIS, superioribus producto adparet, tantum credidit animos humanos diuisos & quasi discerptos fuisse ab animo per naturam rerum omnem intento & commeante, quem animum adpellat DIOGENES LAERTIVS [4] *aetherem*, quod scilicet philosophus hic dixerit, animam esse ἀπόσπασμα αἰθέρος, *auulsionem aetheris*, etiam immortalem, quoniam id, a quo sit auulsa, immortale sit, quae opinio a

1 *de ethn. caute legendis distr. 1. lib. 8. fol. 59 sqq.* 2 *de Stoic. mundi exustion. differt. XXI.* 3 *histoir. des Iuifs t. III. liur. 4. chap. 3. sq.* 4 *lib. VIII. segm 28.*

ſententia Ariſtotelis de intellectu agente plane diuerſa eſt. nam Ariſtoteles mentem ſeu intellectum agentem diſtinguit ab anima atque aſſerit, illam eſſe immortalem, hanc vero mortalem, quorum neutrum in Pythagoræ philoſophia deprehendimus. nec Plato quidquam doctrinæ de tali intellectu cum Ariſtotele commune habere videtur, quum præter animam, quam particulam eſſentiæ diuinæ, etiam immortalem, quamuis peruerſo ſenſu eſſe credidit, nullibi de huiuſmodi ſpiritu aut anima, quæ officium intellectus agentis faciat, diſputauit. equidem IO. SELDENVS [1] ipſum huc refert prouocatque ad locum quemdam, [2] vbi intellectum agentem diuinitus animas noſtras illuminantem comparauerit cum ſole, cuius verba latine tantum breuitatis cauſſa proferamus: *ſolem quidem dicis, vt arbitror, iis, quæ videntur, non modo videndi præbere potentiam, verum etiam generationem, augmentum, nutritionem, quum ipſe tamen generatio non ſit. atque ita dicas, bonum iis, quæ cognoſcuntur, dare, non modo vt cognoſcantur; ſed eſſe inſuper & eſſentiam largiri, quum ipſum eſſentia non ſit, ſed ſupra eſſentiam dignitate ipſum & potentia ſuperans;* ſed tantum abeſt, vt his verbis quidquam præſidii contineatur, vt contrarium ex illis poſſit probari. quin etiam Ariſtoteles vnum intellectum agentem poſuit, quem omnes mortales habeant communem; ſed Plato ſingulis hominibus peculiarem vindicauit animam. quumue oracula Zoroaſtris, quæ a PLETHONE, PSELLO ac FRANCISCO PATRICIO

1 *cit. loc.* 2 *lib. VI. de republic.*

colle-

collecta sunt, dubiam fidem lubricamque auctoritatem præ se ferant, nihil certi de Chaldæorum sententia definiri potest: ac quamuis minus negauerim, vestigia quædam philosophiæ orientalis ibi inueniri; illud tamen exinde tantum patet, quod mentem ab anima separauerint, eamque ex dei essentia emanasse sibi persuaserint. sed hæc duo momenta: num mens distincta ab anima sit essentiæ diuinæ? & num præter animam detur adhuc intellectus agens, minime sunt perturbanda.

§. VI. Restat, vt Stoicorum quoque intueamur sententias de anima, ac speciatim de intellectu agente, quippe quem philosophos hos hominibus vindicasse, multi existimant. cuius rei inter alios testem producunt DIOGENEM LAERTIVM [1] qui ex doctrinis Stoicorum referat, animam hominis esse φθαρτὴν, *corruptioni obnoxiam.* τὴν δὲ τῶν ὅλων, ἄφθαρτον, ἧς μέρη εἶναι τὰς ἐν τοῖς ζώοις. sed testimonium hoc rei probandæ minime sufficit, siquidem tantum doctrinam de anima seu spiritu mundi, qui est deus, & vnde anima humana auulsa sit, attingit, quæ opinio de spiritu mundi non plane eadem est ac sententia de intellectu agente. namque anima iuxta Stoicos est pars dei & totius mundi: hinc SENECA [2] dicit: *animus deos æquat, illuc tendit originis suæ memor*: item: *quid est autem, cur non existimes, in eo diuini aliquid existere, qui dei pars est? totum hoc, quo continemur, & vnum est, & deus & socii eius sumus & membra*: confer IVSTVM LIPSIVM [3] & IACO-

1 *lib. VII. segm.* 156. 2 *epist.* 92. *it.* 102. 3 *physic. Stoic. lib. III. cap.* 8.

BVM THOMASIVM [1] alii obſeruant, Stoicos ſtatuiſſe in homines præter animam quoque mentem, hinc ANTONINVS [2] dicat: *τρία ἐστὶν, ἐξ ὧν συνέστηκας σωμάτων, πνευμάτων, νοῦς, tria ſunt, ex quibus conſtas, corpus, anima, mens.* ſed nondum patet, num mens contineat intellectum agentem, quod nonnulli adfirmant, an deus ipſe officium faciat huius intellectus, & menti lumina præferat, confer IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [3] quapropter plane mihi perſuadeo, quod Stoicorum doctrina de anima neutiquam inter ſe cohæreat, quin etiam repugnantia ſibi & contraria complectatur. eſto autem: crediderunt intellectum agentem, ſiue hunc tribuamus menti ſiue deo; minus tamen ſententia hæc ex Stoicorum ſcholis cum Ariſtotelica poteſt conciliari. etenim Stoicis deus erat mundi forma informans, Ariſtotelis autem forma aſſiſtens, vt ex ſuperioribus adparet.

§. VII. Extat adhuc locus hic apud Ariſtotelem: [4] *γίνεται δ' ἐν γῇ καὶ ὑγρῷ τὰ ζῶα καὶ τὰ φυτὰ, διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ θερμότητα ψυχικὴν, ὥστε τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη. generantur autem in terra humoreque animalia & plantæ, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in vniuerſo ineſt, ita vt quodam modo plena ſint animæ omnia*; in quo nonnulli animam mundi Ariſtotelis ſe inueniſſe, ſibi videntur, eamque cum intellectu agente confundunt. at vero quæcunque ſit illa

1 *de Stoica mundi exuſtion. diſſ. XXI. §. 8.* 2 *lib. XII. §. 3.* 3 *analect. hiſt. phil. p. 137. ſqq. parerg. hiſt. theol. p. 492.* 4 *de generat. animal. lib. III. cap. II. p. 845. t. I. opp.*

ani-

anima mundi, plane tamen ab intellectu agente Aristotelis distinguenda est. etenim intellectus agens est ex numero intelligentiarum, veluti adsistens forma; θερμότης ψυχική autem penitus insita est materiae, veluti forma informans: & prout ille praeest cogitationibus hominum; ita haec regit ac gubernat viventium generationes, id quod pluribus persequitur IACOBVS THOMASIVS. [1]

§. VIII. En indolem animae ab Aristotele expositam! primum miramur, Aristotelem virum acuta iudicii facultate praeditum, tam ieiuna tradidisse de natura animae humanae, quae ita sunt comparata, vt ipsius indolem genuinam plane euertant. idem fere fuisset, ac si hominem omni anima destitutum pronunciasset, praesertim quum intellectus agens, a quo cognitiones rerum pendeant, a nobis penitus sit seiunctus. adhaec vero, quum verior mentis nostrae cognitio magno nobis adiumento esse possit, vt veriora quoque de deo sentiamus, quis dubitaret, talem Aristotelis sententiam non penitus immunem esse impietatis? quisque saltem atheorum huiusmodi de indole mentis hominum doctrinam admittere potest, quamuis summum esse numen, neget praefracte. nam Aristotelis anima nullo alio fungitur munere, quam vt efficiat motus, cuiusmodi etiam in animalibus, quae rationis beneficio carent, item in plantis deprehenduntur, & facile a vi quadam materiae insita deduci possunt. si mortalis cogitat, ac quidem pro ratione iudicii, id non ab animae humanae viribus, sed intellectus agentis ope proficiscitur,

[1] *de Stoica mundi exustion. diss. XIII. §. 169.*

 quip-

quippe qui extra hominem sit constitutus. sic discrimen inter hominem ac brutum animal remouetur, quod inprimis in iudicii potestate ac vi positum est, siquidem satis compertum habemus, esse quoque bestias, quibus natura præter sensum ac motum dedit memoriam atque ingenium. verum enim vero maiorem adhuc lucem rei huic adferamus, si & Aristotelis opinionem de immortalitate animæ explanemus.

CAPITIS III.

DE

ATHEISMO ARISTOTELIS THEORETICO.

SECTIO IIII.

DE

OPINIONE ARISTOTELIS AD IMMORTALITATEM ANIMAE HUMANAE SPECTANTE.

Σ Υ Ν Ο Ψ Ι Σ.

Dicendorum summa §. I. *variæ auctorum sententiæ proferuntur de Aristotele, quid senserit de immortalitate animæ* §. II. *probatur, ipsum hanc veritatem negasse* §. III. *illustratur hoc per exempla discipulorum ac sectatorum ipsius* §. IIII. *fit conclusio de impia hac sententia* §. V.

§. I. Quum perspecta sit & cognita Aristotelis doctrina de indole animæ humanæ, etiam ex superioribus constet, quid sentiat de ipso deo;

deo; facile ipsius opinionem de mentis nostræ immortalitate capere possumus. etenim vt anima nostra semper permaneat atque omnis expers sit corruptionis, id efficit partim dei voluntas, partim ipsius indoles, a qua pro ordinaria virium naturæ ratione omnis finis atque interitus longe abest. quæ veritas, quod anima sit immortalis, prout magni est ponderis, siquidem cultum nostrum erga deum multum potest iuuare & confirmare, ita male sana sententia in tam grauissimo momento non mediocre adfert detrimentum & hominibus viam ad impietatem mentis parare potest. quapropter consultum esse duximus, etiam hac in re Aristotelis philosophiam reuocare sub censuram.

§. II. Æuo cum vetustiori, tum recentiori disputatum fuit in vtramque partem: qua gloria, quaue fide in hac doctrina explananda se præstiterit Aristoteles? fuerunt, quorum reprehensionem philosophus hic minus effugere potuit. vt silentio dimittamus antiquiores, ATTICVM *Platonicum*, PORPHYRIVM, PLOTINVM apud EVSEBIVM [1] THEODORETVM [2] & alios veteris ecclesiæ doctores, IVSTINVM *martyrem*, ORIGINEM, GREGORIVM vtrumque; constat ex historiæ litterariæ monimentis, quod PETRVS POMPONATIVS [3] negauerit, immortalitatem animæ ex principiis philosophicis posse demonstrari, quo ipso adfirmauit, doctrinæ Aristotelis, cui vbique eo tempore sancta habebatur dignitas, nullam inesse vim ad probandam

1 *præpar. euangel. lib. XV. cap. 9. 10.* 2 *de cur. græc. affect. lib. V. p. 517.* 3 *de anima immortalitate Benon. 1516.*

animæ

animæ immortalitatem: sed quum hoc pronuntiauerit, quid mirum, quod multorum odium grauissimum inuidiamque sibi conflauerit seque in controuersias animum deturbantes coniecerit. alii enim persuaserunt sibi, POMPONATIVM animæ interitum credidisse, ipsique inter atheos adsignarunt sedem, vti AVGVSTINVS NIPHVS, qui aduersus eum librum scripsit; DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [1] & IOANNES WIERVS [2] testatur, se non semel accepisse ab *Helidæo* Foroliuiensi, eum fuisse atheum. alii iudicarunt, Pomponatium saltem in eo a veritatis via aberrasse, quod iuxta Aristotelis mentem, animas mortales esse, docuerit, quum de ecclesiæ decreto ipsius sententia alia ratione sit explicanda, quo spectant CASPAR CONTARENVS, & qui de illo testatur THEOPHILVS RAYNAVDVS [3] quando dicit: *non absolute ac simpliciter, mortalem animam censuisse videtur Pomponatius, sed duntaxat, si ratio nuda consuleretur, vt liquet ex opere Contareni, Cardinalis, de immortalitate conscripto aduersus Pomponatium, ipsius quondam Contareni in philosophicis magistrum. nec aliud censuerim voluisse illos, eiusdem æui philosophos, damnatos a Lateranensi concilio sub Leone X. & alios longe ante a Stephano Parisiensi episcopo, anno* 1277. *vel potius* 1227. *in rescripto, quod extat t. V. bibl. Margarini p.* 1319. *æque damnatos, quod assererent, animam rationalem secundum fidem esse immortalem, at secundum philosophiam esse mortalem.* id certum est, quod

1 *polyh. tom. II. lib. I. cap. II §. 4.* 2 *de præstig. dæmon. lib. VI. p. 569.* 3 *de bonis & malis libris n. XLII. p. 25.*

ex

ex philosophiæ Aristotelicæ principiis immortalitas animæ non possit demonstrari, vt paullo post probare instituamus, qua in re adeo Pomponatius sensit recte; at vero sanæ rationi omnem momenti huius cognitionem, etiam probabilem abiudicare, eamque tantum ex scripturis diuinis peti posse, sibi persuadere, id temerarium esse putamus. de cetero caussam mente nostra capere non possumus, cur quis ideo in atheorum ordinem adscribatur, quod immortalitatem animæ tantum ex oraculis diuinis cognoscendam esse, adfirmat, quod omnino fecit Pomponatius. primum quidem error de anima mortali cum atheismo est coniunctus; sed non sequitur, vt ille, qui in tali errore versatur, ipse sit atheus: deinde si quis asserat, animæ immortalitatem firmis rationibus ex sacro tantum codice posse probari; iste sane minime negat, animam esse immortalem. præter Pomponatium autem commemoramus ANGELVM ROCCAM, qui exercitationes de *animæ immortalitate* conscripsit, iisque istam interire probare, atque hanc sententiam auctoritate Aristotelis, quippe qui idem senserit, communire adlaborauit. sic & MOTTHAEVS VAYERIVS, [1] PETRVS BAELIVS, [2] AVCTOR obseruat. Halens. [3] existimarunt, hanc veritatem grauissimam ex Aristotelis philosophia minus patere, vt de aliis taceamus. at vero non defuerunt, qui hac in re caussam Aristotelis perorarunt. PETRVS DANIEL HVETIVS [4] dicit, extare in excer-

1 *vid. petit discours chretien de l' immortalité de l' ame, dans le IV. tome des oeuvres de Francois Paris 1649. 12.* 2 *diction. hist. & crit. sub voce Pomponace.* 3 *tom. VIII. obs. 10. §. 16.* 4 *quæst. Alnet. lib. II. cap. 8. §. 3.*

ptis

ptis Photii vitam Pythagoræ incerti cuiusdam auctoris, vbi tradatur, Platonem atque Aristotelem docuisse, animos humanos post mortem permanere; & recentiori ætate præter alios, qui religiosi fuerunt Aristotelis sectatores, & grauiores Pomponatio aduersarii, ANTONIVS SIRMONDVS [1] FORTVNIVS LICETVS contra CREMONINVM, IO. NICOLAVS HARTSCHMIDIVS, [2] PETRVS DANIEL HVETIVS [3] IO. PETR. LVDOVICI [4] aliique ipsius doctrinam aduersus adcusationes tueri, diligenter instituerunt.

§. III. Sed ab omni auctoritatis studio alieni plane nobis persuademus, doctrinam Aristotelis partim de deo, partim de indole animæ humanæ ita esse comparatam, vt subinde neutiquam animæ immortalitas possit cognosci. quod si enim deum respiciamus, ipsius cum iustitia, tum benignitas efficit, vt mens mortalium immunis sit interitus; sed quum ex sententia Aristotelis summum numen nulla rerum humanarum cura tangatur, quomodo quæso, talis dei diuinitas nobis argumentum possit suppeditare, quo animi humani immortalitas eluceat? quodue ad ipsius animæ indolem adtinet, posuit philosophus noster discrimen inter *animam* & *mentem* seu intellectum agentem, & aperte pronunciauit, ψυχὴν id est *animam*, a qua motus corporis pendeant, esse mortalem; *mentem* vero immortalem, vt ex superioribus constat. at vero, quum intelle-

1 *de animæ immortalitate.* 2 *de immortalitate animæ humanæ ex philosoph. veter. & recentiorum argum. examinata & demonstrata.* 3 *cit. loc.* 4 *disp. de omnium fere gentium de vita æterna concent. p. 31.*

ctus

ctus agentis officio fungi intelligentiam quamdam, adeoque extra hominem esse constitutam, satis superque probauerimus; non possumus perspicere, qua ratione per hanc Aristotelis opinionem possit confirmari animæ humanæ immortalitas? nam ex hoc consequitur, vt ista intelligentia, quæ munus intellectus administrat atque omnibus hominibus lucem præfert in cognoscendis rebus, ab interitu sit remota, quæ quum omnibus ex mortalium genere non solum communis; sed etiam ab anima iuxta Aristotelis opinionem plane sit distincta; nemo sane ex his poterit efficere conclusionem, vt & singulæ hominum animæ sint immortales. quam distinctionem inter *animam* & *mentem* seu intellectum agentem quoniam plures minime obseruarunt, etiam maiori industria nonnulla verba, quæ aliquid immortalitatis sapiant, quam ipsius Aristotelis mentem respexerunt, & adhuc nimia erga philosophum hunc religione fuerunt occupati, non mirum, quod ipsum de animæ immortalitate rectius sentientem defendere, sibi sumserint. quid multa? si Aristoteles animum aduertisset partim ad cogitationes intellectus, partim ad cupiditates voluntatis, facile deduci potuisset in cognitionem spiritus nostri, quod non solum peculiaris sit substantia eaque a corpore plane diuersa, sed & omnis corruptionis expers. nam quo pacto id, quod ex nullis partibus compositum est, pro constituta virium naturæ ratione mori queat, ratio capere non potest: id quod etiam perspectum probe exploratumque habuit CICERO: [1] *quid*

[1] *Caton. maior, cap. XXI.*

multa?

multa? inquit, *ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inuenta, non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem: cumque ſemper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia ſe ipſe moueat, ne finem quidem eſſe habiturum motus, quia nunquam ſe ipſe ſit relicturus; & cum ſimplex animi natura eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſſum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum diuidi, quod ſi non poſſit, non poſſe interire.*

§. IIII. Diſcipuli, auditores ac ſectatores Ariſtotelis etiam hoc in momento nobis adferre poſſunt lumen, quæ ipſi fuerit diſciplina de animorum immortalitate. atqui ætate antiquiori ALEXANDER *Aphrodiſienſis* ſcripſit libros duos de *anima*, quam eſſe εἶδος τινὸς σώματος ὀργανικοῦ, καὶ οὐκ οὐσίαν τινὰ αὐτὴν καθ' αὐτὴν diſputat, etiam profitetur, [1] ſe ſententiam Ariſtotelis tradere, ipſumque vt in aliis argumentis, ſic quoque in hoc de anima ſequi. & alio loco [2] dicit, ſe a quodam accepiſſe ſententiam Ariſtotelis ita expoſitam, quod mens diuina, quæ eſt intellectus agens, extrinſecus adueniens per humanum corpus velut organum operetur: item aperte negat, animam eſſe immortalem, ac poſſe ſeparari a corpore, [3] & ita quidem, vt temere dicat eos, qui immortalitatem animæ tribuant, perinde mentiri, ac ſi quis bis duo aiat eſſe quinque, [4] confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [5]

1 *præf. lib. I. de anima.* 2 *lib. 2. p. 144.* 3 *ad lib. II. topicor. p. 77. 81. & alibi.* 4 *p. 72. c. t.* 5 *bibl. græca lib. IV. cap. 25. §. 1.*

ſic

ſic DICAEARCHVS *Meſſenius*, *Siculus*, Ariſtotelis diſcipulus acerrime contra animorum immortalitatem diſſeruit, de quo CICERO [1] dicit: *acerrime autem deliciæ meæ, Dicæarchus contra hanc immortalitatem diſſeruit. is enim tres libros ſcripſit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis ſermo habetur, in quibus vult efficere, animos eſſe mortales*: & paullo ante [2] ſententiam ipſius ita proponit, *nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque animalia & animantes adpellari; neque ineſſe in homine animum vel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus viuis æquabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe, quippe quæ nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus vnum & ſimplex ita figuratum, vt temperatione naturæ vigeat & ſentiat*; & ATTICVS *Platonicus* apud EVSEBIVM [3] commemorat de hoc Dicæarcho, quod τὴν ὅλην ὑπόστασιν τῆς ψυχῆς ἀνῄρηκε, *totam animi naturam funditus ſuſtulerit*: in quam ſententiam diligenter inquirit PETRVS BAELIVS. [4] ſeculo poſt ſeruatorem noſtrum natum XII. ex Peripatetica diſciplina prodiit AVERROES, quem nonnulli crediderunt, ita Ariſtotelis mentem tenuiſſe perſpectam & cognitam, vt ipſius animam dicerent eſſe animam Ariſtotelis. hic autem eodem modo, quo Ariſtoteles, intellectum agentem ſtatuit, quem immortalem, animam vero mortalem eſſe adfirmauit; quam in rem dicit GERH. IO. VOS-

1 *quaeſt. Tuſcul. lib. I. cap. 31.* 2 *o. l. cap. 10.* 3 *lib. XV. cap. 9. præp. euangelic.* 4 *dict. hiſt. & crit. voc. Dicearque pag. 1048. ſqq.*

SIVS.[1] *bifariam iubet considerare hominis intellectum Auerroës, vt est intellectus & vt est forma: priori modo ait, eum a morte nostra superesse, quippe æternum, nec dari homini essentiam, sed vniri illi per operationem suam, phantasmatum interitu. & sane ea sententia scripturæ sacræ e diametro aduersatur, vt quæ suam cuique animam, sua etiam a morte præmia & pœnas adsignat*: confer PETRVM BAELIVM[2] & IO. FRANCISCVM BVDDEVM.[3] Non miramur, quod Aristoteles male senserit de immortali animo nostro, siquidem pro vi principiorum, quæ de ipsius indole tradiderat, aliter sentire non poterat. namque vt veritas gignitur ex veritate, & error oritur ex errore, sic veritas de immortalitate animæ multum dependet a veritate de ipsius indole. quapropter veteres philosophi quum assererent, animum nostrum emanare ex mente diuina, eiusque esse particulam, quamuis istum immortalem dicerent, potius adfirmarunt, non posse illum destrui, quam esse immortalem, vt adeo cum ratione cautioneque horum testimonia adhibere debeamus, quod præter alios HARTSCHMIDIVS[4] & PETRVS DANIEL HVETIVS[5] minime obseruarunt. de cetero qui sibi persuadent, animas hominum mortales esse, & una cum corpore interire, omnino in errore, cum atheismo coniuncto versantur. ac quamuis quis credere possit, esse deum, ac nihilominus im-

1 *de orig. & progressu idolol. lib. III. cap. 42.* 2 *diction. voce Auerhoes p. 414. seqq.* 3 *thes. de atheism. & superst. cap. III. §. 2. pag. 261.* 4 *de immortalitate animæ humana.* 5 *quæst. Alnetan. lib. II. cap. 8. §. 3.*

morta-

mortalitatem hanc aut plane neget, aut in dubium saltem vocet; præcipuum tamen religionis cultusque diuini fundamentum tollit. namque qui huiusmodi opinioni addictus est, nullum locum neque præmiis, neque pœnis post hanc vitam relinquere potest, quibus tamen mortales vel maxime ad cultum erga deum eiusque religionem incitari solent. duo quidem momenta sententiæ huic obiici possunt: alterum est, quod ille, qui animam mortalem credat, intuitu præmiorum, quæ in hac vita hominibus dentur, deum cultu prosequi possit, quæ religio Sadducæorum fuisse traditur, vt a IO. LIGTFOOTO [1] obseruatum: *quænam ergo religio Sadducæi? orat, ieiunat, sacrificat, obseruat legem, & tamen non expectat resurrectionem, aut vitam æternam. quorsum hæc religio? vt obtineret scilicet bona temporalia, quorum solum promissionem obseruat ille factam in lege, nihil rimans vltra litteram.* alterum est, quod quis asserere possit, animos hominum esse mortales, sed cum corpore aliquando resuscitandos, vt adeo & pœnis & præmiis locus sit, quæ opinio fuit Arabicorum seculi tertii hæreticorum & nostra ætate GVILIELMI COWARDI; sed neutrum ad Aristotelis opinionem adplicari potest, aut quidquam ponderis habet ad excusandum ipsum, aut defendendum. adhæc si prius momentum, quod obiici poterat, respiciamus, ille sane non præstat officia religionis veræ atque integræ erga deum, qui spe bonorum vitæ huius ipsum colere instituit: posterior vero sententia omni caret vi ac funda-

1 *hor. ebr. ad act. apost. XXIII. 8. tom. II. opp. p. 787.*

mento, vt pluribus ostendit IO. FRANCISCVS BVDDEVS.[1]

CAPITIS IIII. DE ATHEISMO ARISTOTELIS PRACTICO.

SECTIO I. DE DOCTRINA MORVM ARISTOTELIS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *scripta Aristotelis de moribus breuiter recensentur* §. II. *Aristoteles negat certitudinem doctrinae moralis & originem iustitiae atque honestatis deducit a legibus ciuilibus* §. III. *quo spectet philosophia practica Aristotelis, generatim indicatur* §. IIII. *qua de re cum aliis antiquis philosophis comparatur* §. V. *speciatim eius doctrina de summo bono exponitur atque illustratur* VI. VII. VIII. *de virtutis indole & diuersis speciebus* §. VIIII. X. XI. *varia iudicia de hac philosophia Aristotelis* §. XII. *conclusio ex hisce dictis de atheismo Aristotelis* §. XIII.

§. I. Sic adhuc exposuimus sententias Aristotelis de deo, prouidentia diuina, anima eiusque immortalitate, atque ostendimus, quod ipsius doctrina coniuncta sit cum atheismo. nunc operis nostri ratio postulat, vt dispute-

[1] *syntagm. dissertat. acad. p. 738, sqq.*

mu

mus quoque de philosophi huius atheismo practico, ac probabilitatis vi probemus, ipsum fuisse atheum suaque mente nullum habuisse sensum de deo eiusdemque cultu, quo ipso duo dissertationis huius momenta sunt, quorum alterum respicit atheismum doctrinae Aristotelicae; alterum atheismum ipsius auctoris seu Aristotelis. de quo posteriori disseramus probabili ratione, ac conclusionum nostrarum argumenta partim ex monimentis, quae de moribus scripsit, partim ex ipsa vitae ratione, quam secutus est, petamus.

§. II. Protulit Aristoteles varia monimenta, quae philosophiam actiones humanas spectantem complectuntur. extant enim libri decem *ethicorum ad Nicomachum*; libri duo *magnorum moralium*, quos cur auctor inscripserit *magna moralia*, quum reliquis sint breviores, ratio non patet; libri septem *moralium ad Eudemum*, quos Aristoteli veluti auctori adscribunt codices antiqui, SIMPLICIVS, FAVORINVS apud LAERTIVM, [1] GEMISTVS PLETHO aliique: item fragmentum de *virtutibus & vitiis* seruatum a STOBAEO; libri octo de *republica* & libri duo de *cura rei familiaris*, de quibus copiose differunt IO. ALBERTVS FABRICIVS & GEORGIVS PASCHIVS. [2] dissertationis huius rationem spectant praecipue libri ethicorum, quibus etiam Aristoteles doctrinam de moribus legitimo ordine tradere, & quae ipsi disciplinae huius fuerint principia, exponere instituit.

§. III. Inquiramus igitur in disciplinam

1 lib. V. segm. 21. *2 ille bibl. graec. lib. III. c. 6. §. 29. seqq. hic vero introductione in rem litt. mor. veterum cap. 2.*

moralem Aristotelis, vt illa dilucide exposita, conclusionem de ipsius mente atque erga deum adfectu efficere possimus. antequam vero speciales illius doctrinas attingamus, non ab re erit, si generatim indicamus, qua fide quoue animo tradiderit hanc doctrinam, vt quod pretium illi sit statuendum, cognoscamus, qua opera duo nobis sunt proposita, vt partim ipsam disciplinæ formam; partim illius argumenta, quæ explanata sunt, consideremus. atqui si spectemus doctrinæ huius formam, constat, quod Aristoteles existimauerit, cognitionem tantum probabilem dari in disciplina de moribus, quæ ea de caussa nomen scientiæ minime possit tueri: hinc dicit: [1] τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, ὥσπερ οὐδὲ ἐν τοῖς δημιουργουμένοις τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή, *non enim in omni disputationis ac sermonis genere peræque accurata subtilitas requirenda est: quemadmodum nec in operibus manufactis. atqui in iis rebus, quæ honestæ quæque iustæ sunt, quas ciuilis scientia considerat, tanta est dissensio, tantaque in eis versatur erratio, vt lege tantummodo, non natura constare videantur.* quibus verbis non solum aperte profitetur, quæ ipsi sit sententia de certitudine doctrinæ moralis; sed & caussam, cur ita sentiat, non obscure significat, quod a lege ciuili honestatis origo sit repetenda, nec natura quidquam honestum ac iustum, quando addit: ὥστε δοκεῖν μόνῳ νόμῳ εἶναι, τῇ δὲ φύσει μή. quin etiam in eam ingressus

1 *lib. I. c. I. eth. ad Nicom. p. 4. t. II. opp.*

est

ſt opinionem, quod non poſſit definiri, quid bonum quidue ſit malum, ſiquidem dicto loco dicit: *τοιαύτην δὲ τινα πλάνην ἔχει καὶ τ' ἀγαθὰ διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλάβας ἀπ' αὐτῶν. ἤδη γάρ τινες ἀπώλοντο διὰ πλοῦτον, ἕτεροι δὲ δι' ἀνδρείαν. ἀγαπητὸν οὖν περὶ τοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, παχυλῶς καὶ τύπῳ τ' ἀληθὲς ἐνδείκνυσθαι, eademque de bonis quoque controuerſia eſt & idem error extitit, propterea quod ex his multi detrimentum capiant. aliis enim iam diuitiæ, aliis fortitudo corporis exitio fuit. ergo ſatis erit, ſi cum de rebus & ex rebus eiusmodi verba facimus, rudem quamdam veri formam adumbremus.* quem recentiori ætate ſecutus eſt præter alios HVGO GROTIVS:[1] *veriſſimum eſt*, inquit, *quod ſcripſit Ariſtoteles, in moralibus non æque vt in mathematicis diſciplinis certitudinem inueniri.* ſed quod diſciplina moralis ſua quoque munita ſit certitudine, ibique demonſtrationes, vt ex principiis certis, veris & claris deducamus certiſſimas concluſiones, poſſint inſtitui, adeoque ſententia Ariſtotelis aliorumque, qui ipſum ſequuntur, omni careat vi, argumentis ſane grauiſſimis viri celeberrimi probarunt, ex quibus tantum SAMVELEM PVFENDORFIVM[2] & IO. FRANCISCVM BVDDEVM[3] nominamus. quapropter non eſt, quod poſt nobiliſſimam horum virorum induſtriam idem agamus negotium ac veluti Iliadem ſcribamus poſt Homerum; ſed ſufficiat, obſeruare quod huiuſmodi homo, qui heic veroſimilem tantum cognitionem admittit, viam ad ſcepticiſ-

1 *de iure belli & pacis lib II. cap. 23 §. I.* 2 *de iure natur. & gent. lib. I. cap. 2.* 3 *anal. hiſt. philoſoph. p. 244. ſqq.*

mi vitium parare possit. adhæc facile illorum sententiæ accedimus, qui arbitrantur, Aristotelem eadem ratione, qua Epicurus, sensisse de origine iusti atque honesti. Epicurus enim existimabat, initio homines ferarum more transegisse vitam; exploratis autem incommodis periculisque, quæ talem viuendi rationem sequebantur, eos firmasse societatem pactis, constituisse ciuitates, iura sanxisse & leges, & ita a barbarie morum traductos fuisse ad cultum atque humanitatis sensum. sic philosophus hic nullum ius, nullam legem præter ciuilem agnouit. ad quam constituendam homines vtilitate adducti fuissent, quam sententiam eleganter tradit HORATIVS [1] qua in re consenserunt *Cyrenaici*, duce & auctore *Aristippo*, qui asserunt apud LAERTIVM: [2] μηδέν τε εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, *nihil natura esse iustum aut bonum, aut turpe, sed lege & consuetudine*; nec Aristoteles ab hac opinione recessit, vt ex superioribus verbis: ὥστε δοκεῖν μόνῳ νόμῳ εἶναι, τῇ δὲ φύσει μή, adparet. quod, quum ita est, in nouam suspicionem scepticismi Aristotelem deducit. si enim non aliis, quam legibus ciuilibus homines reguntur ac gubernantur, hæque ab arbitrio mortalium pendent, omnis sane iustitiæ atque honestatis ratio dubia erit, ac moralis scepticismus triumphabit vbique. sunt quidem, qui per hoc excusant Aristotelem, quod eiusmodi scripserit discipulis, qui pro ratione illius ætatis ad scientias mathematicas instituti fuerint, eosque mouerit, ne tales expectarent demonstrationes, quæ ἀκρίβειαν

1 *lib. I. satyr. III. v. 96 sqq.* 2 *lib. II. segm. 93.*

mathe-

mathematicam continerent, sed quales hæcce materia posset suppeditare. vide SAMVELEM RACHELIVM, [1] sed ne hoc quidem ad excusationem Aristotelis legitimam instituendam valet. primum enim in disciplina morali dantur omnino demonstrationes, quæ eiusdem sunt ponderis & dignitatis, ac mathematicæ: deinde quum philosophus noster sæpe alibi multum disputauerit de discrimine inter cognitionem certam & probabilem, facile ostendere potuisset, quænam argumenta philosophiæ moralis nitantur aut certitudine, aut tantum probabilitate, si veram ipsius indolem intueri ac bona fide agere voluisset.

§. IIII. Si igitur Aristoteles negat certitudinem disciplinæ moralis, originem iustitiæ atque honestatis deducit a legibus ciuilibus, & adhæc, vt ex superioribus patet, dei prouidentiam atque animæ nostræ immortalitatem tollere sibi sumit; facile ex hisce cognoscere possumus, quo ipsius integra philosophia moralis respiciat? qui antiquissimo errore adhuc persuadent sibi, ipsi fuisse in animo, viam ad felicitatem veram eamque mentis, quæ in suauissima tranquillitatis delectatione posita est, monstrare, magno detrimento decipiuntur. namque Aristoteli fuit propositum, rationem explanare, qua quis in hac vita se felicem reddere, sibique comparare aut honores, aut opes, aut alia voluptatis commoda posset, cuius felicitatis virtutes, de quibus disseruit, partes; leges ciuiles vero, quas libris de republica exposuit, media esse existimauit. quapropter sectatores Aristotelis, quum tres partes disci-

1 *introd. in philos. moral. Aristot. cap. 12.*

plinæ ethices constituunt, & primum de fine; deinde de subiecto, tertium de mediis, quæ essent ipsæ virtutes, tractant, aduersus ipsius Aristotelis mentem sentiunt, ac eiusmodi tradunt disciplinam, quæ ab illius ingenio atque animo abest longissime. quod si ita est, sicuti est, omnes ipsius doctrinæ ac speciatim de summo bono, de natura virtutis eiusque variis generibus erunt claræ & perspicuæ, ita vt egregie cum auctoris proposito conueniant, id quod paullo post copiose explanare instituamus.

§. V. Quod si philosophiam moralem Aristotelis cum doctrinis Platonis, Stoicorum atque Epicuri comparamus, vltimum sane habebit locum atque apertum erit, quod Aristoteles inter omnes philosophos, quos vetus græcia protulit, quiue ingenii gloria terrarum orbem impleuerunt, de doctrina morum minimam mereatur laudem atque existimationem. namque & Plato, & Stoici & Epicurus de felicitate interna erant solliciti, ac quæ tradebant præcepta, ad obtinendam illam accommodabant; Aristoteles autem id agebat, vt modum ad delicias rerum humanarum perveniendi ostenderet, adeoque nullam veræ eiusque internæ felicitatis siue tranquillitatis habebat rationem. sic *Plato*, cuius doctrinam ex vetustioribus ALCINOVS, [1] ex recentioribus ætate MAGNVS DANIEL OMEISIVS [2] exposuerunt, cum Pythagora censebat, vltimum hominis finem esse ὁμοίωσιν τȣ̃ Θεȣ̃, & inter media ad istum perueniendi referebat quoque κάθαρσιν, *purgationem*, vt affectus & prauæ cupiditates opprimerentur;

1 *de doctrina Platon.* 2 *ethic. Platonic. Altdorf.* 1696. 8.

hinc

hinc & dixit, philoſophiam eſſe μελέτην θανάτου, *meditationem mortis*; de qua legi merentur, quæ conlegit IVSTVS LIPSIVS: [1] adde IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [2] *Stoici* quoque in emendandis aliorum animis erant occupati, quorum morbis id eſt adfectibus omni ſtudio adhibebant medicinam, vt iſti ex mente exterminari atque expelli; priſtina vero ſanitas ſeu tranquillitas poſſent reparari: quam in rem nota eſt doctrina ipſorum, qua defendebant ἀπάθειαν, ex quibus diſerte dicit SENECA [3] *vtrum ſatius ſit, modicos habere adfectus, an nullos? ſæpe quæſitum eſt. noſtri expellunt: Peripatetici temperant:* & alio loco: [4] *non diminutionem malorum in bono viro intelligo, ſed vacationem: nulla debent eſſe, non parua.* nec *Epicurus* aliter ſenſit, atque vltimum bonorum poſuit in voluptate animi, quo non obſcure ſignificauit, ab hominibus omni cura & diligentia expetendam eſſe eiusmodi mentis felicitatem, vt nullos adfectuum atque cupiditatum impetus experiri debeat. quam ipſius Epicuri ſententiam ſectatores eius corruperunt, perſuadentes ſibi, extremum bonorum contineri in voluptate corporis, eoque ipſo auctoritatem Epicuri per longum temporis tractum in magnum coniecerunt diſcrimen. tantum vero abeſt, vt philoſophiam moralem Platonis, Stoicorum atque Epicuri probemus, vt iſtam multis iisque grauiſſimis erroribus plenam eſſe cenſeamus. namque fatemur ingenua mente, quod quamuis effata horum philoſopho-

1 *manuduct. ad philoſoph. Stoicam lib. II. cap. 2.* 2 *analect. hiſt. philoſ. p. 369 ſqq.* 3 *epiſt. 116.* 4 *epiſt. 85.*

rum

rum ad speciem splendida sint, ista tamen, si inspiciantur penitus, atque ad principia, vnde sint deducta, adplicentur, veritati pietatique maxime aduersentur. Pythagoras & Plato, quum de rebus morum differerent, eo principali errore sese implicuerant, quod anima nostra pars sit mentis diuinæ; Stoici autem dicebant, omnia necessitate fati fieri, & inde colligebant, omnia, quibus alios instituerunt, præcepta, etiam ἀπάθειαν, & Epicurus eiusmodi sibi fingebat voluptatem animi, vt per illam præfracte tolleret dei prouidentiam. quapropter quum existimemus, Aristotelem laude meritorum de doctrina morali aliis philosophis esse inferiorem, id tantum volumus significare, quod hi ipsum finem disciplinæ, quæ græca adpellatione *ethica* vocatur, verius cognouerint, id est felicitatem internam seu tranquillitatem animi, quamuis ipsis media, illam consequendi minus fuerint cognita. monet quidem JO. SCHEFFERVS, [1] quod Aristoteles consentientia plane cum sententia Pythagoræ ac Platonis docuerit; & SIMPLICIVS [2] ex versione SEBASTIANI FOSCARENI mentem ipsius ita exprimit: *utrique parti philosophiæ communis finis, quem homo assequi debet, ipsa extrema & perfectissima felicitas, de qua nihil excellens ac præstans alicui philosophorum, etiam eorum, qui ad extremum philosophati sunt, Aristoteles reliquit, quo illum attingere possent, immo nec hominem adpellandum esse. sed deum censuit, qui ad illam peruenisset.* sed ea, quæ

1 *de natura & const. phil. Italic. cap. 7.* 2 *prolegom. in categor.*

hunc

hunc in modum differit Ariſtoteles, reſpiciunt doctrinam de intellectu agente. quod ſi ita eſt, non poſſumus ſatis mirari hominum tot ſeculorum vel ignorantiam, vel nimium pietatis cultum erga Ariſtotelem, quod ex ipſius libris ethicorum ad Nicomachum compendia doctrinæ moralis conficere & ad iſta iuuentutem inſtituere ſibi ſumſerint, quoniam illis non diſciplina ethices, ſed prudentiæ eiusque politicæ continetur.

§. VI. Sed de momento hoc agamus diſtinctius ac ſpeciatim in ipſas Ariſtotelis doctrinas inquiramus, demonſtrando, quod omnes iſtæ felicitatem externam reſpiciant. ratio totius philoſophiæ moralis in ſummo bono continetur, de quo inter veteres philoſophos magna fuit diuerſitas, vt patet ex CICERONE [1] & LACTANTIO; [2] quin etiam auctor eſt AVGVSTINVS, [3] Varronem ducentas octoginta & octo hac de re collegiſſe opiniones, quamuis facile cuique adpareat, quod magis verbis, quam re ipſa inſtituerint diſſenſiones. namque ſi ſpectamus celebriores philoſophiæ magiſtros æui vetuſtioris, tria imprimis ſententiarum de ſumma felicitate genera fuerunt: primum pertinet ad *Stoicos*, ex quibus ZENO *Cittieus* bonum vltimum eſſe dixit *ὁμολογουμένως ζῆν conuenienter viuere*; CLEANTHES autem vocem *naturæ* addidit aſſeruitque, extremum bonorum vltimumque finem eſſe *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*, vel *συμφώνως τῇ φύσει ζῆν conuenienter*, vel *conformiter naturæ viuere*. nomine vero

1 *de fin. bon. & mal. item quæſt. acad.* 2 *lib. III. cap. 7. ſqq. inſt. diuin.* 3 *de ciu. dei lib. XVIIII. cap. 1.*

naturæ

naturæ deſignabant ipſum deum, per quem animam mundi materiæ alligatam, fato obnoxiam, & per cuncta corpora diffuſam intelligebant, vt pluribus oſtendit IO. FRANCISCVS BVDDEVS[1] ſecundum genus conſtituit opinio *Epicuri*, qui eum ſumme felicem eſſe cenſebat, qui præſenti mentis voluptate perfrueretur, confideretque ſe fruiturum aut in omni, aut in magna parte vitæ, dolore non interueniente, etiam nec mortem nec deos extimeſceret. tertius eſt *Ariſtoteles*, cuius diſputationem de ſummo bono penitus inſpiciamus. exiſtimauit quippe, omnium aliorum perfectionem contineri in certo quodam munere atque operatione, quæ ipſorum naturæ ſit propria, adeo vt quoduis animal perfectum ſit; ſi opera ſibi conſentanea proferat; ac omne animalium membrum, ſi præſter id, ad quod a deo ſit conditum, item omnis artifex exſiſtat perfectus, quando abſolutum artis ſuæ edat opus, atque ita ἕκαςον κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν ἀποτελεῖσθαι. ex his collegit, hominis quoque formam beatæ & felicis vitæ conſiſtere in munere quodam; quod ipſius indoli humanæ ſit proprium, quumque mortales cum aliis animantibus habeant communes τὴν θρεπτικὴν καὶ αὐξητικὴν ζωήν, *vitam alendi augendique vi ac facultate præditam*, item αἰσθητικήν, *vim ſentiendi*, reliquit illis πρακτικὴν τινὰ τῦ λόγον ἔχοντος, *vitam actiuam partis animæ, quæ rationem habet*, in quo ſumma hominis felicitas poſita ſit, & quidem τὴν κατ' ἐνέργειαν, *quæ ſit in ipſa operatione.* quum autem ſingula κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν *ex propria virtute*

1 *anal. hiſt. phil. p. 118. ſqq.*

per-

perficiantur, putauit quoque Ariſtoteles ψυχῆς ἐνέργειαν κατ' ἀρετὴν, *animæ operationem ſecundum virtutem* eſſe hominis ſummum bonum; ac quum plures ſint virtutes, poſtulauit, vt operatio illa debeat eſſe κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην ἀρετὴν, *ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam, hancque ipſam* ἐν βίῳ τελείῳ, *in vita perfecta.* [1] ſic homo ſumme felix eſt, quando anima operatur ſecundum perfectam atque optimam virtutem, per quam Ariſtoteles nihil aliud intelligit quam *ſapientiam*, hinc & alio loco [2] dicit, optimam illam virtutem, quam heic adpellat κρατίστην, eſſe illius, quod in homine ſit optimum, ibi teneat principatum, & notionem rerum honeſtarum & diuinarum habeat, cuius ſecundum propriam virtutem operatio, quæ omnino eſt contemplatio rerum honeſtarum diuinarum atque æternarum, ſeu ζωὴ θεωρητικὴ, abſoluat perfectam felicitatem, quin immo quod Ariſtoteles per ἀρετὴν ἀρίστην ſeu κρατίστην intelligat ſapientiam, patet ex ipſius verbis [3] hiſce clariſſime: ἡδίστη δὲ τῶν κατ' ἀρετὴν ἐνεργειῶν ἡ κατὰ τὴν σοφίαν ὁμολογουμένως ἐστι, *iucundiſſima autem ex virtutis operationibus ea procul dubio eſt, quæ ſecundum ſapientiam fit;* quibus, quam antea dixerat ἐνέργειαν κατ' ἀρετὴν τὴν κρατίστην, eam heic diſerte pronunciat ἐνέργειαν κατὰ τὴν σοφίαν. præter hanc vero felicitatis in contemplatione poſitæ ſpeciem adhuc aliam conſtituit, quæ vita virtuti morali ſeu ciuili conſentanea contineatur, [4] & adhæc ſibi perſuaſit, quod talia bona animi debeant eſſe coniuncta cum bonis corporis ac fortunæ;

1 *lib. I. cap. 6. ethic. ad Nicom.* 2 *lib X. cap. 7. ad Nicomach.* 3 *ibid.* 4 *lib. X. cap. 8. eth. ad Nic.*

qui-

quibus vere beatus & felix homo carere non possit. [1] quarum alteram cum altera dum comparat, priorem felicitatem, quæ absoluatur contemplatione atque operatione menti consentanea, posteriori præfert adeoque existimat, summum bonum theoreticum nobilius esse ac præstantius summo bono practico. nec Aristoteles aliter sentire poterat pro vi principiorum, quæ antea posuit. namque animum tantum sibi induxerat, viam ad felicitatem externam præparare hominumque mores ad eiusmodi honestatem, quæ a lege ciuili pendet, conformare, quapropter duo esse media tradebat, per quæ quis in hac vita felix esse possit. alterum si quis se diligenter exerceat meditatione contemplarioneque ac per huiusmodi studium philosophiæ laudem sibi comparet; alterum vero, quum homo vitam ad formam legum ciuilium adcommodet ac præ se ferat honestatem, etiam deliciis opum, honorum voluptatumque perfruatur. verum satis habebat compertum atque exploratum Aristoteles, quam incerta sint talia bona, quamue fragilia & caduca, hinc melius esse iudicauit, sapientiæ negotiis operari ac per istam amplissimam nominis famam sibi conficere. quæ quum ita explanentur, omnia sane apta sunt inter se ac cohærent, ac principiis, quæ philosophus noster adhibuit, eleganter atque accurate respondent.

§. VII. Miramur igitur iterum, quod Aristotelis sectatores iique christianæ professionis huiusmodi doctrinam de summo bono in disciplinam ethices, qua de interna mentis feli-

1 *ibid. cap. 9.*

cita-

citate differendum eſt, intulerint, qua omnino nihil continetur, quod rectum, ſanum ac pium eſſet. nam ſi formam veræ beatæ vitæ, quæ tranquillam mentem efficere debet, ſpectamus, ſanitas quidem corporis bonum eſt, ſed bonis animi cum intellectus tum voluntatis multo ignobilius, adeoque nec abſolutum nec perfectum. multo minus ea, quæ debemus fortunæ benigniori, dignitates, diuitiæ, commoda, iucunda ac ſuauia in cenſu verorum bonorum debent haberi, cuiusmodi res hominibus & adiumento & detrimento eſſe poſſunt, prout quisque illarum vſum ad normam aut ſanæ rationis, aut prauorum adfectuum adcommodare inſtituat. in tanta autem hominum prauitate ac malitia talis doctrina, qualis ab Ariſtotele profecta eſt, magnam habet vim ad perditas mentis cupiditates rerum humanarum excitandas, alendas, fouendasque, eoque ipſo aditum communit ad omnia perturbationum aliorumque motuum, qui mentem de ſede tranquillitatis deiiciunt, genera. nec virtus moralis, in qua Ariſtoteles alterum bonum ſummum poſuit, quidquam habet commune cum vera virtute, ſiue philoſophica, ſiue chriſtiana, quoniam, vt ex ſuperioribus conſtat, omnis iuſtitiæ atque honeſtatis originem petiit a ciuili lege; quæue de altera perfectæ felicitatis ſpecie eaque adhuc nobiliori, ſapientia quippe diſſeruit, vbique præ ſe ferunt craſſiſſimum errorem de intellectu agente. quam ob rem dicit: [1] *τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος. οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος*, *homini ea eſt vita* (ἄριστος, opti-

[1] *lib. X. cap. 7. extr. eth. ad Nicom.*

ma) *quæ menti conuenienter traducitur, si quidem hæc pars homo est maxime. hæc igitur vita est beatissima*; ac per mentem, quam distinguit ab anima, intelligit intellectum agentem: hinc etiam functiones, quæ virtuti morali consentaneæ sint, adpellat humanas, illas vero, quæ spectent ad intellectum, diuinas; [1] & paullo post [2] addit: ὁ δὲ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν, καὶ τοῦτον θεραπεύων καὶ διακείμενος ἄριστα, καὶ θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι, *qui vero muneribus fungitur menti consentaneis & hanc colit, estque optime animo affectus, eum probabile est deo carissimum esse.*

§. VIII. Ex his, quæ de Aristotelis sententia disseruimus, non obscure patet, quanta inter ipsum & alios philosophiæ doctores, quos ætas antiqua sibi vindicat, fuerit diuersitas. erant quidem Peripateticis disceptationes cum Stoicis, num habitus, an operatio & actio vltimum in bonis hominum absoluat? quæ controuersia nostra sententia, nullius dignitatis, nullius fructus fuit. namque mentis habitus per actiones sæpius susceptas a nobis comparantur, qui adquisiti & in virtutum exercitiis occupati nunquam ab operationibus, quæ in lucem atque aliorum conspectum sese produnt, separari aut disiungi possunt. at vero, si rem ipsam, quæ hominem efficit vere felicem, spectamus, in ea dissensio omnino erat inter Aristotelem & Stoicos, quamuis interdum verborum similitudo apud illos esse videatur, quando quippe SENECA [3] dicit: *in homine optimum quid est? ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. ratio ergo*

1 ibid. cap. 8. pr. 2 cap. 9. ibid. 3 epist. 27.

perfe-

perfecta, proprium hominis bonum est, cetera illi cum animalibus satisque communia sunt; & paucis interiectis pergit: *quid in homine proprium? ratio. haec recta & consummata felicitatem hominis impleuit*: item: *homini suum bonum ratio est, si hanc perfecit, laudabilis est & finem naturae suae attigit.* namque effata Stoicorum, quibus deus erat veluti forma informans, de ratione humana aliter sunt explicanda, ac doctrina Aristotelis, qua idem persequitur argumentum, cuius opinionem de intellectu satis perspicue exposuimus, etiam quale hac de re inter ipsum ac Stoicos fuerit discrimen, ostendimus. quid multa? extremum bonorum apud Stoicos erat *secundum naturam viuere*, id est secundum deum, animam mundi, cum materia arctissimo coniunctam vinculo, & legibus fati subiectam viuere, a qua Aristoteles sententia longe abest, id quod inprimis contra IO. CHRISTFRIEDVM SAGITTARIVM [1] obseruamus.

§. VIIII. Sed prout generatim monuimus, quod Aristoteles philosophia sua morali rationem externae felicitatis tantum habuerit; ita etiam huic instituto respondet ipsius doctrina de virtute, quod adtinet cum ad eius indolem, tum diuersas species, quas posuit. existimat quippe, virtutem absolui *mediocritate*, cuius definitio a Peripateticis recepta, quod virtus sit *habitus electiuus consistens in mediocritate, frequenti bonarum actionum exercitio comparatus*, [2] satis est nota. atqui de hac Aristotelis mediocritate multum fuit disputatum, nec defuerunt, qui huiusmodi definitionem

1 *Otio Ienensi p. 491. sqq.* 2 *vid. lib. II. c. 6. eth. ad Nic.*

nem ieiunam, etiam falſam pronuntiarunt, ſiue intelligatur mediocritas vitiorum, ſiue adfectuum. ſic ex vetuſtioribus iam LACTANTIVS [1] ita iudicauit. *quid tandem nobis iſta mediocritas proderit? quæro, utrumne ſapienti lætandum putent, ſi quid inimico ſuo mali videat accidere, aut vtrumne lætitiam frenare debeant, ſi victis hoſtibus aut oppreſſo tyranno libertas & ſalus ciuibus parta ſit? nemo dubitat, quin & in illo exiguum lætari, & in hoc parum lætari, ſit maximum crimen. eadem de ceteris affectibus dicere licet.* atque ex recentioribus HVGO GROTIVS [2] copioſe oſtendere annititur, non omnes virtutes duo habere extrema, alterum in exceſſu, in defectu alterum: alii autem obſeruant, quod partim virtus proprie & accurate dicta non adquiri poſſit bonarum actionum exercitio; partim mediocritas ſequatur virtutem, non autem ipſius naturam efficiat, vide PHILARETVM, [3] & IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [4] quibus etiam adiungere poſſumus ANDREAM RVDIGERVM. [5] hic enim monet, quod virtus moralis nihil aliud ſit, quam modus aliquis affectuum, qui nobiſcum naſcantur, a recta ratione additus: quum autem affectus naturalis vel bonus ſit, vel malus, vel indifferens, bonus ſemper ſtimulis tractandus, vti pietas & iuſtitia; malus ſemper frenis, vt odium & inuidia, indifferens vero & ſtimulis & frenis, vt cupiditas pecuniæ, quæ frenis coercenda, ne abeat in

1 *lib. VI. cap. 16. inſt diuin.* 2 *proleg. de Iure bell. & pac.* §. 43. *ſeqq.* 3 *eth lib. I. part. poſt. cap. I. p.* 141. 4 *inſtit. theol. moral. part. I. cap. I. ſect.* 4. §. 126. *not.* 5 *inſtit. erud. pag.* 566.

auari-

auaritiam; sed & stimulis incitanda, vt maneat liberalitas: de quibus affectibus indifferentibus vera sit definitio Aristotelis. verum enim vero quamuis hæc omnia a viris celeberrimis accurate atque optime sint obseruata, ac definitio, quam dedit philosophus noster, magnam omnino mereatur reprehensionem, si istam virtuti, qualis in disciplina ethices proponi ac internam hominis felicitatem respicere debet, adcommodare velimus; attamen & hæc doctrina cum principali proposito Aristotelis bene cohærere nobis videtur, adeo vt mediocritatis Aristotelicæ πρῶτον ψεῦδος ita demonstremus. scilicet, vt iam sæpius obseruauimus, institutum fuit Aristoteli, in libris ethicorum viam monstrare, qua quis externam felicitatem consequi possit, adeoque in hac vita felix sit ac beatus; quod vt fieret, necessarium esse existimauit, bonis fortunæ frui & vitam virtuti politicæ consentaneam transigere, adeoque secundum normam legum ciuilium speciem præ se ferre honestatis, qua sententia virtutem veluti partem; legem vero ciuilem vt medium huius felicitatis considerauit. sed quum constet, quod ille, qui aliorum fauorem ac beneuolentiam adquirere sibi ac illorum ope suam stabilire fortunam animum induxit, necesse habeat, partim seculi moribus sese accommodare, etiam verum ac sollicitum genuinæ virtutis studium aduersari; partim actionibus, quamuis re ipsa sint impiæ, splendorem, honestamque speciem adhibere, ne aperte adfectuum vitiis se indulgere videatur, quid mirum? quod Aristoteles dixerit, virtutem consistere in mediocritate, id est hominem politi-

cum neque virtutem, neque libidinem animi tam grauiori ſtudio ſectari debere. en virtutem Ariſtotelicam! quis eſt igitur ex ſententia Ariſtotelis iuſtus? ille nempe, qui partim non omnes iuſtitiæ partes explet, quod eſſet indicium cum ingenii artis politicæ rudis, tum mentis a ſeculi morum ſtudio alienæ; partim non aperte quemdam lædit iniuſte. quis eſt temperans ſecundum Ariſtotelis iudicium? ille quippe, qui edit, qui bibit iucunde, opipare, apparate, ſed eiusmodi tenet modum, ne per ebrietatem ſe veluti inſanum aliis exhibeat, eoque quidquam exiſtimationis politicæ detrahat. atque hac ratione omnes virtutes, quas tradidit Ariſtoteles, faciliori negotio explanari atque intelligi poſſunt.

§. X. Sæpius quoque diſputatum fuit, num Ariſtoteles ſpecies virtutis conſtituerit adæquate, nec ne? iam ætate antiqua docuerunt philoſophi, virtutem, ſi ad ipſius naturam ſpectemus, eſſe vnam, vt de Menedemo & Ariſtone, ſapientiæ magiſtris vetuſtiſſimis memoriæ prodidit PLVTARCHVS, [1] atque Apollophanes, Ariſtonis diſcipulus idem ſenſit, hancque vnam virtutem dixit *prudentiam*, vti PETRVS GASSENDVS [2] obſeruat. ſic quoque vniuerſa fere Stoicorum ſchola cenſuit, *τὰς ἀρετὰς ἀντακολουθεῖν ἀλλήλας, καὶ τὴν μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν*, *virtutes eſſe inter ſe copulatas, vt qui vnam habet, omnes habeat*, & ſatis declarauit, ſe ab illorum opinione, quod vna ſit virtus, non prorſus eſſe alienam, vide IVSTVM LIPSIVM. [3] CICERO [4] autem

1 *de virtute morali p. 440.* 2 *animaduerſ. in lib. X. Laert. pag. 1437.* 3 *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib. III. diſſ. 4.* 4 *parad. III.*

adfir-

adfirmat, bono viro non meliorem nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem esse, *quia vna virtus est, consentiens cum ratione & perpetua constantia. nihil huic addi potest, quo magis virtus sit; nihil demi, vt virtutis nomen relinquatur*: & alio loco [1] profitetur, quod *qui vnam virtutem habeat, omnes habeat, quodque qui vnam confessus fuerit, se non habere, nullam sit habiturus.* confer SENECAM. [2] sed quamuis virtus sua natura sit vna; pro diuersitate tamen materiæ, in qua versatur, diuerso modo considerari & variis nominibus potest notari, hinc & philosophi de speciebus virtutis iisque primariis, vnde aliæ pendent, constituendis fuerunt solliciti. *Platonici* posuerunt quatuor virtutum genera, ex quibus primæ vocabantur *politicæ*, quæ hominis, qua animal est sociale, sunt, ac per quas salus publica, communis societas, amor mutuus conseruatur; secundæ *purgatoriæ*, si homo animum suum ab omni corporis contagione purgat; tertiæ *animi iam purgati* & quartæ *exemplares*; singulis autem harum virtutum speciebus alias adhuc easque principales addiderunt, prudentiam, temperantiam, iustitiam & fortitudinem. quamuis & diuersitas hac de re inter Platonicos deprehendatur; id tamen clarum est ac manifestum, quod hæc Platonica disciplina de virtute eiusdemque generibus nitatur principiis illis, quod anima humana ex diuina mente emanauerit, quodue contagione corporis contaminata, ex ipsius vinculis liberanda ac cum Deo iterum sit coniungenda, confer JA-

1 *quæst. Tuscul. lib. III. cap. 32.* 2 *epist. 65.*

COBVM THOMASIVM [1] MAGNVM DANIELEM OMEISIVM, [2] GEORGIVM PASCHIVM, [3] MICH. GOTTLIEB. HANSCHIVM. [4] alii ac plures quidem censuerunt, virtutem contineri his quatuor generibus, *prudentia*, *iustitia*, *fortitudine* ac *temperantia*, quem numerum ita laudant ecclesiæ patres, & qui hos secuti sunt, scholastici doctores, vt virtutes ita diuisas *cardinales* dicant, quod, vt fores cardinibus, ita illis omnis vitæ honestas & sanctitas fulciatur. sic & nonnulli illas ad duas contrahunt *fortitudinem* & *temperantiam*, & huc illud EPICTETI *ἀνέχου καὶ ἀπέχου* referunt, confer JO. FRANCISCVM BVDDEVM [5] quod ad Aristotelem adtinet, disserit quidem de variis virtutis generibus, [6] sed accuratius in ipsorum numerum inquisiuisse, nusquam deprehenditur. hinc alii enarrant vndecim virtutes Aristotelicas, quæ est vulgaris opinio, *fortitudinem* quippe, *temperantiam*, *liberalitatem*, *magnificentiam*, *modestiam*, *magnanimitatem*, *mansuetudinem*, *veracitatem*, *comitatem*, *vrbanitatem*, *iustitiam*; alii vero commemorant tantum nouem, & JO. GALVINVS [7] exhibet succinctiorem ethicorum Aristotelis ad Nicomachum synopsin, qua obseruat, quod virtus moralis aut reipsa sit virtus, aut virtutis speciem habeat: vera vel sit erga eosdem, vel diuersos: erga eosdem autem tum eos, qui habeant atque exerceant virtutem, tum alios: quæ vsurpetur erga eos,

1 *orig. hist. phil. & eccles. pag.* 100. 2 *ethic. Platon. pag.* 40. 3 *inuent. nou. antiqu. p.* 211. *sqq. introd. in rem litterar. moral. veter. cap. I. §.* 17. 4 *de enthusiasmo Platon. sect.* 7 *§* 3. *seqq.* 5 *instit. theolog. moral. Part I. cap. I sect.* 4. *§* 137. *not.* 6 *lib II. cap.* 7. *ad Nicom.* 7 *propaed. pract. p.* 119. *sqq.*

qui

qui habeant, attingat vel corpus, vt *fortitudo* & *temperantia*; vel honores, vt *magnanimitas* & *modestia*; quæ autem vsurpetur erga alios, cernatur vel in pecuniis, vt *liberalitas* & *magnificentia*; vel in congressu cum aliis, quæ iterum versetur vel in ira, vt *mansuetudo*; vel in sermonum actionumque societate, ac quidem vel in veritate, vt *veracitas*; vel in vitæ iucunditate, vt *vrbanitas* & *comitas*: virtus, quæ erga diuersos, scilicet cum eum, qui habeat, tum alios vsurpetur, 'sit *iustitia* & *amicitia*: ac tandem virtutis speciem habeant *verecundia* & *indignatio*.

§. XI. De his generibus virtutum, quæ posuit Aristoteles, multum est disputatum atque a multis obseruatum, quod numerus harum virtutum non sit admittendus. si enim virtutes principales sane cardinales tantum enumerandæ, numerus illarum esset amplior, quam res ipsa postularet; si sermo sit de omnibus virtutibus, longe plures, quam vndecim aut nouem deberent constitui, prout quoque Aristoteles non solum virtutes eminentissimas ac præcipue pietatem hoc numero omiserit; sed & quasdam attigerit, quæ decorum tantum spectarent, confer MAGNVM DANIELEM OMEISIVM. [1] sed, vt iam monuimus, Aristotelis mentem non assequuntur, qui existimant, ipsum tradidisse virtutes morales, quæ mentem humanam meliorem reddant & tranquillam; siquidem quum instruat hominem politicum, commemorat ciuiles tantum virtutes. quod si ita est, vti est, mirum non est, ipsum nullam fecisse mentionem pietatis

1 *theatr. virtut. & vitior. ab Aristotele omissor.*

aliarumque maxime nobilium virtutum, quæ internam tantum animi ſtabiliunt felicitatem; etiam quasdam in numerum virtutum retuliſſe, quæ ſolis decori regulis nituntur. quapropter ſectatores Ariſtotelis infeliciter multum conſumſerunt temporis, quum magiſtrum ac ducem ſuum defendere huncque numerum amplificare, atque ea, quæ omiſſa ſunt, redintegrare ſub quadam ſpecie, quod ex mente Ariſtotelis vna virtus interdum etiam alias complectatur, ſibi ſumſerint, vti præter alios THEOPHILVS GOLIVS [1] amoris & timoris erga Deum, id eſt pietatis iniicit mentionem. inprimis autem miramur, quod IO. FRIDERICVS GRONOVIVS [2] exiſtimet non ſolum, quod virtus apud Ariſtotelem dicta *magnificentia* comprehendat cultum & pietatem deorum; ſed & probare inſtituat, religionem poſitam eſſe in mediocritate. quod ad prius momentum pertinet, obſeruauit, veteres paganos perſuaſiſſe ſibi, quod quo maiores ſumtus facerent in rebus ſacris, eo ſanctiorem diis præſtarent cultum, hinc & SALLVSTIVS [3] dicat: *in ſuppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant*; & IVSTINVS [4] de templo Delphico: *multa igitur ibi & opulenta regum populorumque viſuntur munera, quæ magnificentia ſua reddentium vota, gratam voluntatem & deorum reſponſa manifeſtant.* at vero, quam ieiuna, quam arida, quam frigida talis eſt pietas! quæ in animos quidem plebeios ac rudes cadit;

1 *epit. doctrin. moral. ex decem libris ethicor. Ariſtot. ad Nicomach. collect. lib. II. cap. 6.* 2 *not. ad Grot. de I. B. & P. proleg. § 45. p. 28.* 3 *de bell. Catill. cap. 9.* 4 *lib. XXIIII. cap. 6.*

dit; ab ingenio vero philosophi, ad veritatem cognoscendam exculto longissime abest. quod si enim Aristoteles disciplinam ethices conscribere, induxisset mentem, verumque de Deo eiusdemque natura percepisset sensum, omnino ad hanc cognitionem potuisset peruenire, quod deus cultum sibi & menti suæ diuinæ consentaneum a mortalium genere postulet, id quod etiam alii pagani auctores tradiderunt. nec minus alterum momentum, quod obseruat GRONOVIVS, religionem positam esse in mediocritate, quidquam ponderis in se continet. nam quamuis discrimen ponat inter ipsam virtutem pietatis atque officia, per quæ pium nostrum animum erga deum demonstramus, atque adfirmet, officia admittere excessum, quum quis more hominum superstitioni deditorum plura præstet, quam ipse deus præcipiat, adeoque ex his efficiat conclusionem, quod religio medium sit ac fuerit inter superstitionis excessum & defectum impietatis siue atheismi; hæc tamen sententia nullo muniri potest fundamento. officia enim, quibus deo cultum exhibemus, accurate respondere debent ipsi affectui siue pietati, qui amore & timore erga summum numen absoluitur, ita vt qualis sit pietas, talia etiam debeant esse officia, quæ inde proficiscuntur. at vero, quum pietatis veræ studium nunquam pro infinita dei excellentia ac corruptis hominum animis tam nimium esse possit, vt diuinæ voluntati sit aduersum, sicque reprehensione dignum; sane ex his facile colligimus, quod etiam, officia ita sint comparata.

§. XII.

§. XII. Exposuimus itaque ea, qua fieri potuit, breuitate, summam doctrinæ moralis Aristotelicæ, atque ostendimus, quo spectet illa, quæue isti habenda sit dignitas. nec omni ætate prospera fuit fortuna philosophiæ huic, quam tradidit Aristoteles de moribus inter Christianos homines. quod si enim vetustiora tempora repetamus memoria, doctores ecclesiæ, quum Platonis & Stoicorum philosophiæ, cuius præcepta internam mentis felicitatem spectarent, magnum statuerent pretium, de Aristotelis doctrinis iudicarunt sinistre, atque ex illis multas gigni hæreses, sibi persuaserunt, vide JO. LAVNOIVM [1] ac quamuis æuo scholasticorum philosophus hic caput suum erigeret, omniumque admirationem cultumque animi in se conuerteret, hæc tamen fortuna, quam prospera etiam & florens fuerit, minus immota atque inconcussa extitit. namque quum LVTHERVS diuinis auspiciis christianam doctrinam ab impurissimorum temporum fecibus repurgaret, bonæ quoque litteræ suam recuperare dignitatem cœperunt, ac posthac homines eruditione præditi ac studio præstantissimæ veritatis occupati censuerunt, summa ope niti, fontes aperire, ex quibus incorrupta philosophia, quæ partim recta ratione eiusdemque genuina cogitandi libertate nititur, partim res vtiles continet, dimanare possit. quin etiam ipse LVTHERVS [2] censuit, libros Aristotelis ethicorum omnium esse pessimos, qui plane gratiæ diuinæ & virtutibus christianis ad-

1 *de varia Aristot. fortun. cap. 2.* 2 *tom. I. Altenburg. p. 178. tom. XII. Wittenb. p. 22.*

uer-

uerſentur adeoque digni ſint, vt ab vſu ſcholarum atque academiarum remoueantur longiſſime: confer CHRISTIANVM THOMASIVM, [1] GOTFR. ARNOLDVM, [2] IO. HENR. VON SEELEN. [3] quæ ſententia eo tempore, quo Ariſtoteles philoſophiæ princeps adhuc habebatur, plerisque nimis dura videbatur; hinc teſtatur IO. LAVNOIVS, [4] quod ordo theologorum Pariſienſium anno poſt natum ſeruatorem noſtrum MDXXI. plures Martini Lutheri propoſitiones damnauerit, in quibus & duæ fuerint, quæ pertineant ad Ariſtotelem, quarum prior hæc ſit: *philoſophia Ariſtotelis de virtute morali, de obiecto, de actu elicito talis eſt, quæ nec in populo doceri poſſit, nec ad ſcripturæ intelligentiam vtilis, quia continet duntaxat portenta verborum, non niſi ad contentiones verborum conficta. hæc propoſitio quantum ad omnes ſuas partes loquendo de philoſophia Ariſtotelis, in his maxime, in quibus a fide non diſcedit, eſt falſa, & tanquam ab inimico ſcientiæ arroganter & inſipienter aſſerta*: poſterior vero: *theologi ſcholaſtici Ariſtotelis moralia prorſus conuenire mentiti ſunt, cum Chriſti Paulique doctrina. has propoſitiones impudenter & falſo ſcholaſticis imponit ſcriptor, quod non eſt verum: quamquam ſatis exploratum ſit, in multis moralia Ariſtotelis cum Chriſti Paulique doctrina conſentire.* ſic quoque PHILIPPVS MELANCHTHON maxime amavit & ſectatus eſt Ariſtotelem, cuius philoſophiæ genuinos

1 *hiſt ſapient. & ſtult. p. art. 1. p. 12.* 2 *hæreſ. Part. 2 lib. 16. cap. 10. §. 20. p. 114.* 3 *Luther. de ſcholis optime merit. p. 43.* 4 *de varia Ariſtotelis fortuna cap. 12. p. 238.*

ape-

aperire fontes & ad istam iuuenrutem instituere, adnisus est singulari studio, prout dixit: [1] *Aristoteles de moribus ciuilibus adeo scripsit erudite, nihil vt de his requirendum sit amplius*, quibus verbis librum Aristotelis recte adpellat opus de moribus ciuilibus. alio autem loco [2] de philosophia Peripatetica ita iudicauit: *scio quosdam mirari alias sectas. nam stoicos suspiciunt nonnulli tanquam semideos. Valla quum reliquos philosophos rabiose exagitet, Epicuro tamen non obscure plausum dat. ego vero qui has sectarum controuersias diu multumque agitavi, ἄνω καὶ κάτω στρέφων, vt Plato facere praecipit, valde adhortor adolescentes, vt repudiatis Stoicis atque Epicureis, amplectantur Peripatetica.* nihilominus quo maiori studio successu temporis veram philosophiam adeoque etiam doctrinam moralem viri grauissimi tradere adlaborarunt; eo maiorem quoque impetum fecerunt aduersus Aristotelis libros ethicorum, quibus multa inesse, quae christianis scholis indigna essent, demonstrarunt. recte sentit IO. OWENUS: [3] *ausim dicere, non vnam veram virtutem vere & certe doceri in omnibus Aristotelis libris ad Nicomachum, neque quisquam vnquam ex eorum doctrina iustus, bonus aut certe σπουδαῖος euadet, nec nisi laruatus hypocrita.* confer CHRISTIANUM THOMASIUM.[4] equidem quod ad formam adtinet, quam in exponenda doctrina morali secutus est Aristoteles, negari non potest, quod mereatur laudem ob methodi rationem, quum ad certum ordinem

1 *apolog. August. Confess. p. 62.* 2 *praefat. philosoph. moralis.*
3 *theologumen. p. 65.* 4 *progr. de nævis ethic. Aristotel.*

medi-

meditationes ſuas dirigere primus inſtituerit. quando igitur HVGO GROTIVS [1] dicit: *inter philoſophos merito principem obtinet locum Ariſtoteles, ſiue tractandi ordinem, ſiue diſtinguendi acumen, ſiue rationum pondera conſideres*; de laude obſeruati ordinis, quæ Ariſtoteli vindicanda eſt, cum eo conſentimus. namque primus fuit, qui logicæ diſciplinæ operam dedit, eamque redegit in formam artis, quum ante Socratem illud *αὐτὸς ἔφα* atque inſignis philoſophorum auctoritas veluti norma veritatis haberetur; ipſe autem Socrates, præclaris intellectus facultatibus a natura præditus ſophiſtas exercens, id tantum efficeret, vt adpareret, dari quamdam ratiocinandi artem. ac quamuis præcepta, quæ in hac diſciplina tradidit Ariſtoteles, ſuis iisque grauiſſimis laborent morbis, ſiquidem regulas ratiocinandi nimis generales poſuit, modum tantum aliqua ratione verum & falſum diiudicandi, non autem inueniendi demonſtrauit; genuinam probabilitatis indolem minus attigit, etiam breuiora de fundamento ac variis generibus ratiocinationum, quam par eſt, fecit præcepta; ipſe tamen eo nomine dignus eſt laude, quod primus talis auctor extitit, atque animum ad doctrinam moralem methodo, vti dicitur, ſyſtematica conſcribendam adpulit: confer GEORGIVM PASCHIVM. [2] quapropter IO. BARBEYRAC [3] profitetur, quod Ariſtoteles tractauerit de virtutibus *d' vne manière plus*

1 *proleg. de iure belli & pacis* §. 42. 2 *de variis modis moralia tradendi cap.* 6. 3 *praef. ad Pufend. de iure nat. & gent. pag.* 93.

diſtin-

distincte, plus étendue, & plus methodique, que n'avoit fait son maître. sed licet methodus sit optima, ab ista tamen ipsa operis cuiusdam præstantia minus tantum pendet, quippe quæ imprimis ab argumentorum ac rerum, quæ exponuntur, dignitate dimanat.

§. XIII. Sufficit, nos demonstrasse, doctrinam moralem ab Aristotele explanatam, ciuilem modo felicitatem spectare, quod etiam fatetur RAPINVS: [1] *la morale d'Aristote est trop humaine, & trop renfermée dans les bornes de cette vie; il ne propose, presque d'autre felicité à l'homme, que celle de la vie ciuile.* quod si ita est, sicuti est, magna inde oritur suspicio, Aristotelem pietatem exuisse, ac mentem virtutibus, quæ animi felicitatem respiciunt, exercuisse minime. nam quis crederet, huiusmodi philosophum, qui magnam habebat auctoritatem, qui tam copiose de qualibet fere re disputauit, multosque libros etiam doctrinæ moralis protulit in lucem, quiue philosophiæ penitus sese tradidit, nihil de cultu ac religione erga deum scripsisse, si ipsi pius quidam adfectus fuerit? sed quid mirum? Aristoteles, quum tam praue de deo eiusdemque mente diuina, ac speciatim prouidentia senserit, non potuit, quin omne pietatis studium animo suo abiiceret, ac vitam ad leges ciuiles, quo in cœtu hominum felix esse posset, componeret. quod si enim pietas amore ac timore erga deum continetur; illi autem affectus per cognitionem diuinæ potentiæ, iustitiæ ac benignitatis in animis nostris excitantur; remota tali cogni-

1 *dans les reflex. sur la morale p. 346.*

gni-

gnitione, affectus quoque remouentur. quo nomine officio doctoris morum satis fecisse sibi videbatur, si modum ostenderet, quo quis societatem ciuilem colens, eiusmodi viuendi rationem posset obseruare, vt quietem publicam tueretur atque opinionem boni ciuis sibi adquireret. sic philosophus hic male existimauit de indole diuina; sic negauit prouidentiam dei atque animae immortalitatem, sic nulla praecepta virtutum moralium tradidit, sic nec pietatis fecit mentionem: & quis ex hisce momentis probabili ratione concludere dubitaret, Aristotelem mente sua nullum de deo habuisse sensum, praecipue si etiam praue & corrupte transegerit vitam, quam nunc contemplari, nobis est in animo.

CAPITIS IIII.
DE
ATHEISMO ARISTOTELIS PRACTICO.
SECTIO II.
DE
IPSIS ARISTOTELIS MORIBUS.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum ratio §. I. *character Aristotelis* §. II. *ipsius ambitio* §. III. *qua occasione ista inprimis fuerit excitata* §. IIII. *quod ambitio sit caussa atheismi* §. V. *studium eius simulandi & dissimulandi* §. VI. *de ipsius voluptate* §. VII. *de mortis genere* §. VIII. VIIII. X.

§. I. Nunc ad alterum momentum quo nititur atheiſmus Ariſtotelis practicus, animum noſtrum conuertimus. ſupra [1] quippe obſeruauimus, cognitionem de moribus auctorum magnam habere vim ad illorum atheiſmum diiudicandum; quod quum ita ſeſe habeat, non ab re erit, breuiter adhuc de ipſo vitæ genere, quod ſecutus eſt Ariſtoteles, diſputare. qua opera muneris eſt, partim, ſcriptores de vita Ariſtotelis conſulere; partim obſeruare, quodo momenta a nobis prolata animum philoſophi huius ſignificent, a ſenſu & cultu dei alienum. auctores, qui vitam Ariſtotelis ſcripſerunt, ſunt cum ex vetuſta ætate, DIONYSIVS *Halicarnaſſeus*, [2] DIOGENES LAERTIVS, [3] ANONYMVS latinus, quem edidit PETRVS IO. NVNNESIVS, [4] ANONYMVS græcus, quem exhibuit atque obſeruationibus illuſtrauit AEGIDIVS MENAGIVS [5] aliique; tum ex recentiori, ANDREAS SCHOTTVS, [6] FRANCISCVS PATRITIVS, [7] GVARINVS *Veronenſis* & LEONARDVS ARETINVS, [8] IO. IACOBVS BEVMERVS, [9] RENATVS RAPINVS, [10] vt de aliis taceamus, de quibus videre poſſumus IO. IONSIVM [11] & IO. ALB. FABRICIVM; [12] illorum autem, qui Ariſtotelem contra adcuſationes defenderunt, varios commemorat LILIENTHAL. [13]

1 *pag.* 240. 2 *epiſtol. ad Ammaeum.* 3 *libr. V.* 4 *addit. Ammonio latine edito.* 5 *ad Laert. t. II. opp. p.* 201. 6 *vita comparata Demoſthenis & Ariſtotelis.* 7 *lib. I. diſcuſſionum Peripateticarum.* 8 *de vita Ariſtotelis.* 9 *de vita Ariſtotel* 10 *compar. Platonis & Ariſtot.* 11 *de ſcriptoribus hiſtor. philoſoph.* 12 *bibl. græca lib. III. cap.* 6. §. 39. 13 *ſelectis hiſtor. & litter. obſeru. V. p.* 114.

§. II. No-

§. II. Nobis haud eſt propoſitum, accuratius vitam Ariſtotelis tradere, ſed ea tantum momenta attingere, quæ ratio diſputationis noſtræ poſtulat, vt ſubinde poſſit illuſtrari. quapropter inprimis reſpicere debemus Ariſtotelis indolem animi, in qua cognoſcenda actiones ab eo ſuſceptæ clariſſimum nobis præferunt lumen & efficiunt facultatem, concluſionem de mentis ipſius conditione conflandi. nec dicemus quid a veritate alienum, ſi in philoſopho hoc partim ratione intellectus magnam iudicii vim, partim ratione voluntatis indolem ambitioni & voluptati deditam, ita vt ſtudium gloriæ adhuc fuerit grauius cupiditate rerum ad voluptatem ſpectantium, notamus. patet enim ſatis manifeſte ex ipſius monimentis, quæ in gratiam poſteritatis ſunt conſeruata, quod alios philoſophos nominis quoque fama clariſſimos iudicandi facultate ſuperauerit, PYTHAGORAM & PLATONEM quippe, apud quos vis illa intellectus, quæ recipit rerum imagines, inprimis vigebat, atque efficiebat, vt multa ficta & commentitia, quorum ingenium ferax eſt, admitterent. cuiusmodi intellectus indoles, ſi adhuc cum mentis ambitione coniuncta eſt, facile viam ad atheiſmum parare poteſt, vt homines gloriæ ſtudio incitati, noua proferre & in illis ſpeciem grauiſſimi & magnifici iudicii demonſtrare, adeoque præ aliis ſibi famam adquirere elaborent, id quod multa atheorum exempla teſtatum faciunt. ſic gloriam libere cogitantium ſibi vindicant, quamuis reipſa veram cogitandi libertatem cum licentia quiduis cogitandi prauisque adfe-

ctibus indulgendi de induſtria confundant, cuius rei exemplum habemus in ANTONIO COLLINO.[1]

§. III. Sed vero pro ratione argumenti noſtri, præcipue intueamur indolem, voluntatis Ariſtotelis, in qua principem tenuiſſe locum ambitionem, iam adfirmauimus. quam in rem dignis argumentis confirmandam quasdam illius actiones perluſtrabimus, vt inde fiat apertum, honoris atque exiſtimationis ſtudio ſingulari occupatum fuiſſe philoſophum noſtrum. atqui primum ſua indole adductus litteris eiusmodi operam dedit, vt etiam tempus ſomno conſecrandum illis tradiderit, hocque vitæ inſtituto ſanitati ac fortunæ corporis magnam vim intulerit. hinc DIOGENES LAERTIVS[2] dicit, tradere quosdam, ὁπότε κοιμῷτο, σφαῖραν χαλκῆν μάλλεσθαι αὐτῷ εἰς τὴν χεῖρα, λεκάνης ὑποκειμένης ἵν' ἐκπεσούσης τῆς σφαίρας εἰς τὴν λεκάνην, ὑπὸ τοῦ ψόφου ἐξέγροιτο, *quum ſe ad quieſcendum componeret, æream ſphæram tenere in manu pelui ſubiecta, eo conſilio, vt cum e dormientis manu ſphæra ærea in ſubditum vas incidiſſet, ſono illius expergiſceretur.* quod & Ariſtotelis diſcipulum Alexandrum magnum feciſſe commemorat AMMIANVS MARCELLINVS:[3] *Alexander ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, vt quum neruorum vigorem ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnum.* ac quamuis nimiam eruditorum induſtriam, qua litterarum ſtudia ſunt proſecuti,

1 *diſcurſ. de libertate cogitandi.* 2 *lib. V. ſegm. 16.* 3 *libro XVI.*

non

non omnem ex ambitione deriuemus; in Aristotele tamen ea deprehendimus momenta, quæ plane nobis persuadent, ipsius tanta in litteras studia manasse ex cupiditate gloriæ. sic porro ingrato animo erga præceptorem PLATONEM extitit, *qui regnare se non posse putauit, nisi more Othomannorum fratres omnes trucidaret suos*, vt dicit BACO VERULAMIUS. [1] hinc scribit DIOGENES LAERTIUS: [2] ἀπέστη δὲ Πλάτωνος ἔτι περιόντος· ὥστε φασὶν ἐκεῖνον εἰπεῖν, Ἀριστοτέλης ἡμᾶς ἀπελάκτισε, καθαπερεὶ τὰ πωλάρια γεννηθέντα τὴν μητέρα, *recessit a Platone, dum adhuc superuiueret. vnde dixisse illum tradunt, Aristoteles in nos recalcitrauit, non secus atque in matrem pulli geniti.* de quo Aristotelis dissidio a Platone præclara quoque multa tradit AELIANUS, [3] & aperte significat, quæ indoles mentis ipsi fuerit, etiam alibi [4] ea, quæ DIOGENES commemorauit, confirmat, quod PLATO adpellauerit Aristotelem πῶλον, *pullum.* quemadmodum enim pullus lacte materno saturatus, calcibus petit matrem; ita quoque Aristoteles a Platone formatus & cognitione bonarum litterarum expletus, aduersus ipsum præceptorem pugnauit adeoque documenta animi beneficiorum haud memoris edidit. quamuis paullo aliter rem hanc referat HELLADIUS apud PHOTIUM: [5] Ἀριστοτέλης ὁ τοῦ περιπάτου προστάτης, ὑπὸ Πλάτωνος ἵππος ἐπωνομάζετο, ἐναντιοῦσθαι δοκῶν τῷ διδασκάλῳ· καὶ γὰρ ὁ ἵππος τὸν ἑαυτοῦ πατέρα δάκνει, hisque significet,

1 *de augmentis disciplinarum lib. III. cap. 4.* 2 *lib. V. segm. 2.* 3 *var. histor. lib. III. cap. 19.* 4 *lib. IV. cap. 9.* 5 *biblioth. p. 1589.*

quod Aristoteles in comparationem eum equo, qui & patrem soleat mordere, fuerit euectus. AMMONIVS quidem siue PHILOPONVS [1] obseruat, falsum esse, quod Aristoteles ex odio erga Platonem instituerit scholam; nec iste magistro suo, sed ipsius haud genuinis interpretibus contradixerit; sed vero num AMMONII siue PHILOPONI in causis Aristotelis tanta sit auctoritas, vt ipsi debeamus habere fidem, quisque bona mente poterit iudicare.

§. IIII. Nec defuit Aristoteli occasio, tantæ ambitioni atque arrogantiæ tradendi animum. namque relicta academia anno ætatis XLII. venit ad regem Philippum atque ALEXANDRI magni tum annum quintum & decimum agentis studiis præfectus est, eumque litteris formauit per quinque annorum spatium. hinc IVSTINVS [2] de Alexandro: *exacta pueritia per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto omnium philosophorum creuit.* utriusque regis gratia vsus est singulari, ita ut PHILIPPVS ipsius precibus adductus, Stagiram patriam a se euersam instaurauerit, in cuius honorem, vt AMMONIVS siue PHILOPONVS obseruat, Stagiritæ singulis annis celebrarunt Ἀριστοτέλεια. sic & ALEXANDER magnus insignes sumtus fecit in Aristotelem, quo felicius ea, quæ in natura sunt arcana, eruere ac perquirere posset, vide PLINIVM. [3] qua fortuna quum vteretur philosophus, illa sane magnam vim

1 *vita Aristotelis.* 2 *lib. XII. cap. 16. n. 8.* 3 *histor. natural. lib. VIII. cap. 16.*

ad

ad ipsius elatum ambitione animum adferre potuit, qui quo prosperiores sunt casus, eo maius capit incrementum. quumue hujusmodi homines magno studio sectentur adulationem, blanditias, assentationem; Aristoteles in id quoque vitium delabebatur, ita vt Alexandro maxime fuerit assentatus, hincque dictus apud LVCIANVM [1] κολάκων ἐπιτριπτότατος *assentatorum omnium perditissimus.*

§. V. Hominibus ambitioni deditis id primæ & maximæ curæ est, vt singulares foueant sententias, quibus se ab aliis eruditis distingui posse, sibi persuadent, hinc & soli sibi sapere videntur, reliquosque veluti vera sapientia atque eruditione destitutos parui faciunt. quæ & caussa est, cur tam procliues sint ad eius modi errores, quibus clarissimas veritates, etiam istam, quod sit deus, negent, saltem vocent in dubium, ne quid cum aliis commune habere videantur. idem a veteribus ecclesiæ doctoribus obseruatum est. IVSTINVS martyr, vel quisquis est auctor *quæstion. & responsion. ad orthodoxos*: δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἐκ φιλοδοξίας ἢ ἀντιπαθείας τῶν αἱρεσιαρχῶν, πᾶσαι αἱ αἱρέσεις τὰς ἀφορμὰς ἐσχήκασι τῆς συστάσεως αὐτῶν, *manifestum est, omnes hæreses occasionem habuisse ex ambitione & mutua inuidia hæresiarcharum*: [2] THEOPHYLACTVS: φιλαρχία τῶν αἱρέσεων μήτηρ, *dominandi libido hæreseon mater est*: [3] confer IO. GVILIELMVM BAIERVM [4] & IO. FRAN-

1 *tom. I. opp. p. 292.* 2 *quæst. 4. p. 394.* 3 *in cap. V. ad Galatas p. 483.* 4 *dissert. de ambitione hæresium caussa.*

CISCVM BVDDEVM. [1] quod si ita est, sicuti est, non mirum, Aristotelem tam praue sensisse de deo, rebus diuinis; nulla tradidisse præcepta de cultu dei, ex ipsa mente eiecisse sensum & pietatem erga summum numen, vt ambitione captus singulari se ab aliis philosophis seiungeret. equidem libenti fatemur animo, quod errores ac speciatim atheismus etiam ex aliis caussis possit gigni, nec quisque ambitione captus delabatur in tam crassam & pestiferam mentis conditionem, vt deum existere neget. deprehendimus enim quosdam ex ipsis antiquis philosophis, qui eodem animi vitio laborarunt, quamuis a plerisque immunes habeantur atheismi, vt ex exemplo PYTHAGORAE patet. namque si ipsius vitam inspiciamus penitus, multa sane indicia elati spiritu quodam philosophico animi obseruamus, quidquid alii dicant, de præclara ejus humanitate & modestia; atheismus autem, cuius nonnulli illum adcusarunt, nullo nititur fundamento. sed vero quod ad Aristotelem adtinet, ideo eius atheismum deriuamus ex ambitione, quod non solum constat, illum corrupisse mentem hocce vitio; sed etiam male iudicasse de deo ac doctrinam de ipsius cultu, quem & sana ratio iubet, reliquisse intactam.

§. VI. Solemnis est ars simulandi & dissimulandi hominibus ambitiosis, quod ita eleganter exprimit SALLVSTIVS: [2] *ambitio*

1 *instit. theol. moral. Part. I. cap. 1. sect. 4. §. 60. de atheismo & superst. cap. 4. §. 1.* 2 *de coniurat. catilin. cap. 10.*

mul-

multos mortales falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habere; qui & hæc habet de amicitia horum hominum; *amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimant, magisque vultum, quam ingenium bonum habent.* idem fecit & Aristoteles, qui pectore suo nullum de deo habuit sensum, & quamuis nihil tradiderit de rebus diuinis, quod tanto ingenio esset dignum; in speciem tamen interdum contra atheos disputauit. sic insimulat philosophos sectæ Ionicæ, quod præter materiam nullum aliud principium rerum naturalium admiserint, [1] quamuis exinde non pateat, quod & nullum deum, cuius haud fecerint mentionem, agnouerint. quapropter AVCTOR obseru. Hal. [2] dicit: *prodidit autem Aristoteles in eo maxime animum suum ad atheismum pronum ac procliuem, quod tantos contra atheos clamores excitet, ostentando quandam nugatoriam de deo notitiam, quæ tamen ab intimiori cognitione & perceptione remotissima fuit: qui enim deum non agnoscunt & licet firmissime sibi persuadeant, se deum credere, ac subtilissime contra atheos disputare possint, nihilominus pro atheis iure optimo venditantur.*

§. VII. Obseruauimus quoque in Aristotele animum voluptati traditum, cuius rei testimonium exhibemus ex DIOGENE LAERTIO, [3] qui ex ARISTIPPI libro primo de

1 lib. 7. cap. 3. metaphysic. 2 tom. VIII. obs. 10. §. 11.
3 lib. V. segm. 4.

antiquis deliciis tradit, ἐρασθῆναι τὸν Ἀριστοτέλην παλλακίδος τοῦ Ἑρμίου, *adamasse Aristotelem Hermiæ concubinam.* qui & addit: τοῦ δὲ συγχωρήσαντος, ἔγημέ τε αὐτὴν, καὶ ἔθυεν ὑπερχαίρων τῷ γυναίῳ, ὡς Ἀθηναῖοι τῇ Ἐλευσινίδι Δήμητρι. τῷ τε Ἑρμείᾳ Παιᾶνα ἔγραψεν, *quam ille quum sibi permisisset, duxisse eam, & gaudio elatum immolasse mulieri, vt Athenienses Eleusinæ Cereri Hermiæque pæana scripsisse.* quæ verba produnt omnino animum, in quo libido fuit non mediocris, siue pæana, siue carmen tantum panegyricum scripserit, de quo momento paullo post dicemus. atqui hæc indoles animi, quæ erat philosopho nostro, omnino fuit consentanea atheismo, atque efficit, vt modo formauerit se ad externam honestatis speciem; modo vero aperte pro corruptis animi studiis egerit.

§. VIII. Tandem ad vltima Aristotelis fata nos conuertamus, ex quibus nouum argumentum de moribus ipsius haud rectis, sed impiis petere possumus. sunt, qui ipsum adcusant αὐτοχειρίας, cuius mortis autem, quam ipse sibi intulerit, duo eaque diuersa genera traduntur. alii Aristotelem cicutæ poculo hausto ex vita commigrasse dicunt, quo pertinent ex antiquis EVMELVS apud DIOGENEM LAERTIVM [1] item HESYCHIVS, SVIDAS; ex recentioribus vero FRANCISCVS PATRITIVS, [2] qui dicit; *perrexit ergo Athenis docere, vsque ad sexagesimum secundum suæ ætatis annum, quo tempore ab Eu-*

1 *cit. loc. segm. 6.* 2 *tom. I. lib. I. p. 9. discuss. Peripat.*

ryme-

rymedonte quodam hierophanta, vel sycophanta ἀσεβείας, i. e. impietatis est accusatus, eo scilicet, quod Hermiæ eunucho iam olim, veluti Apollini pæana cecinisset, ac Pythiadi uxori tanquam Cereri sacrificasset. itaque metuens, ne sibi tunc, quod olim Socrati, accideret; solum vertit, Chalcidemque Euboæ se recepit. dum vero Chalcide moratur, orationem in sui defensionem scripsit, eamque iudicibus transmisit. sed quum oratio ea ad iudices nihil profecisset, ad iudiciumque nihilominus vocaretur, cicutam bibere elegit, cuius succo XLIII. *anno ante Socrates extinctus fuerat.* cui adiungere possumus IVSTVM LIPSIVM:[1] *cum* XIII. *annos,* inquit, *docuisset a morte Alexandri, impietatis accusatus ab Eurymedonte sycophanta Chalcidem profugit & poto aconito vita aufugit.* alii autem adfirmant, quod se in Euripum præcipitem dederit, quod naturam eius caussamque fluxus & refluxus assequi non potuerit. CAELIVS RHODIGINVS:[2] *legimus quippe virum hunc* (Aristotelem) *Euripi septies die ac nocte reciprocantis naturam admiratum, caussas altius secum librantem, quum minus voti compos euaderet, animi ægritudine contraxisse morbum, ex quo non conualuerit amplius. sunt qui prodant in fretum dedisse præcipitem se præfatum elogium: quoniam Aristoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Aristotelem.* alii tantum tradunt Aristotelem magno pudore ac mentis mœrore, quod naturam Euripi cognoscere haud potuerit, occupatum e vita excessisse, ac momentum illud,

1 *ad Senecam de otio sapient. cap.* 32. 2 *lection. antiqu. lib.* XIX. *cap.* 8.

quod

quod se in mare coniecerit, haud adtingunt. sic IVSTINVS: [1] ὐδὲ τὴν τῦ Ευρίπυ φύσιν τῦ ὄντος ἐν χαλκίδι γνῶναι δυνηθεὶς, διὰ πολλὴν ἀδοξίαν καὶ αἰσχύνην λυπηθεὶς μετέςη τῦ βίυ, *quum neque Euripi Chalcidici naturam cognoscere posset, vnde propter ingens probrum & pudorem in mœrorem coniectus morte vitam commutauit*: & GREGORIVS NAZIANZENVS [2] ita adloquitur Iulianum: *laudas insuper in Homero discendi amorem circà Arcadicam quæstionem & in Aristotele philosophiam & diutinam moram ad reciprocos Euripi æstus, quibus vterque occubuit.*

§. VIIII. Sed vero nec desunt, qui Aristotelem facinoris huius absoluunt, ac probare contendunt, ipsum morte naturali esse defunctum, quam in rem varia proferunt testimonia. etenim dicat DIONYSIVS *Halicarnasseus*: [3] *post Philippi obitum, Euenæto prætore, profectus Athenas Aristoteles scholas habuit duodecim annos in lyceo. decimo tertio autem, Alexandro mortuo, prætore Cephisodono, Chalcidem migrauit, ibique ex morbo decessit, quum tres & sexaginta vixisset annos*: cui adiungunt APOLLODORVM, qui tradat apud DIOGENEM LAERTIVM, [4] Aristotelem *quum tredecim annos in lyceo docuisset, Chalcidem anno tertio Olympiadis centesimæ quartæ decimæ perrexisse ibique morbo periisse, quum esset annorum fere LXIII.* item CENSORINVM [5] dicentem: *Aristotelem ferunt naturalem stomachi infirmitatem crebrasq; morbidi corporis*

1 *cohort. ad gentes p.* 34. 2 *orat. III. pag.* 79. *tom. I. opp.* 3 *epistola ad Ammaeum.* 4 *lib. V. segm.* 10. 5 *de die natali cap. XIIII.*

offen-

offensiones adeo virtute animi diu sustentasse, vt magis mirum sit ad annos LXIII. eum vitam pertulisse, quam vltro non protulisse. nec solum testimoniis hisce sese muniunt, quum Aristotelis caussas perorent; sed & ipsas adcusationes remouere & quod illis nihil veri nec solidi quid insit, demonstrare elaborant. quod igitur ad priorem sententiam adtinet, Aristotelem cicutæ poculo hausto fuisse extinctum, obseruant, quod sua voluntate Athenis Chalcidem sese contulerit, nec statim tradiderit fugæ, sed posthac, quum defensionem suam nullum habuisse pondus, cognouerit. quo metu impulsus quum profugerit Athenis, ne a senatu cicutæ poculum bibere exemplo Socratis cogeretur, sane non esset simile vero, ipsum propria libidine incitatum hausisse venenum hacque ratione sibi adtulisse mortem: *quid enim opus fuit solum vertere, & Athenis fugere, si voluntarie erat obiturus? annon vt in Eubœa, sic Athenis potare aconytum & vitam finire licebat?* dicit GVARINVS *Veronensis* [1] adhæc monent, crimen, quo adcusatus fuerit, tanta pœna non esse dignum, siquidem veteres non solum in honorem deorum, sed etiam heroum & aliorum virorum pæanes scripserint, teste ATHENAEO: [2] vnde miratur IVLIVS CAESAR SCALIGER: [3] *quod Athenienses prosecuti iudicio sint Aristotelem, quoniam in Hermiam, qui esset mortalis, tanquam in deum pæana condidisset, quum tamen etiam viris fortibus daretur id.* quin etiam Aristoteles in Hermiam non pæana, sed carmen tan-

1 *vita Arist. pag. 54.* 2 *Deipnosoph. lib. XV. cap. 16.*
3 *poetic. lib. I. cap. 44.*

tum

tum panegyricum fecerit, auctore ATHENAEO [1] nec posteriorem sententiam grauioris esse auctoritatis iudicant, quo de argumento pluribus disseruit LILIENTHAL: [2] adde THOMAM STANLEIVM. [3]

§. X. Quod Aristoteles cicutae poculo hausto se vita priuauerit, nulla veritatis specie adfirmari potest. num autem in mare se dederit praecipitem, an minus, hac de re haud disputabimus, id tantum probabili ratione adfirmantes, quod Aristoteles propter nimium in cognoscendas res naturales studium vires corporis fregerit, & singulari adfectus moerore vita fuerit defunctus, confer PETRVM BAELIVM. [4] atqui hoc mortis genus etiam inter species αὐτοχειρίας potest referri. quid multa? vixit Aristoteles, vt sensit. errores ipsius sequebatur corruptio morum. sed haec sufficiant.

1 *cit. loco.* 2 *selectu historicis & litterar. p.* 113. 3 *histor. philos. p.* 427. 4 *voc. Aristot.*

DIATRIBE

367

DIATRIBE
DE
ENTHVSIASMO VETERVM SOPHISTARVM ATQVE ORATORVM.

Digitized by Google

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Differitur de arte & natura, quæ efficiunt oratorem §. I. *quid & quotuplex sit enthusiasmus* §. II. III. *de enthusiasmo poëtico* §. IV. *num eloquentiæ insit aliquid diuini* §. V. *exempla de enthusiasmo veterum sophistarum* in inuentione §. VI. *quæ confirmantur per testimonia* §. VII. *& illustrantur ex adpellatione diuinitatem significante illorum* §. VIII. *de ipsorum enthusiasmo* in actione §. VIIII. X. *antequam instituitur iudicium de hoc enthusiasmo, obseruatur* primum, *quod non omnes huic sententiæ addicti fuerint* §. XI. deinde *multi de oratoribus differentes formulis, quæ diuinitatem significent, veluti translatis vtantur* §. XII. *fundamentum enthusiasmi demonstratur* partim *ratione ipsorum oratorum, quorum* nonnulli *ex animo per creditum cum dæmonibus commercium, talem sibi persuaserint* §. XIII. XIIII. XV. XVI. nonnulli *autem simulate per fraudes & fallacias istum præ se tulerint* §. XVII. XVIII. XVIIII. partim *ratione auditorum aliorumque, qui crediderunt, diuino adflatu esse incitatos oratores. hæc persuasio deducitur ex vi oratoria* §. XX. partim *ratione ipsarum orationum, per quas elaborarunt in* intellectu *admirationem* §. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. *in* voluntate *vero* cum *delectationem* §. XXV. XXVI. XXVII. tum *stuporem & vehementiam motus* §. XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. partim *ratione indolis auditorum* §. XXXIIII.

In vtramque partem disputatum fuit, num naturæ atque ingenii dotes, an artis præcepta magis valeant ad facultatem copiamque dicendi? quo momento quondam opinio- num

num diuersitatem fuisse deprehendimus. extiterunt quippe, qui benigniori naturæ eiusdemque muneribus, si non omnia, plurima tamen, quæ disertus atque eloquens homo præstat, accepta retulerunt, quæ sententia fuit ex vetustioribus SEXTO EMPIRICO, & qui ipsum sequitur ætate recentiori, ROLANDO MARESIO. qui quum opinionem hanc præcipue auctoritate exemplorum cum DEMOSTHENIS, tum ANTONII, qui eloquentiæ summam laudem & mirificam existimationem habebant, confirmauerit, illis commemoratis, hæc addidit: *itaque vt quis disertus euadat, non multum meo iudicio in istis rhetoricæ præceptis, quæ sunt infinita, se torquebit; sed quum erit communi illa eruditione imbutus, quæ in artibus ingenuis consistit, & philosophiam, præcipue moralem attigerit, quas Socraticas chartas appellat Horatius, tum demum frequenter se in dicendo & scribendo exerceat. exercitatio enim, quod potentissimum discendi genus vocat Quinctilianus, sine multis præceptis aliquem eloquentiæ vsum afferet ei, modo indolem habeat, & naturam ad eam idoneam, quæ præcipue hic multum valet.* [1] sic quoque nonnulli existimarunt, speciatim sublime dicendi genus, & id quod in oratione sit grande & magnificum, ad nullas artis regulas posse reuocari, auctore DIONYSIO LONGINO, [2] qui autem alio loco [3] id tulit hac de re iudicium: προσήκει δὲ, μεγαλοφυΐας βοήθημα τῇ φύσει πορίζεσθαι τὴν τέχνην, *præstat autem, vti ad perficiendam orationis grandita-*

1 *epist. philolog. lib. II. epist. 51.* 2 *περὶ ὕψους sect. II.* 3 *ibid. sect. XXXIII.*

tem ars naturæ ſuccurrat. quumque poëſis genus quoddam eloquentiæ conſtituit, huc quoque ea poſſunt transferri, quæ de iſta eiusque cultura diſſerit HORATIVS; [1]

natura fieret laudabile carmen, an arte?
quæſitum eſt. ego nec ſtudium ſine diuite vena,
nec rude quid proſit, video, ingenium: alterius ſic
altera poſcit opem res, & coniurat amice;

quæ ſententia ſuis munita eſt argumentis. prout enim omnis habitus, ſiue corporis ſit ſiue animi, induſtria & actionibus ſæpius ſusceptis a nobis comparantur; ſic vt talis conſtans & facilis aliqua in re perfectio gignatur, neceſſe eſt, facultatem habitus a natura habere, adeo vt qui ingenio minus valet, nihil præclari in litterarum ſtudiis poſſit præſtare. varia autem ſcientiarum ſunt genera, ad quas non quoduis ingenium promiſcue aptum eſt, ſed pro diuerſitate materiarum, in quibus verſantur, ſibi ſemper conuenientem intellectus humani indolem poſtulant, ſi ipſarum cultura ſuos ferre debeat fructus, quippe quæ facile ad eloquentiæ diſciplinas poſſunt adplicari. ac quamuis minus negauerim, quod quis ſingulari ingenii excellentia conſpicuus, per diligentiam aſſiduamque exercitationem, vel ſine artis cognitione effici poſſit eloquens; huiusmodi tamen via ad ſuſcipiendam ſtudiorum eloquentiæ rationem multis circumſepta eſt difficultatibus. quapropter melius omnino conſulunt ſibi, qui quum mentem eloquentiæ conſecrauerint, non ſolum ea, quæ beneficio naturæ

1 *de arte poetica v. 407. ſeqq.*

bona

bona habent, per doctrinam ac præcepta reddunt meliora, & quæ non optima, aliquo modo acuunt & corrigunt; sed & exercitia ad artis regulas, easque breues, perspicuas & firmas adcommodant. nam si genuinam ac veram eloquentiæ indolem, qua naturali cursu omnia fluunt, quaue cogitationes sensusque atque affectus animi accurate ac pro ratione materiæ & personarum eleganter sese produnt, spectamus, illa haud multa admittit præcepta, quin etiam id, quod in oratione quadam pulcrum est, multis regulis determinari ac definiri haud posse existimamus. nec iis de caussis a sententia ROLANDI MARESII sumus alieni, quod exercitationi plurimum temporis atque industriæ sit relinquendum, si modo ingenium eloquentiæ natum ad breuia solidaque institutum fuerit præcepta, adeo vt si rem ipsam inspiciamus penitus, censeamus, disceptationem illam naturane potius an arte constet dicendi facultas? esse nullius momenti, quoniam vtrumque coniungendum est. num autem aliquis, qui mentem suam litteris hisce excolit, generatim plus debeat naturæ, an doctrinæ vindicare? id per diuersitatem cum ingeniorum tum præceptorum curatius definiri non potest.

§. II. Sic natura & ars efficiunt oratorem. sed veteres artis oratoriæ magistri atque auctores θεῖόν τι, *aliquid diuini* quoque eloquentiæ inesse crediderunt, ac persuaserunt sibi, deos quoque oratoribus, quum declamarent, præsto esse, eoque haud obscure significarunt, quod summa dicendi facultas ac laus non solum a benignitate naturæ ac doctrinæ elegan-

 tia;

tia: ſed & ſingulari diuina ope ſit petenda. quo ſpectat veterum ſophiſtarum atque oratorum enthuſiaſmus, cuius rationem ex antiquis monimentis explicare, etiam diiudicare, nobis eſt in animo, quod argumentum vt aperte exponamus, non ab re erit ea, qua fieri poteſt, breuitate de ipſo enthuſiaſmo præfari. atqui vox *enthuſiaſmi* aliquid cæleſte ac diuinum indicare videtur. ἔνθεος enim ſiue ἔνθους eum ſignificat, qui numine quodam agitatur & recepto, vt SENECA dicit, furit deo, vide HENRICVM STEPHANVM:[1] ſic MOSES apud PHILONEM[2] ἔνθους αὐτίκα γίνεται, προφητικοῦ πνεύματος ἐπιφοιτήσαντος, *numine corripitur illico, ſpiritu prophetico ipſum afflante*; & ab EVSEBIO[3] Seruator noſter vocatur ἔνθεος καὶ οὐράνιος λόγος, *Deo plenum & cæleſte verbum*; ſancti autem prophetæ a THEOPHYLACTO[4] adpellantur ἔνθεοι προφῆται, *Deo pleni prophetæ*. hinc etiam SVIDAS[5] nomen hoc ita interpretatur: τεθεοφορημένος. ἐνθουσιῶν. συναλοιφὴ δὲ τοῦ ἔνθεος, *a numine agitatus, numine aliquo afflatus. fanaticus. per ſynalœphen vero* ἔνθους *dicitur pro* ἔνθεος. * ab hac voce ἔνθους ortum eſt verbum ἐνθουσιάζειν, *diuino adflatu incitari*, & hinc nomen ἐνθουσιασμὸς, *adflatus inſtinctusque diuinus*, cuius vſus apud PLATONEM eiusdemque ſectatores frequens eſt, adeo vt vox *enthuſiaſmus* vi primæ originis bonam præ ſe habeat ſignificationem. etenim notat adflatum & inſtinctum diuinum, per quem homo Deo plenus redditur; ſiue

1 *theſaur. græc. linguæ tom. I pag.* 1531. 2 *vita Moſis libr. I. pag.* 499. 3 *hiſtor. eccleſ. lib. I. cap.* 4. 4 *comm. in I. Cor. XII. confer SVICERVM theſaur. eccleſ. tom. I. pag.* 1117. 5 *lexic. part. I. p.* 748.

gene-

generatim motum in mortalium animis, qui a vi quadam atque operatione diuina proficiscitur; speciatim vero modo tantum intellectus lucem diuinam, quo nomine etiam HESYCHIVS [1] & SVIDAS [2] hanc vocem explicant: ὅταν ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπηται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, *quando tota anima illuminatur a Deo*; modo etiam simul motum voluntatis atque ipsius adfectuum. at vero quamuis notio hæc sit bona; vetustiori tamen, ac inprimis recentiori æuo voci huic eiusmodi quoque significatio adtributa fuit, vt aliquid mali contineat atque indicet. nam profani auctores interdum nomine hoc ea vtuntur sententia, vt significet insaniam, & ἐνθουσιάζειν idem sit ac μανίαν ἔχειν, id quod inde ortum esse, nonnulli existimant, quod paganorum vates, quum ederent oracula, quendam furorem præ se ferebant. ** ac quem fugiat, nostro tempore enthusiasmum significare eiusmodi mentis vitium, quo quis facultate iudicii destitutus, magna autem vi imaginationis præditus varios diuinos motus cum in intellectu tum voluntate, quamuis aut fictitii sint ac commentitii, aut a caussis in natura rerum stabilitis proficiscantur aut malo dæmoni suam debeant originem, sibi persuadet? quem motum animi interdum quoque corporis commotio sequitur, vt ex historiarum monimentis, quibus res ab enthusiastis gestæ traduntur, satis clare patet; etiam diuinis vatibus sub priori fœdere ita contigit, vt quum ipsorum animum ad saluberrimas doctrinas Deus instrueret, corpora quoque mo-

1 *lexic. p. 319.* 2 *lex. tom. I. p. 748.*

tu adficerentur, cuius rei documento esse possunt SAVL ac DANIEL [1] ***

* vox ἔνθεος in scripturis sacris non deprehenditur, quamuis aliæ dicendi formulæ ibi sint, quibus idem significatur. sic de scriptoribus θεοπνεύστοις dicitur, quod locuti fuerint φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου 2. Petr. I. v. 21. de Elisabetha ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου, Luc. I v. 41. de Zacharia ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου καὶ προεφήτευσε. v. 67. & de Stephano, quod fuerit πλήρης πνεύματος ἁγίου, act. VII. 55. ac PAVLVS pro Ephesiis ita precatur, ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ, Ephes. III. 19. vid. venerandi IO. FRANCISCI BVDDEI instit. theol. moral. part. I. cap. I. sect. V. §. 17. not.

** apud scriptores & doctores ecclesiæ dicuntur homines vi mali dæmonis agitati ἐνθουσιασταί. vt patet ex adpellatione hæreticorum Messalinorum. de quibus legi possunt THEODOR. hist. eccles. l. IIII. c. 11. & HARMENOPVLVS de sectis sect. 18. adde ADAMI RECHENBERGII hierol. reale. pag 520.

*** disputatum est, num ecstasi enthusiasmi notio respondeat? sunt, qui has voces earumque significationes perturbant; alii vero inter ecstasin atque enthusiasmum magnum constituunt discrimen, ac per ecstasin intelligunt eiusmodi hominum conditionem, quum mente ita sint incitati, vt omnis sensuum externorum vis debilitata, fracta, immo penitus sublata videatur. nomen enim *ecstaseos* a verbo ἐξίστασθαι, id est, *ex loco ac statione sua dimoueri*, ortum est. de cetero negari non potest, quod enthusiasmus interdum dicatur ecstasis, quodue etiam illi, quibus contingit enthusiasmus, in ecstasin rapiantur,

[1] *1. Sam. XVIIII, 24. Dan. VII, 28.*

saltem

saltem rapi sibi videantur. confer MARTINVM SCHOOKIVM de ecstasi, & quæ præter alios collegit THOM. CRENIVS animadvers. philol. p III. c. 3. §. 10.

§. III. Varia enthusiasmi genera ponuntur a scriptoribus cum profanis tum christianis. quod ad paganos attinet, PLATO inprimis ac PLVTARCHVS hac de re disputarunt, quorum ille [1] quatuor constituit species, μανίαν μαντικὴν, *furorem diuinatorium*, quem Apollini; τελεστικὴν, *bacchicum* siue mysticum, quem Dionysio; ποιητικὴν, *poëticum*, quem musis & ἐρωτικὴν, *amatorium*. quem ἀρίστην vocauit, Venerique atque amori acceptum retulit: hic [2] vero quinque genera commemorat, *diuinatorium, corybanticum, poëticum, bellicum & amatorium*. atqui inter auctores christianæ professionis præcipue est MERICVS CASAVBONVS, [3] qui quum enthusiasmum diuidere instituisset in *naturalem* & *supernaturalem*, de isto singulari industria tractat, atque octo illius genera ponit, quorum primum complectitur enthusiasmum *philosophicum*; secundum *rhetoricum*; tertium *poëticum*; quartum *supplicatorium*; quintum *musicum*; sextum *martialem* siue *bellicum*; septimum *amatorium*, & octauum *mechanicum*. HOORNBECKIVS [4] existimat, alium enthusiasmum esse *bonum*, qui originem suam trahat a virtute atque operatione diuina; alium vero *malum*, quem pessimus spiritus auctorque malitiæ hominum, vel propria mentis imbecillitas efficiant. præter quos adhuc mentionem facimus HENNINGII

1 *Phædro p.* 352. 2 *amator. p.* 758. 3 *de enthusiasmo cap.* I. *pag.* 12. 4 *summ. controu. lib. VI. p.* 378.

IO. GERDESII, [1] qui diuidit enthuſiaſmum in *verum* & *fictitium*: *verum* iterum in *naturalem*, qui ſit hominis nunc ſani, nunc morbo laborantis; *præternaturalem* & *ſupernaturalem*, vt de aliis taceamus. ac quamuis nobis haud ſit in animo, in huiusmodi genera, num recte, bene & ex ordine ſint poſita, inquirere; illud tamen obſeruamus, ſcriptores poſteriores mentem ad ipſam vocis huius notionem haud aduertiſſe, quin etiam varias illius ſignificationes ſimul admiſiſſe. nam antequam de generibus enthuſiaſmi diſpiciamus, neceſſe eſt, vt momentum ſignificationis, num bona, an mala eſſe debeat, ſit expeditum, quo expoſito, de firmo ſolidoque diuiſionis fundamento ſollicitum eſſe decet. ſic alia ratione enthuſiaſmi ſpecies conſtituere debemus, quando iſte adflatum atque inſtinctum vere diuinum ſignificat; alio vero modo, ſi talis adflatus haud cæleſtis, ſed fictus eſt & commentitius, in quo numero omnia enthuſiaſmi genera apud homines paganos celebrata habenda eſſe cenſemus, quæ iterum pro diuerſitate rerum, in quibus verſantur, etiam cauſſarum, a quibus pendent, in multas diffunduntur formas. ſed tamen alienum eſſet a propoſito diſſertationis argumento, copioſe atque vberius hac de re diſputare, præcipue quum iſtam alii nobiliſſima atque ampliſſima induſtria iam ſint perſecuti, MERICVS CASAVBONVS, [2] HENRICVS MORVS, [3] IO. LOCKIVS, [4] HENNINGIVS IO. GERDESIVS, [5] IO. FRANCISCVS BVD-

1 *de enthuſiaſmo cap. I § 5.* 2 *de enthuſiaſmo.* 3 *de enthuſiaſmo triumphato tom. II. opp. phil. p. 188.* 4 *de intellectu humano lib. III. c. 19.* 5 *ſchediaſ. de enthuſiaſmo.*

DEVS,

DEVS, [1] MICHAEL GOTTLIEB HANSCHIVS [2]

§. IV. Sufficiat, breuiter ea attigiſſe, quae diſſertationi lucem quamdam praeferunt, quibus expoſitis, ad ipſum argumentum explicandum conuertimur, id quod quum praeſtare inſtituamus, operae pretium erit, enthuſiasmum quoque poeticum, * inter quem & oratorium magna eſt ſimilitudo, paucis ex antiquae aetatis monimentis illuſtrare. ex ſcientiarum diſciplinis, quibus veteres pretium aliquod poſuerunt iisque excoluerunt mentes, poeſis praecipue fuit, cui aliquid diuinitatis inditum eſſe, fabuloſa credidit aetas, cuius auctores ſaepe numero commercia cum diis, atque illorum adflatum animique cis & trans rationem vehementiorem impetum finxerunt. hinc NASO [3] canit:

eſt Deus in nobis; & ſunt commercia caeli.
ſedibus aetheriis ſpiritus ille venit.

item: [4]

eſt Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
impetus hic ſacrae ſemina mentis habet.

& HORATIVS: [5]

quo me, Bacche, rapis tui
plenum? quae in nemora, aut quos agar in
ſpecus,
velox mente noua?

quibus verbis ſatis aperte ſignificat poeta, ſibi eſſe propoſitum, Bacchi numine plenum ac mente concitatum Auguſti laudes celebrare,

1 *inſtit. theol. mor. part. I. c. I. ſect. 5. §. 17 ſqq. theſib. de atheiſm. & ſuperſtit. cap. II. § 5.* 2 *de enthuſiaſmo Platonico ſect. 1. 2.* 3 *de arte amandi lib. III. v. 549.* 4 *lib. VI. v. 5 faſt.* 5 *lib. III. od. 25. v. 1 ſqq.*

ac quidem nouo carminis genere, lyrico quippe, quod excogitasse, ipse sibi gloriæ ducit, ex quo etiam patet, cur alio loco [1] ita scribat:

male sanos
adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas.

nec solum ipsi carminum auctores de tali instinctu diuino sunt gloriati; sed & alii pagani scriptores idem tradiderunt, siquidem quum APOLLONIVS RHODIVS [2] principium operis sui his verbis facit:

Ἀρχόμενος σέο Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν μνήσομαι,
tuis Phœbe auspiciis viros veteres eosque fama claros
memorabo;

obseruat scholiastes: παραπλησίως γὰρ τοῖς μαινομένοις οἱ ποιηταὶ ἐνθυσιῶσιν, *ad exemplum fere insanorum poëtæ diuinitus commouentur*: EVMOLPVS apud PETRONIVM [3] de arte poëtica differit, eiusque & hoc constituit præceptum: *præcipitandus est liber spiritus, vt potius furentis animi vaticinatio adpareat*; & CICERO: [4] *sæpe audiui, poëtam bonum neminem, (id quod a Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris.* ** sic poëtarum natio diuinitus incitata credebatur, qui carmina sua non sine cælesti aliquo mentis instinctu funderent, nec solum ab Apolline musisque, sed & Baccho ac Venere multa ad versus scribendos haberent adiumenta. quumue PLATO, vt ex superioribus constat, quatuor τῆς θείας μα-

1 *lib. I. epist. 19. v. 3.* 2 *argonaut. lib. I. v. 1.* 3 *satir. cap. 118.* 4 *de oratore lib. II, c. 46.*

νίας

νίας constituit species, & primam quidem Apollini refert acceptam, ex qua vaticinia credit pendere; secundam Baccho, ex qua mysteria; tertiam musis, vnde poëticum accersit impetum; quartam denique Veneri, vnde vim amatoriam; hæc omnia furoris genera poëtæ sibi vindicant. namque per Apollinem & musas motus illi intelligi possunt, quibus adficitur animus ipsiusque facultas ad operationes sibi consentaneas excitatur, si quidem Apollo non solum fatidicis, vt existimat PLATO, sed & poëtis præsidebat, cuius fabulæ interpretationem HORATIVS [1] confirmat, qui se epico carmini minus aptum esse arbitratur atque ita differit:

Phœbus volentem prœlia me loqui,
victas & vrbes, increpuit lyra:
ne parua Tyrrhenum per æquor
vela darem.

Bacchum autem poëtæ in societatem suorum deorum ideo adscripserunt, quoniam præses erat vini. quod magnam vim ad ingenium poëticum, nunc excitandum atque inflammandum, nunc vehementius acuendum habere sibi persuadebant, vt testatur CRATINVS poëta comicus apud HORATIVM: [2]

nulla placere diu, nec viuere carmina possunt,
quæ scribuntur aquæ potoribus;

& PROPERTIVS; [3]

quod superest vitæ, per te & tua cornua viuam,
virtutisque tuæ, Bacche, poëta ferar.

1 lib. IIII. od. 15. v. 1. sqq. 2 lib. I. epist. 19. v. 2. 3 lib. III. eleg. 15.

addc

adde ANACREONTEM [1] GYRALDVM. *** [2] ac tandem furor quoque Veneris carminum auctoribus attribuitur, quoniam nullum fere poëtam inuenimus, qui arti poëticæ satisfecisse sibi videtur, nisi ingenium in argumento amorem spectante exercuerit, quamuis ipsius animus a tali cupiditate ac libidine minus regatur. hanc igitur interpretationem fabularum si sequamur, enthusiasmus poëticus, quem veteres præ se tulerunt, plane corruit, nec quidquam, quando rem ipsam contemplamur, de religione & sacris paganis continet. sed tamen quod & hæc antiquiorum fuerit vna mens, id penitus adfirmari non potest, quin etiam fuerunt, qui deorum adflatum atque instinctum sibi obtigisse, omnino existimarunt, id quod ex iis, quæ paullo post dicemus, apertum & manifestum erit. qui plura hoc de argumento desiderant, illi adire possunt PETITVM [3] CASAVBONVM, [4] GERH. IO. VOSSIVM, [5] GEORG. DANIEL. MORHOFIVM, [6] GISEBERTVM CVPERVM, [7] OLAVM BORRICHIVM, [8] MICHAELEM GOTTLIEB HANSCHIVM. [9]

* hic enthusiasmus poeticus sæpius quoque adpellatur *furor poëticus.* PLATO ipse enthusiasmum dixit *μανίαν*, *furorem*, quæ vox quamvis sit horridior, benefica tamen explicatione mitiganda: hinc etiam addidit: *θείαν*, adeoque significauit, non vnum esse furoris ge-

1 *od. 39. conf. interpretis galli* LONGEPIERRE *obseruat. p. 260.* 2 *de poëtar hist. dial. VI. opp. t. II p. 345.* 3 *dissert. de furore poëtic. præmiss. poemat. selectu.* 4 *de enthusiasmo cap. 5. p. 134.* 5 *de arte poët. cap. 12.* 6 *orat. de enthusias. seu furore poëtico. in dissert. acad. n. III. p. 71. sqq* 7 *obseru. lib. III. c. 12. p. 304.* 8 *dissert. seu orat acad. part. I. n. 6. p. 247.* 9 *de enthusiasmo Platonic. sect. II. § 10 sqq.*

nus.

nus. fatidici enim quiue oracula edebant, ac poëtæ interdum speciem furoris præ se ferebant. sunt. qui furorem poëticum ita explicant, vt maxime ad ὁρμὴν ἐκστατικὴν adcedat; momenta autem enthusiasmi atque ecstaseos non sunt perturbanda, etiam ex veterum sententia.

** huc quoque pertinent poëtarum formulæ inuocandi deos deasque, de quibus SCALIGER lib. V. 17. poëtic. disserit. poëtæ christiani inuocabant spiritum sanctum, vt patet ex extremo præfationis IVVENCI:

ergo age, sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
dulcis Iordanis, vt Christo digna loquamur.

*** ob hanc caussam poëtæ hedera ac lauro coronati fuerunt, vid. BORREMANNSIVM de poëtis & proph. p. 24. seqq. exempla autem poëtarum recentioris ætatis, quos vinum maxime delectauit, collecta deprehendimus obseruationibus ad IO. BVRC. MENCKENII declamat. de charlat. erud p. 139.

§. V. Ceterum hæc, quæ de enthusiasmo poëtico disputauimus, magnam lucem nobis præferre possunt, quum iam animum ad veteres sophistas atque oratores conuertere instituamus. atqui si eruditæ antiquitatis monimenta perlustramus, nobis ista tradunt, quod multi non solum arti oratoriæ quidquam diuini insitum esse crediderint, sed & oratores quemdam numinis adflatum sæpius sibi adtribuerint, etiam ab aliis, veluti diuino concitati instinctu fuerint habiti. sic APPOLLONIVS interrogatus a *Telesino*: τίς δὲ ἡ σοφία; *quæ vero sapientia est?* respondit: ἐνθουσιασμὸς, καὶ

ως

ὡς ἂν τις θεοῖς εὔχοιτο, καὶ θύοι, diuinus instinctus; & vt diis fundendæ preces sacraque facienda sint, docens, teste PHILOSTRATO.[1] ac quamuis per hanc sapientiam intelligi posse videatur ipsum philosophiæ studium, præcipue quum APOLLONIVS & alio loco a PHILOSTRATO[2] dicatur, θειότερον, ἢ ὁ Πυθαγόρας τῇ σοφίᾳ προσελθεῖν, artem tamen eloquentiæ, cuius multa dedit documenta, etiam hac sapientia contineri, probabili ratione adfirmamus. * nec recentiori ætate defuerunt, qui disciplinæ oratoriæ quidquam diuini inesse sibi persuaserunt, prout apud DANIELEM GEORGIVM MORHOFIVM[3] hæc legimus: *quis non in oratoribus aliquid diuini agnoscat? neque enim artem hanc e sophistarum palæstris natam existimemus. maius quid in illa elucet, erectum, gloriosum, quod ipsos animos expugnet, præclarumque rebus diuinis suppeditet instrumentum. non sunt e magistris hominibus æstimandæ artes: diuinæ illæ sunt, æternæ, atque ex eodem fonte deriuatæ, vnde olim in apostolorum animos effundebantur: etsi hæ omnibus numeris absolutæ. præcepta, quæ a magistris successu seculorum congesta sunt veritati & naturæ conformia, hos natales loquuntur. quare ad diuinos vsus adhibeamus, quæ diuina sunt, & quæ e veritatis quasi vtero obstetricias manus admouentes magistri in lucem protulere. verum illud eloquentiæ ὕψος in spiritu & impetu est.* quæ opinio hominis christianæ professionis quamuis saniorem ac mitiorem admittat interpre-

1 *vita Apollon. lib. IIII. cap. 40.* 2 *ibid. lib. I. cap. 2.*
3 *polyh. litter. lib. I. c. 12. §. 9.*

tatio-

tationem, quam ista, cui pagani auctores erant addicti; suo tamen destituta est fundamento, vt ex dicendis patebit clarius.

* eloquentia etiam a græcis dicitur σοφία. sic PAVLLVS scribit epist. I. ad Corinth. I. v. 17. se non tradere doctrinam euangelii ἐν σοφίᾳ λόγου quæ verba ERASMVS interpretatur per *sermonem fucatum*, & paullo post c. II. v. 4. dicit: ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, i. e. *in sermonibus eloquentiæ humanæ ad persuasionem compositis*, quæ respiciunt artem oratoriam veterum sophistarum, cuius finis erat τὸ πειθαιόν, siue fucum facere.

§. VI. Quod ad ipsos sophistas atque oratores adtinet, fuerunt, qui primum in inuentione & elocutione cum sibi ipsis, tum aliis videbantur adflatu diuino incitati. de AESCHINE scribit PHILOSTRATVS: [1] τὸ θείως λέγειν οὔπω μὲν ἐπεχωρίασε σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ' Αἰσχίνου δ' ἤρξατο, θεοφορήτῳ ὁρμῇ ἀποσχεδιάζοντος, ὥσπερ οἱ τοὺς χρησμοὺς ἀναπνέοντες, *diuine dicere sophistarum dissertationibus adeo frequens non erat. ab Æschine igitur initium duxit, qui diuino impetu extemporaneam orationem fundebat, perinde atque illi, qui oracula spirant*; quibus verbis auctor minime significat, Aeschinem fuisse primum, cui laus orationis ex tempore recitatæ sit vindicata, sed primum hanc eloquentiæ rationem coluisse atque τὸ θείως λέγειν vsurpasse in αὐτοσχεδίοις hinc & de eo SVIDAS: πρῶτος δὲ πάντων τὸ ΘΕΙΩΣ λέγειν ἤσκησε, διὰ τὸ σχεδιάζειν ὡς ΕΝΘΟΥΣΙΩΝ. idem PHILOSTRATVS [2] tradit

1 *de vit. sophistar. lib. I. n.* 18. §. 3. 2 *de vit. sophistar. lib. I. n.* 25. §. 3.

de

de ANTONIO POLEMONE, ipſum orationis cuiusdam auſpicium feciſſe ab eo, quod non *ſine numine hic*, *quo iam feratur*, *impetus* ſibi obtigerit: & LONGINVS [1] de DEMOSTHENE producto quodam ipſius loco, ita ſcribit: καθάπερ ἐμπνευθεὶς ἐξαίφνης ὑπὸ θεȣ̃, καὶ οἱονεὶ φοιβόληπτος γενόμενος, *tanquam derepente a deo inſpiratus ac veluti adflatus Phœbi numine*; quumque de eiusdem oratoris conſummata eloquentiæ virtute ac grauitate diſputat, addit: [2] ταῦτα φημὶ ὡς θεόπεμπτά τινα δωρήματα. ȣ̓ γὰρ εἰπεῖν θεμιτὸν ἀνθρώπινα. *hæc cenſeo tanquam diuinitus immiſſa quædam dona, humana enim dicere, nefas.* ſic etiam AELIVS ARISTIDES, ſophiſta apud Smyrnenſes diſertus ac ſuauis ipſe profitetur, ſe per ſomnia & diuinas voces ſæpius repetitas inuitatum fuiſſe ad eloquentiæ ſtudium, idque tanto cum ſucceſſu coluiſſe, vt omnes oratoris virtutes ſe vnum tenuiſſe, [3] etiam multis creditum, ſe Socratis, Platonis, Thucydidis & Demoſthenis facultatem vel adſequi, [4] vel ſuperare [5] ipſe aperte fateatur: confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [6] at vero non ſolum vindicarunt ſibi adflatum numinis cuiusdam generatim ac plerumque ſpeciatim Phœbi, qui ſapientiæ deus erat ac muſarum præſes; ſed & gloriati ſunt de inſtinctu quodam Bacchi, ac furorem Bacchicum, præ ſe habuerunt. quo nomine vox βακχεία interdum eiusdem eſt ſignificationis, ac ἐνθȣσιασμός, quamuis ſpeciatim adflatum a Baccho βάκχοις & βάκχαις, ſi-

1 περὶ ὕψους ſect. 15. 2 ib. ſect. 31. 3 tom. III. p. 706. 4 orat. 4. ſacra tom. I. p. 573. 5 ib. p. 576. 6 bibl. græc. lib. III. c. 30. n. 4.

ue

ue viris & mulieribus ſacra ipſius, quæ *orgia* dicebantur, celebrantibus immiſſum ſignificet. cuiusmodi inſtinctus exemplum exhibet NICETES, ſophiſta quoue præceptore vſus fuit PLINIVS iunior, ſiquidem de eo PHILOSTRATVS [1] memoriæ prodidit: ἡ δὲ ἰδέα τῶν λόγων τοῦ μὲν ἀρχαίου καὶ πολιτικοῦ ἀποβέβηκεν· ὑπόβακχος γὰρ, καὶ διθυραμβώδης, *eius porro dicendi genus ab antiquo ciuilique receſſit: Bacchi enim quaſi numine agitur & dithyrambos canit.* namque ſolemne erat ſophiſtis, verba adhibere ad tumorem non ſine cura compoſita, cuiusmodi tumida oratione præcipue vſus eſt GORGIAS *Leontinus*, in quo dicendi genus maxime turgidum multi ex veteribus notarunt. neque vero non per poëſin factum eſt, vt ſophiſtarum dictio eſſet tam tumida, qui ſtilo poëtico diligenter erant dediti, eumque in oratione ſoluta in ſpeciem ſplendidæ & diuinioris eloquentiæ adhibebant vitioſe. ex quo tumore magnificis illis ſonis & ſtrepitu alia, quæ prorſus ſunt contemnenda, conſequebantur, compoſitiones quippe *dithyrambicæ*, quæ ſtilum tumidum & plenum numerorum, compoſitarum ac nouarum vocum præ ſe habebant: idque eſt orationis vitium, quod CICERO vocat inſulſitatem, quamue velut inſaniam ſermonis reiicit, ad quod proxime accedit βακχεία & παρένθυρσος, quam adpellationem adhibet THEODORVS apud LONGINVM, [2] *quia videlicet non cuiusuis eſt, thyrſum ſumere, ſed eius tantum, qui Bacchi numine inſtinctus rapiatur*, vt TANAQVILLVS FABER [3] vocem hanc in-

1 *de vit. ſophiſtar. lib. I. n. 19. §. 1.* 2 *ſect. 2.* 3 *obſeru. ad Longinum p. 262.*

terpretatur; confer IVLIVM CAESAREM SCALGEREM, [1] GERH. IO. VOSSIVM, [2] LVDOVICVM CRESOLLIVM. [3] exemplum autem huiusmodi *Nicetæ* βακχείας commemorat PHILOSTRATVS, [4] quod Ionicus quidem adolescens, præsente sophista ISAEO, Nicetæ de Xerxe magnifice dictum hoc: ἐκ τῆς βασιλείου νηὸς Αἴγιναν ἀναδησώμεθα, laudauerit, vbi eleganter obseruat GOTTFRIED OLEARIVS, [5] quod Nicetes videatur declamatione quadam Xerxis in Salaminiaco sinu descripsisse stationem, atque vt prætoriæ nauis ad Aeginam insulam molem veluti vastissimam, quamuis non adeo magna fuerit, proponeret, dixisse, *insulam naui esse alligandam*, quum alias alligetur nauis insulæ. adde exemplum THEMISTII [6] enthusiasmum quoque oratorium spectans.

§. VII. Sed præter hæc exempla, quæ attigimus breuiter, etiam testimonia, ex priscæ ætatis monimentis depromta proferre, atque per illorum auctoritatem adflatum numinis, quem veteres sophistæ persuadebant sibi, confirmare possumus. atqui hæc est virtus, quam PLATO [7] orationi virorum πολιτικῶν inprimis necessariam esse adfirmat, quos vult θείους τε εἶναι καὶ ἐνθουσιάζειν, ἐπιπνόους ὄντας καὶ κατεχομένους ἐκ θεοῦ, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα. sic & CALLISTRATVS: [8] ποιητῶν καὶ λογοποιῶν πνέονται τέχναι, ἐπὶ τὰς γλώττας ἐκ θεῶν θειασμοῦ πεσόντος, *poëtarum &*

1 *poëtic. lib. I. c. 46.* 2 *Instit. orator. lib. VI. c. 4.* 3 *theatr. rhetor. lib. III. cap. 22.* 4 *de vit. sophist. lib. I. n. 20. §. 2.* 5 *obseru. ad Philostrat. c. I. p. 513.* 6 *orat. I. & XIIII.* 7 *in Menone p. 24.* 8 *in Bacch. statuam p. 891. ed. Olearii apud Philostrat.*

ora-

oratorum artes animantur, *diuinitus in linguas quodam incidente adflatu*: & SENECA [1] dicit: *non poteſt grande aliquid & ſupra ceteros loqui, niſi mota mens. quum vulgaria & ſolita contemſit, inſtinctuque ſacro ſurrexit excelſior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. non poteſt ſublime quidquam & in arduo poſitum contingere, quamdiu apud ſe eſt. deſciſcat oportet a ſolito & efferatur & mordeat frenos & rectorem rapiat ſuum eoque ferat, quo per ſe timuiſſet aſcendere.* quæ verba aperte ſignificant ὁρμὴν ἐκςατικὴν, ad ſimilitudinem fere Sibyllarum furoris, vt VIRGILIVS [2] de Cumæa ſcribit:

talibus ex adyto dictis, Cumæa Sibylla
horrendas canit ambages: antroque remugit,
obſcuris vera inuoluens. ea frena furenti
concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo;

num autem ipſe SENECA tali opinioni de numinis adflatu fuerit addictus; an ipſius verba, quæ ſublimia ſunt atque excelſa, benigniorem habeant ſententiam, id accuratius definiri haud poteſt, niſi affirmare velimus, Senecam animum ad Stoicorum doctrinam aduertiſſe, quod anima humana ex mente diuina emanauerit, atque in corpus veluti carcerem ſit coniecta. atque ita cum exemplis, tum teſtimoniis probauimus, quod veteres ſophiſtæ crediderint, ſe haud eſſe ſine inflammatione animi atque aliquo adflatu diuino, eoque ipſo eloquentiæ, cuius ſtudio penitus erant conſecrati, cæleſtem auctoritatem vindicare, ſumma ad niſi fuerint ope.

§. VIII. Quod momentum etiam adpel-

1 *de tranquillit. cap. 15.* 2 *Aeneid. lib. VI. v. 98. ſeqq.*

 latio

latio diuina, qua ſophiſtæ ornati fuerunt, illuſtrare poteſt. etenim vt ſplendida ſane & magnifica cognomina obtinuerunt, quæ ſatis ac ſuper declarant, quantam dignitatis gloriam quantamue exiſtimationem habuerint; ita dicti quoque ſunt ΘΕΙΟΙ, *diuini*, vt eſt apud PHILOSTRATVM [1] POLEMON θεῖος ἀνὴρ, & APOLLONIVS θεῖος, [2] apud CLEMENTEM *Alexandrinum* [3] vero THEOCRITVS θεῖος σοφιστής, nec non ΔΑΙΜΟΝΙΟΙ σοφισταὶ apud THEMISTIVM. [4] quo & ſpectant adclamandi formulæ θείως & θεοφορήτως, *diuine, diuino impetu*, quas ξένας φωνὰς nominat PLVTARCHVS [5] & auctor eſt, iſtas ſua ætate in ſcholas fuiſſe receptas, a quo diſcedit PHILOSTRATVS, [6] quum tradat, primum Aeſchini ſophiſtæ hunc adclamationis honorem fuiſſe datum. namque quum veteres orationes ſuas recitarent, auditores modo per vocem, modo per geſtum adclamarunt, atque ediderunt plauſus; quo priori ritu varias adclamandi formulas adhibebant, in quibus τὸ θείως & θεοφορήτως principem tenebant locum, velut plenæ maieſtatis ac dignitatis diuinæ: confer LVDOVICVM CRESOLLIVM [7] & FERRARIVM. [8] nec dubitamus, quin hac adpellatione hisque plauſus formulis adflatum diuinum, quo agitatos ſe ſophiſtæ dicebant, reſpexerint, quamvis alias θεῖον & *diuinum* dicatur omne excellens & communem conditionem quadam in re excedens. *

1 *de vit. ſophiſt. lib. II. n. 27. §. 3.* 2 *lib. 1. c. 2.* 3 *adhort. ad gent.* 4 *orat. I.* 5 *de auditione pag. 45. tom. II. opp.* 6 *de vit. ſophiſt. lib. I. n. 18.* 7 *theatr. rhetor. lib. III. cap. 20.* 8 *de adclamation. veter. lib. III. c. 14.*

* ARI-

* ARISTOTELES ethic. ad Nicomach. lib. VII. cap. I. obseruat, Lacones, quos propter virtutes maxime mirarentur, θείους adpellasse. nec non HOMERO vsitatum est, homines præstantes quadam in re vocare θείους. quamuis veteres aliquid diuinitatis interdum adpellatione hac omnino significasse videantur, inprimis quum Pythagoram ac Platonem eiusque sectatores quosdam adpellauerint θείους. namque quando discipuli Pythagoram dixerunt *diuinum*, teste IAMBLICHO de vit. Pyth. cap 35. ipsum, veluti deum diuinis honoribus adficere voluerunt, prout ipse hic philosophus obscurus sibi videbatur, nisi abdicata humana sorte, in deorum ordinem adscriptus crederetur. sicque Plato a vetusta ætate habitus est filius Apollinis, ac præ aliis dictus θεῖος, cuius nominis autem rationem si quis repetere velit ab ipsius præstantissima ac veluti cælesti sapientia, illi repugnare nolumus. quin etiam *diuorum* nomen, quod AMMIANVS MARCELLINVS lib. XXX. extrem. christianis adtribuit, ita inualuerat, vt pars maiestatis imperatoriæ crederetur, quod num recte an irreligiose factum sit? nonnulli disputant, qui *diui* nomen ab vsu christianorum remouendum esse contendunt, quod cælites ac beati in primitiua ecclesia non *diui*, sed *sancti*, *beati* sint adpellati, ac paganus mos nostro demum seculo reuixerit, vt *diuus Paullus*, *diuus Nicolaus* & sic alii dicantur, conf. CHRISTOPH. CELLARII progr. pag. 244.

§. VIIII. Sic veteres sophistæ eloquentiam suam in cælestibus numerarunt beneficiis, atque in inuentione elocutioneque diuinum crediderunt adflatum. sed vero vti superio-

ribus obseruauimus, nomen enthusiasmi non solum mentem, quæ singulari quadam ope divina incitaretur, sed & corpus, quod cum animo arctissimis vinculis copulatum est, eiusdemque commotionem respicere; ita sophistæ quoque vocem & gestum corporis diuinæ mentis conditioni adcommodare, actionemque variam, vehementem, plenam animi, plenam spiritus adeoque enthusiasmo consentaneam præ se habere instituerunt. actio sophistarum alia erat remissa; alia vero commotionis plena & contentionis. in priori genere adhibebant frontem explicatam, oculorum hilaritatem ac remissionem, totius vultus suauitatem, gestum delicatum atque exquisitum, vt vis orationis eo esset suauior, etiam ad occupandos auditorum animos grauior. qua in re clarus extitit SCOPELIANVS sophista, qui διελέγετο ἀπὸ μὲν τοῦ θρόνου ξὺν ἁβροτήτι, *e cathedra cum summa suauitate orabat*, & παρῄει ἐς τοὺς δήμους ἀνειμένῳ τῷ προσώπῳ, ἀνιεὶς αὐτοὺς καὶ διαπραΰνων τῇ τοῦ εἴδους εὐθυμίᾳ, *in concionem prodire solebat hilari facie, vultus tranquillitate auditores mitigans*, teste PHILOSTRATO.[1] posterius vero genus actionis sophistarum erat vehementius feruidiusque, siquidem exsiliebant, supplodebant, quatiebant femur, toto commouebantur corpore, in quibus celebris est POLEMON, de quo relatum legimus apud PHILOSTRATVM,[2] αὐτὸν ἀναπηδᾷν τοῦ θρόνου περὶ τὰς ἀκμὰς τῶν ὑποθέσεων, τοσοῦτον αὐτῷ περιεῖναι ὁρμῆς, *e cathedra ipsum, vbi maxime feruebat oratio, exsiluisse, adeo*

1 *de vit sophistar. lib. I. n. 21. §. 5.* 2 *de vit. sophistar. lib. I. n. 25. §. 7.*

eum

cum equo Sophocleo a PHILOSTRATO lib. II. de vitis sophistar. n. 23. § 4.

** tales dicendi formulæ deprehenduntur quoque apud PHILOSTRATVM in *heroicis*, *Protesilao* §. II. δικαιότατος ἀθλητὴς τῶν κατὰ σοφίαν πραγμάτων. & in *Achille* §. 15. Hercules est ἀθλητὴς τῶν ποιητικῶν λόγων.

§. X. Accidit etiam subinde, vt vehementia actionis sophistis vocem intercluderet & spiritum, sicque PHILAGRO ἐσβέσθη τὸ φθέγμα ὑπὸ τῆς χολῆς, *bile vox interclusa fuit*, quum oratione quadam Aristogitonem exhiberet, adcusationem parantem aduersus Demosthenem, quod Medis, & Æschinem quod Philippo faueret, id quod & ipsi sibi mutuo obiecerant, in orationibus quippe π. παραπρεσβείας & de corona, vt legimus apud PHILOSTRATVM. [1] ac propter hæc dicti sunt oratores *fanatici*, vt patet ex THEMISTIO, [2] item νυμφόληπτοι, latine *lymphati*, vti SOCRATES in laude amoris, quum more sophistarum vteretur dithyrambis, a PLATONE dicitur πολλάκις νυμφολήπτοις, id quod obseruat DIONYSIVS *Halicarnasseus*. [3] *lymphatus* enim, item *lymphaticus*, quod nomen a *lympha* & hoc ex græco νύμφη vnius litteræ mutatione, significans aquam, originem suam deducunt, idem est ac insanus, furore correptus, cuius caussa credita fuit conspectus nymphæ, id est spectri in fonte aut aquis. hinc & FESTVS: *lymphæ dictæ sunt a nymphis. vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quamdam e fonte, id est effigiem nymphæ viderint, furen-*

1 *de vit. sophistar. lib. II. n.* 8. §. 2. 2 *orat. I.* 3 *epist. ad Pomp. p.* 128. *t. II. opp.*

ac quidem nouo carminis genere, lyrico quippe, quod excogitasse, ipse sibi gloriæ ducit, ex quo etiam patet, cur alio loco [1] ita scribat:

male sanos

adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas.

nec solum ipsi carminum auctores de tali instinctu diuino sunt gloriati; sed & alii pagani scriptores idem tradiderunt, siquidem quum APOLLONIVS RHODIVS [2] principium operis sui his verbis facit:

Ἀρχόμενος σέο Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν μνήσομαι,

tuis Phœbe auspiciis viros veteres eosque fama claros

memorabo;

obseruat scholiastes: *παραπλησίως γὰρ τοῖς μαινομένοις οἱ ποιηταὶ ἐνθουσιῶσιν, ad exemplum fere insanorum poëtæ diuinitus commouentur*: EVMOLPVS apud PETRONIVM [3] de arte poëtica differit, eiusque & hoc constituit præceptum: *præcipitandus est liber spiritus, vt potius furentis animi vaticinatio adpareat*; & CICERO: [4] *sæpe audiui, poëtam bonum neminem, (id quod a Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris.* ** sic poëtarum natio diuinitus incitata credebatur, qui carmina sua non sine cælesti aliquo mentis instinctu funderent, nec solum ab Apolline musisque, sed & Baccho ac Venere multa ad versus scribendos haberent adiumenta. quumue PLATO, vt ex superioribus constat, quatuor τῆς θείας μα-

1 *lib. I. epist. 19. v. 3.* 2 *argonaut. lib. I. v. I.* 3 *satir. cap. 118.* 4 *de oratore lib. II. c. 46.*

νίας

νίας constituit species, & primam quidem Apollini refert acceptam, ex qua vaticinia credit pendere; secundam Baccho, ex qua mysteria; tertiam musis, vnde poëticum accersit impetum; quartam denique Veneri, vnde vim amatoriam; hæc omnia furoris genera poëtæ sibi vindicant. namque per Apollinem & musas motus illi intelligi possunt, quibus adficitur animus ipsiusque facultas ad operationes sibi consentaneas excitatur, si quidem Apollo non solum fatidicis, vt existimat PLATO, sed & poëtis præsidebat, cuius fabulæ interpretationem HORATIVS [1] confirmat, qui se epico carmini minus aptum esse arbitratur atque ita disserit:

Phœbus volentem prœlia me loqui,
victas & vrbes, increpuit lyra:
ne parua Tyrrhenum per æquor
vela darem.

Bacchum autem poëtæ in societatem suorum deorum ideo adscripserunt, quoniam præses erat vini. quod magnam vim ad ingenium poëticum, nunc excitandum atque inflammandum, nunc vehementius acuendum habere sibi persuadebant, vt testatur CRATINVS poëta comicus apud HORATIVM: [2]

nulla placere diu, nec viuere carmina possunt,
quæ scribuntur aquæ potoribus;

& PROPERTIVS; [3]

quod superest vitæ, per te & tua cornua viuam,
virtutisque tuæ, Bacche, poëta ferar.

1 *lib. IIII. od. 15. v. 1. seqq.* 2 *lib. I. epist. 19. v. 2.* 3 *lib. III. eleg. 15.*

adde ANACREONTEM [1] GYRALDVM. [2] *** ac tandem furor quoque Veneris carminum auctoribus attribuitur, quoniam nullum fere poëtam inuenimus, qui arti poëticæ satisfecisse sibi videtur, nisi ingenium in argumento amorem spectante exercuerit, quamuis ipsius animus a tali cupiditate ac libidine minus regatur. hanc igitur interpretationem fabularum si sequamur, enthusiasmus poëticus, quem veteres præ se tulerunt, plane corruit, nec quidquam, quando rem ipsam contemplamur, de religione & sacris paganis continet. sed tamen quod & hæc antiquiorum fuerit vna mens, id penitus adfirmari non potest, quin etiam fuerunt, qui deorum adflatum atque instinctum sibi obtigisse, omnino existimarunt, id quod ex iis, quæ paullo post dicemus, apertum & manifestum erit. qui plura hoc de argumento desiderant, illi adire possunt PETITVM [3] CASAVBONVM, [4] GERH. IO. VOSSIVM, [5] GEORG. DANIEL. MORHOFIVM, [6] GISEBERTVM CVPERVM, [7] OLAVM BORRICHIVM, [8] MICHAELEM GOTTLIEB HANSCHIVM. [9]

*** hic enthusiasmus poeticus sæpius quoque adpellatur *furor poëticus*. PLATO ipse enthusiasmum dixit *μανίαν*, *furorem*, quæ vox quamuis sit horridior, benefica tamen explicatione mitiganda: hinc etiam addidit: *θείαν*, adeoque significauit, non vnum esse furoris ge-

1 *od. 39. conf. interpretis galli* LONGEPIERRE *obseruat. p.* 260. 2 *de poëtar hist. dial. VI. opp. t. II p.* 245. 3 *dissert. de furore poëtic. præmiss. poemat. selectu.* 4 *de enthusiasmo cap.* 5. *p.* 134. 5 *de arte poët. cap.* 12. 6 *orat. de enthusiasm. seu furore poëtico. in dissert. acad. n. III. p.* 71. *sqq* 7 *obseruat. lib. III. c.* 12. *p.* 304. 8 *dissert. seu orat acad. part. I. n.* 6. *p.* 247. 9 *de enthusiasmo Platonic. sect. II. §.* 10 *sqq.*

nus.

nus. fatidici enim quiue oracula edebant, ac poëtæ interdum speciem furoris præ se ferebant. sunt. qui furorem poëticum ita explicant, vt maxime ad ὁρμὴν ἐκστατικὴν adcedat; momenta autem enthusiasmi atque ecstaseos non sunt perturbanda, etiam ex veterum sententia.

** huc quoque pertinent poëtarum formulæ inuocandi deos deasque, de quibus SCALIGER lib. V. 17. poëtic. disserit. poëtæ christiani inuocabant spiritum sanctum, vt patet ex extremo præfationis IVVENCI:

ergo age, sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
dulcis Iordanis, vt Christo digna loquamur.

*** ob hanc caussam poëtæ hedera ac lauro coronati fuerunt, vid. BORREMANNSIVM de poëtis & proph. p. 24. seqq. exempla autem poëtarum recentioris ætatis, quos vinum maxime delectauit, collecta deprehendimus obseruationibus ad IO. BVRC. MENCKENII declamat. de charlat. erud p. 139.

§. V. Ceterum hæc, quæ de enthusiasmo poëtico disputauimus, magnam lucem nobis præferre possunt, quum iam animum ad veteres sophistas atque oratores conuertere instituamus. atqui si eruditæ antiquitatis monimenta perlustramus, nobis ista tradunt, quod multi non solum arti oratoriæ quidquam diuini insitum esse crediderint, sed & oratores quemdam numinis adflatum sæpius sibi adtribuerint, etiam ab aliis, veluti diuino concitati instinctu fuerint habiti. sic APPOLLONIVS interrogatus a *Telesino*: τίς δὲ ἡ σοφία; *qua vero sapientia est?* respondit: ἐνθουσιασμὸς, καὶ

ὡς ἄν τις θεοῖς εὔχοιτο, καὶ θύοι, *diuinus instinctus; & vt diis fundendæ preces sacraque facienda sint, docens*, teste PHILOSTRATO.[1] ac quamuis per hanc sapientiam intelligi posse videatur ipsum philosophiæ studium, præcipue quum APOLLONIVS & alio loco a PHILOSTRATO[2] dicatur, θειότερον, ἢ ὁ Πυθαγόρας τῇ σοφίᾳ προσελθεῖν, artem tamen eloquentiæ, cuius multa dedit documenta, etiam hac sapientia contineri, probabili ratione adfirmamus. * nec recentiori ætate defuerunt, qui disciplinæ oratoriæ quidquam diuini inesse sibi persuaserunt, prout apud DANIELEM GEORGIVM MORHOFIVM[3] hæc legimus: *quis non in oratoribus aliquid diuini agnoscat? neque enim artem hanc e sophistarum palæstris natam existimemus. maius quid in illa elucet, erectum, gloriosum, quod ipsos animos expugnet, præclarumque rebus diuinis suppeditet instrumentum. non sunt e magistris hominibus æstimandæ artes: diuinæ illæ sunt, æternæ, atque ex eodem fonte deriuatæ, vnde olim in apostolorum animos effundebantur: etsi hæ omnibus numeris absolutæ. præcepta, quæ a magistris successu seculorum congesta sunt veritati & naturæ conformia, hos natales loquuntur. quare ad diuinos vsus adhibeamus, quæ diuina sunt, & quæ e veritatis quasi vtero obstetricias manus admouentes magistri in lucem protulere. verum illud eloquentiæ ὕψος in spiritu & impetu est.* quæ opinio hominis christianæ professionis quamuis saniorem ac mitiorem admittat interpre-

1 *vita Apollon. lib. IIII. cap. 40.* 2 *ibid. lib. I. cap. 2.*
3 *polyh. litter. lib. I. c. 12. §. 9.*

tatio-

rationem, quam ista, cui pagani auctores erant addicti; suo tamen destituta est fundamento, vt ex dicendis patebit clarius.

* eloquentia etiam a græcis dicitur σοφία. sic PAVLLVS scribit epist. I. ad Corinth. I. v. 17. se non tradere doctrinam euangelii ἐν σοφίᾳ λόγου quæ verba ERASMVS interpretatur per *sermonem fucatum*, & paullo post c. II. v. 4. dicit: ὁ λόγος μου καὶ τὸ κήρυγμά μου οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, i. e. *in sermonibus eloquentiæ humanæ ad persuasionem compositis*, quæ respiciunt artem oratoriam veterum sophistarum, cuius finis erat τὸ πειθανόν, siue fucum facere.

§. VI. Quod ad ipsos sophistas atque oratores adtinet, fuerunt, qui primum in inuentione & elocutione cum sibi ipsis, tum aliis videbantur adflatu diuino incitati. de AESCHINE scribit PHILOSTRATVS: [1] τὸ θείως λέγειν οὔπω μὲν ἐπεχωρίασε σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ' Αἰσχίνου δ' ἤρξατο, θεοφορήτῳ ὁρμῇ ἀποσχεδιάζοντος, ὥσπερ οἱ τοὺς χρησμοὺς ἀναπνέοντες, *diuine dicere sophistarum dissertationibus adeo frequens non erat. ab Æschine igitur initium duxit, qui diuino impetu extemporaneam orationem fundebat, perinde atque illi, qui oracula spirant*; quibus verbis auctor minime significat, Aeschinem fuisse primum, cui laus orationis ex tempore recitatæ sit vindicata, sed primum hanc eloquentiæ rationem coluisse atque τὸ θείως λέγειν vsurpasse in αὐτοσχεδίοις hinc & de eo SVIDAS: πρῶτος δὲ πάντων τὸ ΘΕΙΩΣ λέγειν ἤσκησε, διὰ τὸ σχεδιάζειν ὡς ΕΝΘΟΥΣΙΩΝ. idem PHILOSTRATVS [2] tradit

1 *de vit. sophistar. lib. I. n. 18. §. 3.* 2 *de vit. sophistar. lib. I. n. 25. §. 3.*

de

de ANTONIO POLEMONE, ipsum orationis cuiusdam auspicium fecisse ab eo, quod non *sine numine hic, quo iam feratur, impetus* sibi obtigerit: & LONGINVS [1] de DEMOSTHENE producto quodam ipsius loco, ita scribit: *καθάπερ ἐμπνευσθεὶς ἐξαίφνης ὑπὸ θεοῦ, καὶ οἱονεὶ φοιβόληπτος γενόμενος, tanquam derepente a deo inspiratus ac veluti adflatus Phœbi numine*; quumque de eiusdem oratoris consummata eloquentiæ virtute ac grauitate disputat, addit: [2] *ταῦτα φημὶ ὡς θεόπεμπτά τινα δωρήματα. οὐ γὰρ εἰπεῖν θεμιτὸν ἀνθρώπινα. hæc censeo tanquam diuinitus immissa quædam dona, humana enim dicere, nefas.* sic etiam AELIVS ARISTIDES, sophista apud Smyrnenses disertus ac suauis ipse profitetur, se per somnia & diuinas voces sæpius repetitas inuitatum fuisse ad eloquentiæ studium, idque tanto cum successu coluisse, vt omnes oratoris virtutes se vnum tenuisse, [3] etiam multis creditum, se Socratis, Platonis, Thucydidis & Demosthenis facultatem vel adsequi, [4] vel superare [5] ipse aperte fateatur: confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [6] at vero non solum vindicarunt sibi adflatum numinis cuiusdam generatim ac plerumque speciatim Phœbi, qui sapientiæ deus erat ac musarum præses; sed & gloriati sunt de instinctu quodam Bacchi, ac furorem Bacchicum, præ se habuerunt. quo nomine vox *βακχεία* interdum eiusdem est significationis, ac *ἐνθουσιασμός*, quamuis speciatim adflatum a Baccho *βάκχοις* & *βάκχαις*, si-

1 περὶ ὕψους sect. 15. *2 ib. sect. 31.* *3 tom. III. p. 706.* *4 orat. 4. sacra tom. I. p. 573.* *5 ib. p. 576.* *6 bibl. græc. lib. III. c. 30, n. 4.*

ue viris & mulieribus ſacra ipſius, quæ *orgia* dicebantur, celebrantibus immiſſum ſignificet. cuiusmodi inſtinctus exemplum exhibet NICETES, ſophiſta quoue præceptore vſus fuit PLINIVS iunior, ſiquidem de eo PHILOSTRATVS [1] memoriæ prodidit: ἡ δὲ ἰδέα τῶν λόγων τοῦ μὲν ἀρχαίου καὶ πολιτικοῦ ἀποβέβηκεν· ὑπόβακχος γὰρ, καὶ διθυραμβώδης, *eius porro dicendi genus ab antiquo ciuilique receſſit: Bacchi enim quaſi numine agitur & dithyrambos canit.* namque ſolemne erat ſophiſtis, verba adhibere ad tumorem non ſine cura compoſita, cuiusmodi tumida oratione præcipue vſus eſt GORGIAS *Leontinus*, in quo dicendi genus maxime turgidum multi ex veteribus notarunt. neque vero non per poëſin factum eſt, vt ſophiſtarum dictio eſſet tam tumida, qui ſtilo poëtico diligenter erant dediti, eumque in oratione ſoluta in ſpeciem ſplendidæ & diuinioris eloquentiæ adhibebant vitioſe. ex quo tumore magnificis illis ſonis & ſtrepitu alia, quæ prorſus ſunt contemnenda, conſequebantur, compoſitiones quippe *dithyrambicæ*, quæ ſtilum tumidum & plenum numerorum, compoſitarum ac nouarum vocum præ ſe habebant: idque eſt orationis vitium, quod CICERO vocat inſulſitatem, quamue velut inſaniam ſermonis reiicit, ad quod proxime accedit βακχεία & παρένθυρσος, quam adpellationem adhibet THEODORVS apud LONGINVM, [2] *quia videlicet non cuiusuis eſt, thyrſum ſumere, ſed eius tantum, qui Bacchi numine inſtinctus rapiatur*, vt TANAQVILLVS FABER [3] vocem hanc in-

1 *de vit. ſophiſtar. lib.* I. *n.* 19. §. 1. 2 *ſect.* 2. 3 *obſeru. ad Longinum p.* 262.

 ter-

terpretatur; confer IVLIVM CAESAREM SCALGEREM, [1] GERH. IO. VOSSIVM, [2] LVDOVICVM CRESOLLIVM. [3] exemplum autem huiusmodi *Nicetæ* βακχείας commemorat PHILOSTRATVS, [4] quod Ionicus quidem adolescens, præsente sophista ISAEO, Nicetæ de Xerxe magnifice dictum hoc: ἐκ τῆς βασιλείου νηὸς Αἴγιναν ἀναδησώμεθα, laudauerit, vbi eleganter obseruat GOTTFRIED OLEARIVS, [5] quod Nicetes videatur declamatione quadam Xerxis in Salaminiaco sinu descripsisse stationem, atque vt prætoriæ nauis ad Aeginam insulam molem veluti vastissimam, quamuis non adeo magna fuerit, proponeret, dixisse, *insulam naui esse alligandam*, quum alias alligetur nauis insulæ. adde exemplum THEMISTII [6] enthusiasmum quoque oratorium spectans.

§. VII. Sed præter hæc exempla, quæ attigimus breuiter, etiam testimonia, ex priscæ ætatis monimentis depromta proferre, atque per illorum auctoritatem adflatum numinis, quem veteres sophistæ persuadebant sibi, confirmare possumus. atqui hæc est virtus, quam PLATO [7] orationi virorum πολιτικῶν inprimis necessariam esse adfirmat, quos vult θείους τε εἶναι καὶ ἐνθουσιάζειν, ἐπίπνους ὄντας καὶ κατεχομένους ἐκ θεοῦ, ὅταν κατορθῶσι λέγοντες πολλὰ καὶ μεγάλα πράγματα. sic & CALLISTRATVS: [8] ποιητῶν καὶ λογοποιῶν πνέονται τέχναι, ἐπὶ τὰς γλώττας ἐκ θεῶν θειασμοῦ πεσόντος, *poëtarum &*

1 *poëtic. lib. I. c. 46.* 2 *Instit. orator. lib. VI. c. 4.* 3 *theatr. rhetor. lib. III. cap. 22.* 4 *de vit. sophist. lib. I. n. 20. §. 2.* 5 *obseru. ad Philostrat. c. I. p. 513.* 6 *orat. I. & XIIII.* 7 *in Menone p. 24.* 8 *in Bacch. statuam p. 891. ed. Olearii apud Philostrat.*

ora-

oratorum artes animantur, diuinitus in linguas quodam incidente adflatu: & SENECA [1] dicit: *non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. quum vulgaria & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali. non potest sublime quidquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est. desciscat oportet a solito & efferatur & mordeat frenos & rectorem rapiat suum eoque ferat, quo per se timuisset ascendere.* quæ verba aperte significant ὁρμὴν ἐκστατικήν, ad similitudinem fere Sibyllarum furoris, vt VIRGILIVS [2] de Cumæa scribit:

talibus ex adyto dictis, Cumæa Sibylla
horrendas canit ambages: antroque remugit,
obscuris vera inuoluens. ea frena furenti
concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo;

num autem ipse SENECA tali opinioni de numinis adflatu fuerit addictus; an ipsius verba, quæ sublimia sunt atque excelsa, beniguiorem habeant sententiam, id accuratius definiri haud potest, nisi affirmare velimus, Senecam animum ad Stoicorum doctrinam aduertisse, quod anima humana ex mente diuina emanauerit, atque in corpus veluti carcerem sit conjecta. atque ita cum exemplis, tum testimoniis probauimus, quod veteres sophistæ crediderint, se haud esse sine inflammatione animi atque aliquo adflatu diuino, eoque ipso eloquentiæ, cuius studio penitus erant consecrati, cælestem auctoritatem vindicare, summa ad nisi fuerint ope.

§. VIII. Quod momentum etiam adpel-

1 *de tranquillit. cap. 15.* 2 *Aeneid. lib. VI. v. 98. seqq.*

 latio

latio diuina, qua ſophiſtæ ornati fuerunt, illuſtrare poteſt. etenim vt ſplendida ſane & magnifica cognomina obtinuerunt, quæ ſatis ac ſuper declarant, quantam dignitatis gloriam quantamue exiſtimationem habuerint; ita dicti quoque ſunt ΘΕΙΟΙ, *diuini*, vt eſt apud PHILOSTRATVM [1] POLEMON θεῖος ἀνὴρ, & APOLLONIVS θεῖος, [2] apud CLEMENTEM *Alexandrinum* [3] vero THEOCRITVS θεῖος σοφιστής, nec non ΔΑΙΜΟΝΙΟΙ σοφισταὶ apud THEMISTIVM. [4] quo & ſpectant adclamandi formulæ θείως & θεοφορήτως, *diuine, diuino impetu*, quas ξένας φωνὰς nominat PLVTARCHVS [5] & auctor eſt, iſtas ſua ætate in ſcholas fuiſſe receptas, a quo diſcedit PHILOSTRATVS, [6] quum tradat, primum Aeſchini ſophiſtæ hunc adclamationis honorem fuiſſe datum. namque quum veteres orationes ſuas recitarent, auditores modo per vocem, modo per geſtum adclamarunt, atque ediderunt plauſus; quo priori ritu varias adclamandi formulas adhibebant, in quibus τὸ θείως & θεοφορήτως principem tenebant locum, velut plenæ maieſtatis ac dignitatis diuinæ: confer LVDOVICVM CRESOLLIVM [7] & FERRARIVM. [8] nec dubitamus, quin hac adpellatione hisque plauſus formulis adflatum diuinum, quo agitatos ſe ſophiſtæ dicebant, reſpexerint, quamvis alias θεῖον & *diuinum* dicatur omne excellens & communem conditionem quadam in re excedens. *

1 *de vit. ſophiſt. lib. II. n.* 27. §. 3. 2 *lib.* 1. *c.* 2. 3 *adhort. ad gent.* 4 *orat. I.* 5 *de auditione pag.* 45. *tom. II. opp.* 6 *de vit. ſophiſt. lib. I. n.* 18. 7 *theatr. rhetor. lib. III. cap.* 20. 8 *de adclamation. veter. lib. III. c.* 14.

* ARI-

* ARISTOTELES ethic. ad Nicomach. lib. VII. cap. I. obseruat, Lacones, quos propter virtutes maxime mirarentur, θείους adpellasse. nec non HOMERO vsitatum est, homines praestantes quadam in re vocare θείους. quamuis veteres aliquid diuinitatis interdum adpellatione hac omnino significasse videantur, inprimis quum Pythagoram ac Platonem eiusque sectatores quosdam adpellauerint θείους. namque quando discipuli Pythagoram dixerunt *diuinum*, teste IAMBLICHO de vit. Pyth. cap 35. ipsum, veluti deum diuinis honoribus adficere voluerunt, prout ipse hic philosophus obscurus sibi videbatur, nisi abdicata humana sorte, in deorum ordinem adscriptus crederetur. sicque Plato a vetusta aetate habitus est filius Apollinis, ac prae aliis dictus θεῖος, cuius nominis autem rationem si quis repetere velit ab ipsius praestantissima ac veluti caelesti sapientia, illi repugnare nolumus. quin etiam *diuorum* nomen, quod AMMIANVS MARCELLINVS lib. XXX. extrem. christianis adtribuit, ita inualuerat, vt pars maiestatis imperatoriae crederetur, quod num recte an irreligiose factum sit? nonnulli disputant, qui *diui* nomen ab vsu christianorum remouendum esse contendunt, quod caelites ac beati in primitiua ecclesia non *diui*, sed *sancti*, *beati* sint adpellati, ac paganus mos nostro demum seculo reuixerit, vt *diuus Paullus*, *diuus Nicolaus* & sic alii dicantur, conf. CHRISTOPH. CELLARII progr. pag. 244.

§. VIIII. Sic veteres sophistae eloquentiam suam in caelestibus numerarunt beneficiis, atque in inuentione elocutioneque diuinum crediderunt adflatum. sed vero vti superio-

cum equo Sophocleo a PHILOSTRATO lib. II. de vitis sophistar. n. 23. § 4.

** tales dicendi formulæ deprehenduntur quoque apud PHILOSTRATVM in *heroicis*, *Protesilao* § 11. δικαιότατος ἀθλητὴς τῶν κατὰ σοφίαν πραγμάτων. & in *Achille* §. 15. Hercules est ἀθλητὴς τῶν ποιητικῶν λόγων.

§. X. Accidit etiam subinde, vt vehementia actionis sophistis vocem intercluderet & spiritum, sicque PHILAGRO ἐσβέσθη τὸ φθέγμα ὑπὸ τῆς χολῆς, *bile vox interclusa fuit*, quum oratione quadam Aristogitonem exhiberet, adcusationem parantem aduersus Demosthenem, quod Medis, & Æschinem quod Philippo faueret, id quod & ipsi sibi mutuo obiecerant, in orationibus quippe π. παραπρεσβείας & de corona, vt legimus apud PHILOSTRATVM.[1] ac propter hæc dicti sunt oratores *fanatici*, vt patet ex THEMISTIO,[2] item νυμφόληπτοι, latine *lymphati*, vti SOCRATES in laude amoris, quum more sophistarum vteretur dithyrambis, a PLATONE dicitur πολλάκις νυμφόληπτοις, id quod obseruat DIONYSIVS *Halicarnassæus*.[3] *lymphatus* enim, item *lymphaticus*, quod nomen a *lympha* & hoc ex græco νύμφη vnius litteræ mutatione, significans aquam, originem suam deducunt, idem est ac insanus, furore correptus, cuius caussa credita fuit conspectus nymphæ, id est spectri in fonte aut aquis. hinc & FESTVS: *lymphæ dictæ sunt a nymphis. vulgo autem memoriæ proditum est, quicunque speciem quamdam e fonte, id est effigiem nymphæ viderint, furen-*

1 *de vit. sophistar. lib. II. n. 8. §. 2.* 2 *orat. I.* 3 *epist. ad Pomp. p. 128. t. II. opp.*

di non fecisse finem. quos graeci νυμφολήπτους, latini lymphaticos adpellant: vide HEINSIVM, [1] & GISBERTVM CVPERVM. [2] *

* sic sophistarum actio & pronunciatio prorsus erat singularis, a qua quisque ingenuus eloquentiae cultor abhorrere debet. nam quamuis pars haec artis oratoriae praecepta eaque breuia admittat; illa tamen, si fructus suos ferre debeant, postulant praecipue dotes naturae consentaneas eloquentiae, adeo vt hoc momento dicere possimus, oratorem non fieri, sed nasci. duplici autem ratione actio oratoria potest esse vitiosa. altera species est, quando ista, licet pro diuersis cogitationum & adfectuum generibus instituatur varia; anxie tamen & contra naturam adsumta nec satis temperata est, quae auditorum animos magis ad indignationem, quam voluptatem commouet. quidquid enim adfectatum est quum mentem sibi ipsi ac propriae tantum delectationi deditam & a studiis aliorum alienam prodat, ingratum est ac maxime molestum. altera species nimis est libera atque etiam effrenatior, quam par est, quales oratores IO. BVRCH. MENCKENIVS declam. de charlatan. erudit. p. 121. iure ac merito perstringit: *praecipue vero*, ait, *hic de saltatione rhetorica & rhetorismo histrionico dicendum nobis videtur: quandoquidem hodie plerosque deprehendimus, mira vocis contentione, vultu multiformi, oculo vago & petulanti, iactatis brachiis, saltantibus pedibus, lasciuientibus lumbis ac variis motibus, inuersionibus, circumductionibus, resupinationibus, saltibus, gesticulante toto corpore, animi videlicet mobilitate ipsum*

1 *ad Horat. lib. I. sat. 5. v. 97.* 2 *obseru. lib. III. cap. 12. pag. 308.*

secum

eum fuisse animo concitato, item κροαίνειν ἐν τοῖς τῶν ὑποθέσεων χωρίοις, οὐδὲν μεῖον τοῦ ἡρωϊκοῦ ἵππου, *non minus in campis rhetoricis solum pedibus pulsauisse, quam equus generosus*; quæ verba elegantem sane continent comparationem. quemadmodum enim equi certaturi vngulis suis terram lapidesque concutiunt, vehementius sese mouent; ita eadem ratione Polemon incitato animo commouebat corpus grauiter, seque in campis rhetoricis, exercebat, vbi PHILOSTRATVS per formulam χωρία ὑποθέσεων respicit omnino ad χωρία, in quibus equi solum quatiunt, ὑποθέσεις autem sunt argumenta, quæ tractabant rhetores. * præter POLEMONEM commemoramus iterum SCOPELIANVM, qui quamuis e cathedra orationes recitaret summa cum suauitate; recto tamen corporis statu quum peroraret, asperiorem præ se ferebat speciem, ac robusto vtebatur sermone, feriebat femur, quin etiam ἐλέγετο σείεσθαι μᾶλλον, ὥσπερ βακχεύων, *dicebatur vsus motu vehementiore & gestu bacchantis more*, auctore PHILOSTRATO. [1] vt enim in inventione & elocutione potest esse βακχεία, id quod superioribus a nobis fuit obseruatum; ita actio quoque oratoris talem admittit, atque effigiem hominis furentis ac insani prodit, ad similitudinem illorum, qui sacra Baccho consecrata celebrarunt. tertius sit ALEXANDER, qui nobis exhibet exemplum ὁρμῆς σοφιστικῆς, quando teste PHILOSTRATO [2] ἀνεπήδησε τοῦ θρόνου φαιδρῷ τῷ προσώπῳ, *e cathedra exsiliit vultu sereno*; Seuerus autem vir con-

1 *de vit. sophistar. lib.* I. *n.* 21. §. 5. 2 *de vit. sophistar. lib.* II *n.* 5. §. 3.

secum voluente, ad populum proclamare. atqui ex his facile colligi potest, quantum pretium ponendum sit illorum studiis, qui veterum actionem reuocare, & ad illorum exempla iuuentutem anxie instituere, sibi sumserunt, quo spectat PETRI FRANCII *specimen eloquentiæ exterioris ad orationem Ciceronis pro Archia accommodatum*, Amstelod. 1697. 8. de cetero hanc doctrinam eloquentiæ exposuerunt LVD. CRESOLLIVS, qui edidit *vacationes autumnales*; MICHAEL le FAVCHEVR, cuius liber de actione oratoria sermone gallico conscriptus elegantissimus est: IO. CLERICVS tom. I. Parrhas. p. 122. seqq. vt de aliis taceamus.

§. XI. Exposuimus igitur enthusiasmum veterum sophistarum ex historiarum monimentis, siue inuentionem atque elocutionem; siue actionem respiciamus, quapropter ratio ordinis atque argumenti dignitas postulat, vt de re ipsa videamus, & quid de tali oratorum adflatu diuino sentiendum sit, explanemus: qua opera animum ad veteres sophistas atque oratores tantum conuertimus, nec in præsens de ipso enthusiasmo oratorio generatim dispicere, nobis est propositum, quæ duo momenta quamuis inter se cohæreant, seiungi tamen possunt separatimque proponi, præcipue quum in sophistis ea obseruemus, quæ singulari industria adtingenda sunt & exponenda. atqui vt muneri ac negotio huic ea, qua decet, fide satisfaciamus, monemus primum, quod non omnes eloquentiæ magistri atque auctores, quos vetus tulit ætas, siue fuerint in numero sophistarum, siue minus, de numinis adflatu vna senserint mente, quin etiam extiterint,

quibus

quibus hæc omnia vana videbantur & futilia. hinc QVINCTILIANVS [1] dicit: *vt possimus autem plura scribere, etiam plura & celerius, non exercitatio modo præstabit, in qua sine dubio multum est, sed etiam ratio: si non resupini spectantesque lectum, & cogitationem murmure agitantes, exspectauerimus, quid obueniat, sed quid res poscat, quid personam deceat, quod sit tempus, qui iudicis animus, intuiti, humano quodam modo ad scribendum accesserimus.* & DIONYSIVS LONGINVS:[2] πολλαχοῦ ἐνθουσιᾷν ἑαυτοῖς δοκοῦντες, οὐ βακχεύουσιν, ἀλλὰ παίζουσιν, *quum videantur passim sibi ceu diuino correpti & incitati furore, non bacchantur, sed nugantur pueriliter*; qui etiam quum voces ἐνθουσιασμὸς, βακχεία, φοιβόληπτος vsurpet, addit particulas ὥσπερ & οἱονοὶ, iisque significat satis, se neutiquam verum ac proprium adflatum diuinum admittere, prout inter alia de PLATONE tradit, [3] illum nonnullos insectari, quod sæpe ὥσπερ ὑπὸ βακχείας τινὸς τῶν λόγων, *veluti a bacchante quodam verborum furore* ad duriores metaphoras rapiatur: confer MERICVM CASAVBONVM. [4] quin etiam alii artis dicendi doctores, quorum ingenia tempore vetustiori fuerunt clara, de tali diuina ope, quæ eloquentiæ cultoribus esset necessaria, nihil disseruerunt, sed omne, quidquid in facundia est præclarum, & naturæ benignitati & artis præstantiæ vindicarunt. ex quibus CICERONEM tantum nominamus, qui ex persona CRASSI [5] dicit: *sic igitur censeo, naturam primum atque ingenium ad*

1 *institut. orator. lib. X. cap 3.* 2 *περὶ ὕψους sect. II.* 3 *sect. XXVIIII.* 4 *de enthusiasmo p. 97.* 5 *de oratore lib. I. c. 25.*

dicen-

dicendum vim adferre maximam; neque vero istis, de quibus paullo ante dixit Antonius, scriptoribus artis rationem dicendi & viam, sed naturam defuisse. nam & animi atque ingenii celeres quidem motus esse debent, qui & ad excogitandum acuti, ornandumque sint vberes & ad memoriam firmi atque diuturni; & paullo post: *neque hæc ita dico, vt ars aliquid limare non possit; neque enim ignoro, & quæ bona sint, fieri meliora posse doctrina, & quæ non optima, aliquo modo acui tamen & corrigi posse.*

§. XII. Ad hæc obseruamus, quod multi ex veteribus, quum in laudes eloquentiæ veluti artis diuinæ ac cælestis beneficii effundantur, etiam oratores diuinos prædicent, his dicendi formulis, quæ aliquid diuinitatis complectuntur, vti translatis vtantur. iis enim significare voluerunt partim oratoris ingenii indolem ad illustrioris splendidiorisque eloquentiæ vsum maxime aptam; partim id ipsum, quod orationem efficit sublimem, pulcram, ac magna vi ad animos hominum commouendos præditam. quo etiam spectant interpretationes, quibus supra explanauimus fabulas de enthusiasmo poëtico, quod per adflatum Apollinis musarumque intelligi possint motus illi naturales, per quos animus ad excogitandum non solum excitetur, sed & pro vi sibi indita aliquid efficiat præclari. ad quod illustrandum & hoc valet, quod animus humanus in veterum monimentis dicatur *dæmon* ac *deus*, quam in rem multa loca deprehendimus apud imperatorem ANTONINVM, qui sæpius τȢ ἑαυτȢ δαίμονος facit mentionem, quo etiam respicere existi-

existimamus EPICTETVM,[1] qui quamuis fores sint clausæ fiantque tenebræ, nos iubet meminisse, quod non soli simus, quippe quum ὁ ἡμέτερος δαίμων præsens sit, conf. APVLEIVM[2] & IAMBLICHVM.[3] quumue vox ΔΑΙΜΩΝ latine exprimitur per nomen GENIVS, quod etiam græca ciuitate donatum esse ex DIONE, qui dixerit ΓΕΝΙΟΝ τῦ δήμυ, testatur DESID. HERALDVS,[4] factum hinc est, vt mentem humanam etiam *genium* adpellauerint, quod patet ex APVLEIO.[5] & PLVTARCHVS[6] multis exemplis confirmat, animum hominis dici non modo *dæmonem*, sed & *deum*, * prout MENANDER: ὁ νῦς γὰρ ὑμῶν ὁ Θεὸς, & HERACLITVS: ἦθος ἀνθρώπυ δαίμων, conf. GOTTFRIED OLEARIVM.[7] quæ omnia hanc lucem nobis adferunt, quod quum veteres de mente mortalium propter ipsius excellentiam præstantiamque interdum formulas dicendi vsurpauerint, quæ diuinitatem significent; non sit mirum, cur excellentes litterarum auctores, culturæ ingenii summo studio deditos dixerint diuinos, eorumque doctrinas prædicauerint diuinas. nec est, quod quis hasce adpellationes earumque rationem petat aut ex doctrina Pythagoræorum, Platonicorum & Stoicorum, quod animi hominum ex mente diuina fuerint tracti, aut ex Aristotelis opinione de intellectu agente. namque si penitus inspiciamus philosophiam Pythagoræ ac Platonis de dæmoni-

1 *dissert. ab Arriano collect. lib. I. cap.* 14. 2 *de Deo Socrat. pag.* 79. 3 *protrept. pag.* 53. 4 *in Arnob. lib. I. pag.* 15. 5 *dict. loc.* 6 *princ quæst. Platon. p.* 999. *t. II. opp.* 7 *de genio Socratis, §. 3. p.* 137. *Stanl. hist. philos. ed. Lat.*

bus,

bus, quos hæc animæ humanæ adpellatio respicit, perſpicue ſane poſſumus obſeruare, quod dæmones a mente noſtra plerique plane diſtinxerint, vt paullo poſt pluribus id exponere inſtituamus.

* hinc & APVLEIVS *de deo Socratis* librum inſcripſit, quo de dæmone Socratis egit. ac ſunt nonnulli, qui per genium ipſius nihil aliud intelligunt, quam ingenium eius ac prudentiam, vide GABRIEL. NAVDAEVM apol. pro vir. mag. ſuſpect. cap. XIII. §. 4. PETRVM GASSENDVM ſyntagm. philoſ. Epicur. P. II. ſect. 2. cap. 6. auctorem libri: *Platoniſme devoilé p.* 56.

§. XIII. Hiſce ante poſitis, inquiramus in ipſum enthuſiaſmi veterum ſophiſtarum fundamentum, quem quum ipſi oratores non modo ſibi vindicarunt, ſed & alii crediderunt, eosque diuino adflatu incitatos habuerunt, de hiſce duobus momentis diſtincte ac diſtribute dicere non ab re erit. quod ad ipſos ſophiſtas atque oratores adtinet, iterum hoc loco duplex exiſtit quæſtio: altera eſt: num ſophiſtæ ipſi ſibi, ſiue per ſpeciem quamdam rationum, ſiue minus, talem enthuſiaſmum perſuaſerint? altera vero: num res ex fraude, mendaciis, fallaciis ad quæſtum conſtare videatur? quod vtrumque certo modo adfirmare adeoque veteres cum erroris, tum prauæ voluntatis inſimulare poſſumus. nam vt de priori dicamus, probabili ratione exiſtimamus, quod quidam per doctrinam præcipue Pythagoræ ac Platonis de dæmonibus proprie ſic dictis & de geniis in opinionem de inſtinctu diuino fuerint deducti. varia enim ſpirituum genera poſuerunt

runt veteres, ex quibus PYTHAGORAS quum apud DIOGENEM LAERTIVM [1] iubet, Θεὺς μὲν δαιμόνων προτιμᾷν, ἥρωας δὲ ἀνθρώπων, manifeste post deum quatuor spirituum classes constituit, in quarum prima *deos immortales*; secunda *dæmones*; tertia *heroas*; & quarta denique *homines*, qui aureis carminibus adpellantur δαίμονες καταχθόνιοι, collocat, quam diuisionem inprimis sequitur IAMBLICHVS. [2] PLATO autem post deos immortales tres spirituum ordines posuit, quorum primus complectebatur *angelos*; secundus bonos *dæmones*, & tertius *heroas*, de quibus pluribus videri potest MARSILIVS FICINVS. [3] quod ad dæmones speciatim adtinet, illorum indolem ac naturam APVLEIVS [4] ita tradit: *dæmones sunt genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiua, corpore aëria, tempore æterna*; & CHALCIDIVS, [5] *dæmon est animal rationabile, immortale, patibile, ætherium, diligentiam hominibus impertiens*, de quo momento copiose disseruit GOTTFRIED OLEARIVS, [6] cui addas PETRVM DANIEL. HVETIVM. [7] quum autem hoc officium administrare crederentur, vt ad deos humanas preces & sacrificia; ad homines vero deorum leges & sancta instituta referrent, [8] illorum fauorem conciliare sibi, ac cum istis habere commercium & consuetudinem elaborarunt, quo omnis veterum theurgia spectabat. adhibebant quippe varios

1 *lib. VIII. segm.* 23. 2 *de myster. Aegypt.* 3 *comm. ad Plotini ennead.* 4 *de deo Socratis p.* 78. 5 *ad Timaeum p.* 227. 6 *dissert. de genio Socratis.* 7 *quaest. Alnet. l. II. cap.* 4. 8 *vid. Platon. conuiu.*

ritus

ritus & ceremonias, quæ dicebantur τελεταὶ, acinprimis in eo positæ erant, vt partim animum a labe & contagione, quam mens ex ipsorum sententia per coniunctionem cum corpore sibi contraxerat, purgarent, ipsumque ad consuetudinem cum dæmonibus & congressum cum diis redderent aptum; partim vt sacrificia in honorem dæmonum ipsisque grata & accepta facerent. cuius theurgiæ effectum esse dicebant diuinos adflatus, quos & theurgi præ se ferebant, vti testantur EVNAPIVS [1] & IAMBLICHVS, [2] cuius verba latine tantum adferamus: *ea vero alia non est, quam illuminatio ab ipsis vsque diis promanans spiritusque ab iis prouenientes, & obsessio, qua nos tenent plena & absoluta, quæ quidem omnes nostras facultates absorbeat, motusque & operationes humanas & sensum nostri prorsus exterminet: sermones proferens, quos tamen non intelligant, qui loqui videntur, sed furioso ore pronuncient, vt omnia prorsus, quæ nostra sint, occupantis dei potestati soli ministrent tantum & obsecundentur.* sic plena superstitionis opinio oppleuerat paganos homines, quod dæmones adspectum ac præsentiam exhibeant, id quod tam firma mentis persuasione crediderunt, *vt mirati sint Pythagoræi oppido, siquis se denegaret, vnquam vidisse dæmonem*, auctore APVLEIO. [3] vti autem varia talis deorum spirituumque præsentiæ genera obseruamus in profanis veterum monimentis, de quibus legi possunt IAC. GOTHOFRE-

1 *Aedes. p. 74.* 2 *sect. III. cap. 8. de myster.* 3 *de deo Socratis p. 83.*

DVS, [1] IO. LOMEIERVS, [2] EZECHIEL SPANHEMIVS; [3] ſic inprimis celebris erat ἐπιφάνεια, quæ per ritus theurgicos fiebat, cuius iterum duæ præcipue ſpecies notæ ſunt, αὐτοψία atque ἐποπτεία, qua de re pluribus diſſerit IAMBLICHVS, [4] cui addas THOMAM GALE. [5] * atqui hos dæmones variis fungi muneribus in vtilitatem ac tutelam hominum, ipſisque multa adferre bona exiſtimabant; hiuc ſi animam humanam tantum reſpicere velimus, dicit SALLVSTIVS [6] ex ὑπερκοσμίοις θεοῖς τὰς μὲν τὸν ΝΟΥΝ, τὰς δὲ τὰς ΨΥΧΑΣ ποιεῖν· quæ anima ex doctrina IAMBLICHI [7] etiam per eorum βούλησιν ἀγαθὴν καὶ τὴν ἀπ' αὐτῶν ἐνδιδομένην φωτὸς ἔκλαμψιν, πολλάκις ἀνωτέρω χωροῦσα, ἐπὶ μείζονά τε τάξιν τὴν ἀγγελικὴν, *benignitatem & infuſam ab illis illuminationem ſæpe altius aſcendit, & in ordinem maiorem angelicum* prouehitur: qui & alio loco [8] ſcribit: ὅσα λογιζόμεθα, αὐτοῦ τὰς ἀρχὰς ἡμῖν ἐνδιδόντος, διανοούμεθα, πράττομέν τε τοιαῦτα, οἷα ἂν αὐτὸς ἡμῖν ἐπὶ νοῦν ἄγῃ, *quæ cogitamus, ab eo* (dæmone) *principium habent, & ea agimus, quæ nobis in mentem is induxerit*; quodue etiam nobis ea ſuppeditent, quæ debeamus loqui, MAXIMVS TYRIVS [9] ex hiſce HOMERI [10] probat:

Τηλέμαχ', ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται,

[1] *diſſert. de myſter. pietat. p.* 105. [2] *de luſtrationib. veter. gentil. cap.* 16. [3] *de vſu & præſtant. numiſm. diſſ. V. pag.* 197. [4] *ſect. II. integra de myſter.* [5] *not. ad Iamblichum pag.* 204. *ſqq.* [6] *de diis & mundo cap.* 6. [7] *ſect. II. cap.* 2. *de myſteriis Aegyptiorum.* [8] *ſect. VIIII. cap.* 6. [9] *diſſ.* 26. [10] *od. γ. v.* 26.

Tele

Telemache, alia quidem in mente tua perspicies,
alia vero & deus suggeret.

* crediderunt, hos dæmones tanta celeritate adparere, vt sint τοῦ νοῦ ταχύτεροι, qua formula apud græcos scriptores vsitata indicatur summa & mentis nostræ notiones superans celeritas. HESIODVS de Perseo scut. Herc. v. 222. ὁ δ' ὥς τε νόημ' ἐπωτᾶτο, *ipse autem velut cogitatio volabat*. adde IO. CLERICVM in h. l. p. 170. vnde hæc dicendi ratio transiit ad latinos auctores, ex quibus CLAVDIANVS de rapt. Proserp. lib. II. v. 201. scribit, Plutonis equos tam celeres fuisse,

quantum
non leue sollicitæ mentis discurrit acumen.

§. XIIII. Hi dæmones, quum in hominum conciliationem consuetudinemque per theurgicas ceremonias essent deducti, ipsi GENII erant, quorum plura genera a paganis fingebantur. namque crediderunt genios publicos locorum, regionum, ciuitatum, rerum publicarum, societatum, patriæ & inprimis imperantium principum, nec vllus tam sordidus fuit locus, cui non aliquem genium, tutelarem quasi deum adsignarent, quorum ordines & munera etiam secundum loca diuersa distribuerunt. primum vero genus eorum erat, qui genituræ præsiderent, hominisque vitam ab ipso nascendi principio ad extrema vsque fata tuerentur, de quibus disserit CENSORINVS: [1] *genius est deus, cuius in tutela, vt quisque natus est, viuit*; & paullo post: *genius*

1 *de die natal. cap. 3.*

nius ita nobis adsiduus obseruator adpositus est, vt ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab vtero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur. quæ doctrina atque opinio de geniis apud veteres magna consensione erat confirmata, adeo vt CHALCIDIVS [1] testetur, illam fuisse insitam animis barbarorum, græcorum ac latinorum, ex quibus præcipue schola Platonica ea de re erat celebris. nec est, quod existimemus, genium hominis fuisse mentem humanam, quos spiritus veluti diuersos plerique a se distinxerunt; ac quamuis apud nonnullos talis esset sententia, vti SENECA [2] scribit: *sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos*; hæc tamen distincta eo nomine perturbarunt, quod mens humana interdum adpellata fuerit *dæmon* & *genius*: confer GYRALDVM, [3] IO. TAFFINVM, [4] GEORGIVM WONNAM [5] & alios, quos collegit IO. ALBERT. FABRICIVS. [6] *

* hæc sententia de angelis tutelaribus Iudæorum quoque fuit, qui hominum tutelæ præessent eosque perducerent ad variarum rerum cognitionem, vti cabbalistæ nominant præceptorem Adami Razielem, Semi Iophielem, Abrahami Zedekielem, Isaaci Raphaelem, Iosephi Gabrielem, Mosis Metatron, vide I. A. FABRICII codicem pseudepigraph. V. T. p. 4. & interpretes ad Matth. XVIII, 10. & Actor. XII, 15. nec omnes christiani primitiuæ ecclesiæ ab hac opinione penitus fuerunt

1 *in Timaeum p. 225.* 2 *epist 41.* 3 *syntagm. XV. de diis* 4 *de ludis secularibus cap. XIII. tom. VIII.* GRAEVII *thesaur. antiq. roman. p. 132. sqq.* 5 *dissertat. de geniis.* 6 *bibliogr. antiq. cap. VIII. §. 27.*

runt alieni, vid. HVETIVM Origenian. lib. II. quæst. 5. & ex doctoribus IVSTINVS *martyr*, ORIGENES, BASILIVS *magnus*, HIERONYMVS, EVSEBIVS, CHRYSOSTOMVS ita senserunt, singulis hominibus a tempore, quo editi sint in lucem, adesse genium.

§. XV. Hæc, quæ exposuimus de dæmonibus ac geniis bonis, * quos veteres pagani coluerunt, ac de quibus inprimis Pythagoras & Plato disputarunt, argumentum dissertationis nostræ illustrant multum, viamque monstrant, qua rationem enthusiasmi apud quosdam sophistas atque oratores exponere atque explanare possumus. vt enim altera veritas gignit alteram; sic homines quoque partim propter intellectus imbecillitatem, partim mentis procliuem ad id, quod a recto ac vero abit, indolem ex vno errore rapiuntur ad alterum, etiam ad varia non solum impia, sed & absona atque absurda animi studia commouentur. quapropter quum pagani in tantis tenebris erroris atque inscitiæ de dæmonibus eorumque indole & natura versarentur, quid mirum, quod cultui rerum theurgicarum tradiderint sese penitus, quod superstitiones aniles omnino produxerint in lucem, quodue multa enthusiasmi genera sibi persuaserint? atqui si inde originem persuasionis, quæ de adflatu diuino nonnullos sophistas occupauerat, repetamus, amplectimur sane sententiam, quæ rationibus haud contemnendis nititur, ac ipsi argumento clarissimum præfert lumen. nam primum nota sunt ea, quæ PLATO cum generatim de enthusiasmo eiusque diuersis generibus disse-

ruit, tum speciatim de adflatu cælesti oratorum sensit, vt ex superioribus constat; nec cuiquam, qui vel leuiore industria historiam litterarum philosophicarum persecutus est, obscurum esse potest, quam plena sint Platonis monimenta doctrinarum de dæmonibus [1] ac geniis, [2] in quibus tradendis copiosus sane fuit & diligens, exemplum Pythagoræ singulari secutus cura. ac quamuis ipse rebus theurgiæ non amplissimam daret operam; credidit tamen non solum commercia cum diis dæmonibusque, & inde in persuasionem de enthusiasmo est deductus; sed etiam per doctrinas de variis spirituum ordinibus, deque mente humana, quæ ex natura diuina emanauerit, ac per corpus contaminata ex ipsius vinculis liberanda, cumque deo iterum coniungenda sit, sectatoribus largam fecit facultatem, qua se grauissimis erroribus vitiisque theurgicis admiscuerunt atque implicuerunt. qua in re præter PORPHYRIVM, [3] IAMBLICHVM aliosque, inprimis PLOTINVS celebris extitit, qui plurimum temporis in acerrima cogitatione de spiritibus posuit, etiam sibi genium quendam ac spiritum familiarem adtribuit, quem non ex ordine dæmonum, sed superiorum, vel plane deum fuisse, ** adfirmat PORPHYRIVS. [4] at vero vt rem adhuc illustriorem faciamus, non alienum erit a proposito, præter PLATONEM etiam exemplum APOLLONII *Tyanensis*, ex vetusta ætate petitum adferre. hic enim, vt iam obseruauimus, sa-

1 *in Tim. conuiu. Epinomid. librisque de republic.* 2 *Phedr. p. 447. Phedon p. 616. de republ. lib. X. p. 673.* 3 AVGVST. *d. C. D. lib. X. c. 9. 10. 26. 27.* 4 *vita eius ap. 2. 10.*

pien-

pientiam adeoque etiam probabili ratione eloquentiam dixit θειασμὸν, *diuinum instinctum*; constat autem, quod magna opera se exercuerit in rebus magicis, & locum omnino inter illos, qui cogitationes ac studia ad congressus cum diis dæmonibusque contulerunt, adquisiuerit sibi non mediocrem, siue opera illa, quæ PHILOSTRATVS de eo commemorat, ficta sint ab hominibus paganis, vt eo facilius dignitatem miraculorum seruatoris nostri labefactarent; siue vera & producta per vires aut rebus naturalibus insitas, aut a malo dæmone suppeditatas, qua de re copiose atque erudite GOTTFRIED OLEARIVS [1] disputat, cui addas maxime venerandum JO. FRANCISCVM BVDDEVM. [2] quin etiam recentiore ætate extitit IVLIVS CAESAR SCALIGER, qui adesse sibi genium quendam credidit, cuius adflatu incitatus animum conferret ad scriptionem: *quæ caussa est*, inquit, *vt ad scriptionem aut commentationem nunquam accingamur, nisi ab ipso genio inuitati, qui nobiscum intus loquitur, neque auditur, ostendens diuinitatis late patentes campos in animis nostris, quos ab officiis corporis suspensos atque abstractos aliis distinet functionibus: vt non penitus temere dixerit, qui Aristotelis intellectum agentem *** eundem cum Platonico genio existimauit.* [3] id quod exemplum iis de causis obseruamus, quod SCALIGER inprimis poësin, cuius magnam consecutus est laudem & gloriam, respiciat, etiam notum sit,

1 *praef. ad Philostr. de vita Apollon.* 2 *thesib. de atheismo & superstition. cap. VIIII. p. 701. & dissert. de veritate relig. christianae philosoph. gentilium obtrectat. confirmata §. 16.* 3 *poetic. lib. III. cap. 25. p. 266.*

esse similitudinem inter enthusiasmum poëticum **** & oratorium.

* quæ adhuc de dæmonibus ex philosophia veterum paganorum disputauimus, intelligi debent de *dæmonibus bonis*. nam præter hos adhuc malos esse crediderunt, ac in monimentis vestigia cognitionis de lapsu angelorum reliquerunt, siue scientiam hanc ex operationibus spirituum pessimorum, siue ex traditione hauserint. sic mentionem facit PORPHYRIVS de abstin. lib. II. p. 80. ἀγαθῶν καὶ φαύλων δαιμόνων, IAMBLICHVS de mysteriis sect. II. cap. 7. ἀγαθῶν καὶ τιμωρῶν ἀγγέλων, IVLIANVS orat. II. p. 90. φαύλων καὶ ἀνοήτων. bonus dæmon dicebatur quoque δαίμων δεξιὸς apud CALLIMACHVM hymn. in Cerer. v. 32. vbi EZECHIEL SPANHEMIVS p. 686. bene obseruat, quod δεξιὸς idem sit ac ἀγαθὸς, vt δεξιὸς ὄρνις de fausta ac bona aui, δεξιὰ φάσματα de faustis ostentis apud AESCHILVM Agam. v. 1443. quapropter P. D. HVETIVS quæst. Alnetan. lib. II. cap. 4. §. 3. p. 107. male interpretatur δεξιὸν *infaustum*. malus autem dæmon adpellatur δαίμων ἕτερος, quasi *alter* siue *sinister* dæmon apud PINDARVM Pyth. od. III. quam adpellationem veteres critici explicant per κακόποιον, quod & obseruat ERASMVS SCHMIDIVS ad Pindarum p. 118. confer. RABENERI differt. I. de dæmonibus §. 17. discrimen hoc dæmonum bonorum & malorum non diserte a PLATONE, sed Platonicis quibusdam & christianis propositum fuisse, contendit FICINVS ad conuiuium Platonis, quam sententiam adprobat GOTTFRIED OLEARIVS de Socratis genio. §. 3. alii autem loca quædam ex Platone, quibus hanc dæmonum

monum diuersitatem perspicue tradat, adferre instituunt. saltem de ista PORPHYRIVS libris de abstinentia; CHALCIDIVS commentar. ad Platonis Timæum, PROCLVS in Alcibiadem Platonis; IAMBLICHVS de mysteriis & alii clare edisseruerunt. pro his duobus dæmonum generibus duplicem etiam magiam coluerunt; alteram *theurgiam*, quæ respiciebat bonos; alteram *goëtiam*, quæ malos spectabat dæmones. atqui hoc nomine duplicem quoque genium, bonum malumue hominis statuerunt, de quo posteriori testatur SERVIVS ad VIRGILIVM Æn. lib. VI. v. 440. *ex duobus geniis, qui nobis addantur, alterum ad mala deprauare*, id quod exponit HERMES pœmandr. c. I. per *ὀπλίζειν εἰς ἀνομίαν*, & PINDARVS Pyth. od. III. per *εἰς κακὸν τρέπειν.*

** vt ex PORPHYRIO cognoscimus, deus hic PLOTINI sub forma draconis sese repræsentauit, id quod indicat, illum fuisse APOLLINEM, qui hac figura adparere creditus est antiquitus, vnde etiam Æsculapii, filii Apollinis signum est draco, vid SALOM. CELLARIVM antiq. medicis cap. II. §. 6. qua occasione obseruamus quoque antiquissimum morem, quo dæmones bonos sub specie serpentum fingebant, ac præcipue genium loci ita depingebant, id quod indicat VIRGILIVS Æn. V. v. 95. de serpente ex Anchisæ tumulo emergente dicens:

incertus geniumne loci, famulumne parentis
esse putet:

& duo serpentes picti in atrio alicuius loci indicabant, eum heroi cuidam siue deo consecratum esse, quod PERSIVS sat. I. v. 113. significare videtur:

pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra meiite.

talis erat serpens Lanuuii, de quo PROPERTIVS lib. IV, 8. Bœoticus in Martis luco, de quo OVIDIVS metamorphos III, 28. sqq. quo etiam pertinet serpens nymphis, quæ aquis præsidebant, adiunctus in antiqua quadam pictura apud FABREYTVM de aquæduct. diss. II. confer RABENERI dissert. II. de dæmonib. §. 25. sed vt alii multi paganorum ritus ab Iudæorum religione originem aut occasionem habuere; ita non errauerit forsan, qui ab æneo serpente, salutis caussa in solitudine erecto crediderit ad gentes manasse, vnde serpentes cultu prosequerentur religioso.

*** hic erat SCALIGER, siquidem dæmones & genii, de quibus disputauit PLATO, omnino diuersi sunt ab intellectu agente, quem finxit ARISTOTELES magna impietate, vt pluribus exercitat. historico-philosophica de atheismo Aristotelis cap. III. sect. 3. demonstrauimus. nisi dicere velimus, quod SCALIGER intelligat similitudinem muneris, quod præstat & genius Platonis, & intellectus agens Aristotelis.

**** præter SCALIGERVM sunt adhuc alia exempla illorum, qui de geniis suis sunt gloriati, GVILIELMI POSTELLI, de quo videas THOMAM ITTIGIVM opusc. var. p. 235. FACII CARDANI, de quo ipsius filius HIERONYMVS CARDANVS de varietate lib. XVI. c. 43. legi potest, THOMAE CAMPANELLAE, qui de suo genio testatur lib. III. c. 10. de sensu rerum JO. BODINI, vid. Patiniana p. 3. 4. & aliorum, confer. JO. AL-

BERTVM

BERTVM FABRICIVM bibl. græc. lib. III. c. II. p. 357 not.

§. XVI. Quamquam ſententia noſtra argumentis haud contemnendis ſit confirmata; illi tamen adhuc quædam obiici poſſe videntur. etenim ſi quis modo nomen, modo rem ipſam enthuſiaſmi inſpiciat penitus, forſan in nonnullam poteſt adduci dubitationem, num adflatus diuinos per commercia ac congreſſus cum dæmonibus crediderint? quorum omnis ratio potius in ipſo deo, aut diis immortalibus ſit quærenda. ſed vero hæc ſunt leuiora, & dubitatio illa facile poteſt conciliari & mitigari. nam quamuis dæmones dignitate inferiores diis immortalibus, qui proximum deo ſupremo locum tenebant, habiti fuerint; coluerunt tamen in illis inſignem diuinitatem, ſiue eorum diuinum ortum, ſiue quæ hominibus diuinitus denunciarent, intueamur. exiſtimabant quippe, dæmones ortum habere a diis, quapropter IVLIANVS [1] mentionem facit τῶν ἐκγόνων καὶ παίδων τοῦ τῶν θεῶν βασιλέως, quibus intelligit dæmones, ſiquidem paullo poſt dicit, alios horum ἐκγόνων eſſe σωτῆρας καὶ ἐπικούρους τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, alios vero vindices τῶν ἀδικημάτων, per βασιλέα τῶν θεῶν autem ſignificat ſolem, eumque qui intellectu tantum percipitur & diſtinctus eſt a φαινομένῳ. ſic quoque ALCINOVS [2] illos vocat γεννητοὺς θεοὺς, quorum θεὸν facit ποιητὴν ipſosque eius filios adpellat; quamuis fateri debeamus, fuiſſe quoque, qui dæmones ex animis corpore ſolutis oriri tradebant. nec eſt, quod quis adpellationem enthuſiaſmi, quæ cæleſte ali-

1 oratione II. p. 90. 2 introd. in philoſ. Platonic. c. 15.

quid

quid ac diuinum significet, nobis obiiciat, quoniam ex antiquis monimentis PLATONIS, PROCLI, PLOTINI, ANTONINI & aliorum apertum est, quod dæmones dicti sint θεοὶ * & genii adpellati *dii*, quo spectare verba TERENTII [1] existimamus:

memini, relinqui me deo irato meo;

per quem deum quamuis DONATVS intelligat *dominum*; alii tamen verius illum interpretantur per dæmonem aut genium, eumque malum, qui a PINDARO vocatur ἕτερος· quid multa? in eam ingressi erant sententiam, quod dii nunquam instituerent congressum cum hominibus, sed per dæmonum commercium omne inter deos hominesque fieret colloquium, siue vigilantibus id, siue dormientibus obtigerit. ex quibus saltem hæc efficitur conclusio, quod veteres pagani sibi persuaserint, se diuino afflatu incitari ope dæmonum, qui modo sua virtute suaque voluntate tales motus excitarunt, modo vero deorum immortalium iussis ac singulari ipsorum vi instructi id fecerunt. atqui hac ratione momentum hoc, quod valde obscurum ac difficile est, vt fieri potest, perspicue ac breuiter explanauimus, atque ad explicandum enthusiasmum sophistarum adtulimus.

* vt δαίμων & θεὸς sæpe sint eiusdem significationis; ita etiam δαιμόνιος & θεῖος, quæ voces apud DEMOSTHENEM, PLATONEM & alios frequenter coniunguntur. & PLVTARCHVS de audiendis poëtis p. 24. tom. II. opp. ὥσπερ ἡμεῖς καὶ πράγματα, καὶ ἤδη καὶ νὴ Δία λόγους καὶ ἄνδρας εἰώθαμεν δαιμονίους καὶ θείους

1 *Phorm. act. I. scen. 2. v. 24.*

προσα-

προσαγορεύειν, *quomodo nos etiam res, mores ac orationes adeo hominesque ſolemus diuinos adpellare*; APOLLONIVS autem dicitur a PHILOSTRATO lib. I. cap. 7. vit. *δαιμόνιος καὶ θεῖος*.

§. XVII. Nunc de altera ſpecie enthuſiaſmi veterum ſophiſtarum atque oratorum, quæ ex fallaciis, fraude, mendaciis fuit compoſita, diſpiciendum eſt, ad quam illuſtrandam antequam adgrediamur, non ab re erit, diſcrimen inter hæc duo adflatus diuini genera proponere diſtincte. prius genus, de quo adhuc diſputauimus, idque ex doctrina de dæmonibus ac geniis deducendum duximus, inprimis numeramus in erroribus atque ea de re in paganis, qui talia ſibi perſuaſerunt, notamus ſummam intellectus imbecillitatem; poſterius vero, quod iam inſpiciamus, praua mentis ſtudia prodit, ac præcipue perditam voluntatis ſignificat libidinem. equidem omnis enthuſiaſmus apud paganos homines ex rebus falſis & fictis conſtabat, eo tamen diſcrimine, quod alius præcipue perſuaſione erroris plena, etiam impia nitebatur, ſiue ſit profectus a cauſſis naturalibus tantum, ſiue ſimul a vi quadam mali dæmonis; alius vero per ſummam fraudem & malitiam erat fictus. hinc & PORPHYRIVS ad ANEBONEM Aegyptium ſcripſit: [1] *dubito, an non totum negotium theurgiæ mera ſit animæ religioſæ phantaſia, ex nihilo grandia ſibi imaginantis?* vt verba latine tantum tradamus; & ex doctoribus eccleſiæ inprimis AVGVSTINVS [2] impietatem artis huius ora-

1 *extr. ep. quæ præmiſſ.* IAMBLICHO *de myſter. & de qua legi poteſt* AVGVSTINVS *de C. D. lib. X. cap. 11.*
2 *de Ciu. Dei lib. X. cap. 10.*

tione

tione grauiori expressit: *quis non videat hæc omnia fallacium dæmonum esse commenta: nisi eorum miserrimus seruus, & a gratia veri liberatoris alienus? nam si hæc apud deos agerentur bonos, plus ibi vtique valeret beneficus purgator animæ, quam maleuolus impeditor. aut si diis iustis homo, pro quo agebatur, purgatione videbatur indignus, non vtique ab inuido territi, nec, sicut ipse dicit, per metum valentioris numinis impediti, sed iudicio libero negare debuerunt*; & paullo post: *O theurgia præclara! O animæ prædicanda purgatio! vbi plus imperat immunda inuidentia, quam impetrat pura beneficentia: immo vero malignorum spirituum cauenda & detestanda fallacia, & salutaris audienda doctrina. quod enim, qui has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operantur, quasdam mirabiliter pulcras, sicut iste commemorat, vel angelorum imagines, vel deorum tanquam purgato spiritu vident; si tamen vel tale aliquid vident, illud est, quod apostolus dicit*, quoniam satanas transfigurat se velut angelum lucis. *eius enim sunt ista phantasmata, qui miseras animas multorum falsorumque deorum fallacibus sacris cupiens irretire, & a vero dei cultu, quo solo mundantur & sanantur, auertere.* erant omnino, qui se ipsos diuino adflatu incitatos esse credebant eo facilius, quo maior fuit animæ facultas, quæ rerum imagines recipit, eaque adhuc cum indole melancholica coniuncta est, quamuis a studio tales diuinos motus simulandi ac fraudem quamdam suscipiendi, essent alieni. qui prout in paganis hominibus exstiterunt; ita nec defuerunt, qui per va-

rias

rias rationes adtribuerunt ſibi inſtinctus diuinos, non ex animo, ſed ſimulate, cuiusmodi fucum feciſſe & hanc fallaciarum artem exercuiſſe nonnullos iam ſua ætate, teſtatur PLATO. [1] ſic multi apud paganos legumlatores, vt legibus diuinam auctoritatem adiicerent, ſimularunt deorum conſuetudinem, vti de Numa Pompilio [2] præcipue notum eſt, id quod etiam adeo inualuerat, vt DIODORVS *Siculus* [3] non dubitauerit, præcipuis legum conditoribus huiusmodi προσποιηθῆναι ſiue *ſimulationem* adtribuere. apud AVGVSTINVM [4] vero extat hoc VARRONIS effatum: *vtile eſſe ciuitatibus, vt ſe viri fortes, etiamſi falſum ſit, ex diis genitos eſſe credant, vt eo modo animus humanus, velut diuinæ ſtirpis fiduciam gerens res magnas adgrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius.*

§. XVIII. Non ardua ac difficilis res eſt, talem malitiam ac fraudem, qua inſtinctus diuinos ſimularunt, in multis ſophiſtis obſeruare, quorum ſumma cogitationum & ſtudiorum, quibus ducebantur, in eo poſita erat, vt vix mediocriter docti, ſcientiarum autem opinione tumentes more circumforaneorum hominum agerent, & vt ampliſſimam nominis famam ſibi adquirerent, per fraudes aliorum captarent adplauſus. quapropter varias adceperunt adpellationes, quibus animus ipſorum ad huiuſmodi prauitatem maxime procliuis indicatur, ſiquidem dicti ſunt ΔΕΙΝΟΙ

1 *lib. II. de republ.* 2 *vid.* LIVIVM *lib. I. c. 1.* PLVTARCHVM *vit. Num.* VALER. MAXIM. *lib. I. c. 2.* 3 *bibliothec. hiſtor. lib. II. c. 94.* 4 *de C. D. lib. III. c. 4.*

ῥήτο-

ῥήτορες, vt testatur PHILOSTRATVS, [1] quando scribit: καλοῦσι δ' οὖν δεινοὺς ῥήτορας, τοὺς ἱκανῶς μὲν συνιέντας, ἱκανῶς δ' ἑρμηνεύοντας, *versutia itaque terribiles oratores vocant, inuentione præstantes & elocutione qui fuerint*; qui autem, vt existimationi sophistarum prospiciat, addit: οὐκ εὔφημον ἐπωνυμίαν τιθέμενοι τῷ πλεονεκτήματι, *parum honestum nomen statuentes virtuti*: etiam de sophista ANTIPHONTE scribit: καθάπτεται δ' ἡ κωμῳδία τοῦ Ἀντιφῶντος, ὡς δεινοῦ τὰ δικανικά, *Antiphontem autem comœdia quoque arrodit, quod in forensibus rebus versutia esset terribilis*, quod & THVCYDIDES [2] obseruat. * porro adpellati sunt ΓΟΗΤΕΣ, *præstigiarum auctores*, vti DEMOSTHENES dixit AESCHINEM δεινὸν καὶ γόητα καὶ σοφιστήν, & LVCIANVS [3] commemorat ῥήτορα πανοῦργον ἐν τοῖς λόγοις, & paullo post dicit: ὁρᾶτε μὴ οὐ φιλοσοφίαν οὗτός γε, ἀλλὰ γόητας ἄνδρας ἐπὶ τῷ ἡμετέρῳ ὀνόματι πολλὰ καὶ μιαρὰ πράττοντας, ἠγόρευε κακῶς, *videte ne, non philosophiam hic maledictis insectatus sit, sed præstigiatores viros, sub nostro nomine multa & fœda perpetrantes*; item ΑΠΑΤΗΛΟΙ, ἀπατεῶνες, *deceptores*, hinc HESYCHIVS σοφιστής, ἀπατεών, διδάσκαλος, πανοῦργος, vt de aliis hisce nominibus taceamus, quæ collegit & illustrauit LVDOVICVS CRESOLLIVS. ** [4] prout autem sophistæ diligenter fraudes & fallacias exercebant, sic quoque eodem vitio, quod ad enthusiasmum pertinet, sese polluerunt, quam in rem exemplum POLEMONIS

1 *lib. I. n.* 15. §. 2. *de vitis sophistarum.* 2 *lib. VIII p.* 609.
3 *Piscator. p.* 394. & 398. *tom. I. opp.* 4 *theatr. rhetor. lib. I. cap.* 13.

obser-

obseruamus, de quo dicit PHILOSTRATVS: [1] ὑπέρφρων γὰρ δή τι οὕτως ὁ Πολέμων, ὡς πόλεσι μὲν ἀπὸ τοῦ προὔχοντος, δυνασταῖς δὲ ἀπὸ τοῦ μὴ ὑφειμένου, θεοῖς δὲ ἀπὸ τοῦ ἴσου διαλέγεσθαι, *nempe adeo elato animo erat Polemon, vt cum ciuitatibus tanquam superior, cum principibus, vt nequaquam inferior, cum diis vt aequalis conuersaretur.* qui & paullo post tradit, quod quum ipsi aegrotanti adparuisset AESCVLAPIVS, ac vt frigido potu abstineret, monuisset, Polemon dixerit: βέλτιστε, εἰ δὲ βοῦν ἐθεράπευες; *quid, optime, faceres, si bos tibi curandus esset?* qui familiaris sermo ad deum, qualis creditus est Aesculapius, τὸ μεγαλόγνωμον viri huius satis ac super probat. at vero quum adhuc ex iis, quae de sophistae huius actione disseruimus, sit apertum, ipsum vindicasse sibi adflatus diuinos, haud obscure aliquis subinde potest colligere, quod haec omnia plena fallaciarum simulauerit.

* voces δεινὸς & δεινότης saepe in bonam partem sumuntur, vt δεινότης significet facultatem dicendi, eloquentiam apud ISOCRATEM, THVCYDIDEM; & δεινὸς idem sit ac peritus, prudens, magnus, vti PROTAGORAS dicitur a PLATONE σοφὸς καὶ δεινὸς ἀνήρ, ob eloquentiam. sed & mala significatio vsitata est. ALEXANDER *magnus* DEMOSTHENEM vocauit δεινὸν ῥήτορα καὶ γόητα apud DIONEM CHRYSOSTOMVM orat. II. hinc & HESYCHIVS δεινὸν interpretatur per ἐσφαλμένον καὶ πανοῦργον.

** variae sunt aetates sophistarum, quorum & fortuna fuit varia. floruerunt illi magna auctoritate, ac arti, quam profitebantur, sum-

[1] *de vitis sophistar. lib. I. n. 25. §. 4.*

ma habita est dignitas. sed quum omnia referrent ad quæstum & ostentationem, cognitionem philosophiæ verioris disiungerent a ratione dicendi, elati regio quasi spiritu de quocunque argumento differere sibi sumerent, id princeps in arte sua ponerent, quo modo caussa inferior & iniusta fieri posset superior, & quæ alia illorum vitia erant; hæc omnino rectos sapientiæ æstimatores ad indignationem & odium erga sophistas commoverunt. quapropter non est, quod superiores adpellationes miremur.

§. XVIIII. Grauis, licet inanis sophistarum arrogantia effecit, vt huiusmodi fraudes susciperent. QVINCTILIANVS [1] sophistam nominat *tumidum ac sui iactantem & ambitiosum institorem eloquentiæ*; & PLVTARCHVS: [2] οἱ ῥητορικοὶ σοφισαὶ, τὸ θείως καὶ τὸ δαιμονίως καὶ τὸ μεγάλως ἐν ταῖς ἐπιδείξεσι προσδεχόμενοι, καὶ τὸ μετρίως καὶ τὸ ἀνθρωπίνως προσαπολλύουσι, *oratores & sophistæ dum declamantes patiuntur sibi adclamari diuinitus, moderatorum & humanorum laudem amittunt.* quapropter proprio veluti nomine adpellantur ἀλαζόνες apud CLEMENTEM *Alexandrinum*, GREGORIVM NAZIANZENVM, PLATONEM, LVCIANVM aliosque, & PHILOSTRATVS [3] de HIPPODROMO dicit: παραλαβὼν τὴν τέχνην φίλαυτόν τε καὶ ἀλαζόνα, *artem amplexus cum inordinato sui amore fastuque coniunctissimam*; prout quoque ἀλαζὼν interdum ponitur pro sophista,

1 *institut. orator. lib. XI. cap. I.* 2 *de sui laude pag. 543. tom. II. opp.* 3 *de vitis sophistarum. lib. II. num. 27. §. 3.*

vide

vide LVDOVICVM CRESOLLIVM.[1] ita gloriæ studiosi erant sophistæ, vt χολὴν non continerent, si plausus non sequeretur audientium, quos ideo EPICTETVS apud ARRIANVM[2] dicit χάσκειν περὶ τὰς ἐπαινέσοντας, *laudantium vocibus inhiare*; THEMISTIVS[3] autem vocat ἄνδρας ἐπαίνους θηρεύοντας, *homines, qui laudes venentur*; & GREGORIVS NAZIANZENVS[4] οἱ σοφισαί, inquit, τῶν δημοσίων θηρευταὶ κρότων, *sophistæ populares plausus studio inflammato venantur*, nec non illos TERTVLLIANVS & HIERONYMVS adpellant *animalia gloriæ & popularis auræ vilia mancipia.* quo incredibili gloriæ studio quum ducerentur, id vnice & dies & noctes cogitabant, quibus mediis cupiditati satisfacere possent, in quibus & hoc omnino princeps erat, quod adflatus cælestes simularunt seque diuinitus incitatos iactarunt magnifice. nec fuit difficile, aliquid tale multitudini persuadere, quum & in ingenio rudis esset, & in mente studiis prauorum adfectuum traheretur, qua populi indole sibi omnino diuinam auctoritatem facile poterant conciliare. quo maior enim est hominum stultitia, eo feliciori fruuntur successu homines circumforanei, ac famam existimationen que efficere possunt auctiorem, id quod verbosius exponemus de caussis nunc disputaturi, cur alii veteres sophistas atque oratores crediderint, instinctu diuino esse incitatos.

§. XX. Hactenus igitur de enthusiasmo, quem ipsi sophistæ sibi adtribuerunt *modo* ex

1 *theatr. rhetor. lib. V. c. 1. 2. & lib. I. c. 12.* 2 *lib. III. c. 12.* 3 *orat. I.* 4 *orat. XXVII.*

animo per creditum cum dæmonibus commercium, quamuis re ipſa ſit falſus atque aut ex cauſſis naturalibus tantum, aut ſimul a vi quadam mali dæmonis profectus; *modo* ſimulate, vt aliis facerent fucum ac ſummam auctoritatem ſibi conciliarent. ſed tamen obſeruauimus quoque, quod & alii, audientes quippe ſermones ſophiſtarum atque oratorum, adflatus diuinos ipſorum ſibi perſuaſerint, qua de re non ſolum appellationes, quibus illos ornauerunt, atque adclamandi formulæ; ſed exempla etiam teſtantur, in quam perſuaſionem eiusdemque fundamentum inquirere accuratius, muneris noſtri eſſe ducimus. quæ vt exponamus diſtincte ac perſpicue, non ab re erit, breuiter de vi oratoria diſſerere, per quam multos in opinionem de inſtinctu cæleſti deductos eſſe exiſtimamus, quibus expoſitis rem ipſam ex antiquis ſophiſtarum monimentis illuſtrare elaborabimus. vis iſta oratoria modo ſua natura, modo quatenus in animis hominum exerceatur, poteſt conſiderari. priori modo pendet cum ab ipſo oratore, cuius actio magnum pondus ſermoni adiicere poteſt, tum ab orationis indole, quæ iterum pertinet partim ad intellectum, qui modo per veritatis argumenta ad illius cognitionem ducitur; modo per noua, inuſitata atque incognita adficitur admiratione; partim ad voluntatem, quæ nunc per ſuauitatem, nunc per grauitatem pro diuerſitate adfectuum commouetur. ea quæ orator præſtat in cognoſcenda veritate, habet communia cum philoſopho; admirationem autem ac commotionem mentis excitare, proprium ipſius munus eſt, quod præcipue in tan-

ta

ta peruerſitate hominum neceſſarium. poſteriori autem ratione, quum ipſa oratoria vis debeat exerceri erga mortalium animos, obſeruandum eſt diſcrimen auditorum, quorum ratione ingeniorum & adfectuum magna eſt diuerſitas, vt quo magis oratio ad ipſorum indolem eſt compoſita, eo maior ipſius vis ſeſe prodat. quam ob rem interdum poſtulat prudentia oratoris, ſi eloquentiam ſuam ad vſum transferre velit ciuilem, etiam rationes ad cupiditates hominum adcommodatas adhibere, vt facilius ſe in ipſorum adfectus inſinuare, atque ad optatum peruenire poſſit finem. TITVS CASTRICIVS dicit apud GELLIVM:[1] *aliter cenſor loqui debet, aliter rhetor. rhetori conceſſum eſt, ſententiis vti falſis, audacibus, ſubdolis, captioſis, ſi modo veriſimiles ſunt & poſſunt ad mouendos hominum animos qualicunque aſtu irrepere*; in quibus verbis quædam duriora adparent, quæ in vſu ſunt mitiganda. QVINCTILIANVS[2] autem ſcribit: *nobis ad aliorum iudicia componenda eſt oratio & ſæpius apud omnino imperitos atque aliarum certe ignaros litterarum loquendum eſt: quos niſi & delectatione allicimus & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus adfectibus, ipſa quæ iuſta ac vera ſunt, tenere non poſſumus. locuples & ſpecioſa vult eſſe eloquentia, quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris & in vnam prope formam cadentibus conciſa, & contemtum ex humilitate & odium ex quadam ſeruitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit.* atqui hæc, quæ diſputauimus,

1 *noct. Attic. lib. I. c. 6.* 2 *inſtit. orat. lib. V. c. 14.*

facile ad ſophiſtas ac præſens argumentum, vnde aliorum perſuaſio de adflatu diuino oratorum ſit orta? poſſunt adplicari. ſophiſtæ quippe id agebant vnice, vt audientium ingenia admiratione, animos vero delectatione & vehementiori motu adficerent, ac pro ſua calliditate, qua propriæ tantum vtilitati conſulebant, omnia ad ipſorum indolem adcommodarent. ſic ipſorum orationes magnam habebant vim, etiam ad opinionem de cæleſti inſtinctu excitandam.

§. XXI. Sed diſtincte hæc ex hiſtoriarum monimentis ſunt illuſtranda. primum igitur ſophiſtæ elaborarunt, in audientium animis efficere admirationem, quam in rem varia media adhibebant, ſiue rationem, qua declamarunt, ſiue ipſorum ſermonum indolem reſpiciamus. in priori momento orationibus ex tempore recitandis ampliſſimam dederunt operam, hocque modo, quum celeres & acutos ingeniorum motus ad excogitandum atque explicandum; vberes quoque & copioſos ad ornandum proderent, facile audientibus adtulerunt admirationem. ſic ſophiſta LOLLIANVS ἐσχεδίαζε κατὰ τὸν Ἰσαῖον, ᾧ δὴ καὶ ἠκροάσατο. *ex tempore dicebat iuxta Iſæi indolem, cuius certe auditor etiam extitit*, teſte PHILOSTRATO; [1] ſic POLEMON laudatur propter τὴν γλῶτταν αὐτοσχέδιον καὶ τὴν γνώμην, *quod ex tempore aliquid & inuenire & dicere potuerit*; [2] ſic ANTIOCHVS τὰς μελέτας αὐτοσχεδίους ἐποιεῖτο, *ex tempore declamabat*; [3] ſic QVADRATVS, qui præconſu-

1 *de vit. ſophiſtar. lib. I. n. 23. §. 2.* 2 *ibid. lib. I. n. 25. §. 6.*
3 *ibid. lib. II. n. 4. §. 2.*

latum

latum Asiæ gessisse legitur apud ARISTIDEM, [1] qui & illum diserte adpellat ῥήτορα, vt obseruauit VALESIVS, [2] fuit αὐτοσχεδιάζων τὰς θετικὰς ὑποθέσεις, *locos* quippe *communes*, [3] ex philosophia depromptos, de virtutibus, vitiis, exilio, paupertate, quod apud antiquos ad augendam eloquentiam genus erat exercitationis, vti refert QVINCTILIANVS. [4] ex latinis quoque commemorantur, qui laudem subitæ ac fortuitæ orationis sibi adquisiuerunt. de ISAEO, cuius fama eloquentiæ magna Romæ erat, antequam ipse eo ex Asia, vt putatur, veniret, scribit PLINIVS: [5] *summa est facultas, copia, vbertas, dicit semper ex tempore, sed tanquam diu scripserit*; cuius facundiam IVVENALIS quoque his verbis [6] laudavit:

sermo
promptus & Isæo torrentior;

quæ vetus scholiastes de hoc Isæo interpretatur. quis auctor sit talis promtæ orationis? de eo adhuc disputatur, siquidem laudem hanc alii vindicant AESCHINI, alii PERICLI, a quo σχεδίων δὲ πηγὰς λόγων ῥυῆναί φασιν, *extemporalis orationis fontes manasse nonnulli dicunt*, quod tradit PHILOSTRATVS, [7] qui & paucis interiectis addit, quosdam existimare, τὸ σχεδιάζειν τῦ Αἰσχίνυ εὕρημα, sed neutrum veritati est consentaneum. namque quod ad PERICLEM adtinet, sententiæ huic refragatur PLVTARCHVS, qui de eo: [8] ὁ Πε-

1 *orat. sacra IV. p. 597.* 2 *ad Euseb p. 71.* 3 *Philostrat. lib. II. n. 7 de vit. sophistar.* 4 *lib. II. c. 1. institut orat.* 5 *lib II. epist. 3.* 6 *satyr. III. v. 74.* 7 *proœm de vit. sophist.* 8 *de educandis liberis p. 6. t. II. opp.*

ρικλῆς καλούμενος ὑπὸ τοῦ δήμου, πολλάκις οὐχ ὑπήκουσε λέγων ἀσύντακτος εἶναι, etiam alio loco [1] confirmat, DEMOSTHENEM in PERICLE probasse atque imitatum esse τὸ μὴ ταχέως, μηδὲ περὶ παντὸς ἐκ τοῦ παρισταμένου λέγειν. nec de AESCHINE, veluti auctore huiusmodi dicendi rationis quidquam commemoratum legimus, quamuis apud PHOTIVM [2] dicatur πρῶτος τὰ πλάσματα καὶ τὰς μελέτας συνθεῖναι. sunt quoque, qui ANAXIMENEM *Lampsacenum* hanc orationis formam inuenisse dicunt, PAVSANIAS [3] quippe, qui dicit: οὐ μὴν οὐδὲ εἰπεῖν τις αὐτοσχεδίως Ἀναξιμένους πρότερος ἐστιν εὑρηκώς, *ante Anaximenem quidem nemo subita oratione conatus est dicere*, & qui ipsum sequitur SVIDAS. [4] * nec non alii verius existimant, GORGIAM hac in re fuisse principem, vt obseruat PHILOSTRATVS, [5] quod primus in Atheniensium theatro ausus fuerit dicere: προβάλλετε, ** *proiicite*, hacque voce significauerit, se scire omnia, ac de quocunque argumento promte posse disserere. idem testatur PLATO, [6] & QVINCTILIANVS: [7] *Gorgias quoque summa senectutis id quærere auditores, de quo quisque vellet, iubebat*; CICERO: [8] *quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conuentu poscere quæstionem, id est iubet dicere, qua de re quis vellet audire.*

* huic ANAXIMENI tribuunt nonnulli rhetoricam ad Alexandrum, quæ legitur inter Aristotelis scripta. confer MEVRSIVM

1 *vit. Demosthenis.* 2 *codic. LXI.* 3 *Eliac. poster. siue lib. VI. p. 496.* 4 *in* Ἀναξ. 5 *proœm. de vit. sophist.* 6 *in Gorgia.* 7 *instit. orat. lib. XII. c. II.* 8. *de fin. bonor. & mal. lib. II. c. 1.*

biblioth.

biblioth. p. 1218. MENAGIVM ad Laertium lib. VI. ſegm. 57. FABRICIVM bibl. græc. lib. II. c. 23. §. 9.

** ſic moris erat apud ſophiſtas, vt dicerent προβάλλετε, qua voce in hoc negotio vſus eſt PLVTARCHVS de audiendis poet. ὅταν δὲ τοὺς ἀκούοντας ὁ λέγων ἐρωτᾷν καὶ προβάλλειν κελεύσῃ, *vbi vero is, qui dicit, auditores quærere & ponere, de quo diſputetur, iuſſerit.* CICERO vſurpat vocem *ponere*, quando lib. I. cap. 4. Tuſculan. quæſtion. dicit: *ponere iubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut ſedens aut ambulans diſputabam.*

§. XXII. Si hiſce exercitationibus modus quidam adhibetur, vtile eſt, etiam ſubito dicere, atque audientibus præter admirationem magnam interdum adfert voluptatem. hinc AVCTOR de cauſſis corruptæ eloquentiæ: [1] *ſed extemporalis audaciæ atque ipſius temeritatis vel præcipua iucunditas eſt. nam in ingenio quoque, ſicut in agro, quanquam alia diu ſervantur atque elaborentur, gratiora tamen, quæ ſua ſponte naſcuntur.* quamuis vtilius adhuc ſit, bene excogitatam & cum cura ſtudioue compoſitam adferre orationem, vti iudicat CICERO: [2] *quam ob rem in iſtis ipſis exercitationibus, etſi vtile eſt, etiam ſubito dicere, tamen illud vtilius, ſumto ſpatio ad cogitandum atque accuratius dicere.* ſed vero multi ſophiſtæ inani gloriæ ſtudio capti, hac in re maiori temeritati atque audaciæ, quam par erat. ſeſe tradebant, præcipue quum de quacunque re non ſolum promte & ſubito, ſed etiam in vtramque partem dicere ſibi ſu-

1 *cap. 6. §. 8.* 2 *de orator. lib. I.*

merent, quo factum est, vt talis differendi modus rectis eloquentiæ magistris atque auctoribus fuerit odiosus. CICERO [1] quum commemorasset exemplum GORGIAE, addit: *audax negotium; dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset*; QVINCTILIANVS adpellat hanc exercitationem *extemporalem garrulitatem & circulatoriæ vere iactationis* esse adfirmat; PLVTARCHVS [2] vero: οἱ δ' αὐτοσχέδιοι τῶν λόγων πολλῆς εὐχερείας καὶ ῥᾳδιουργίας εἰσὶ πλήρεις, *orationes ex tempore habitæ plenæ sunt multæ leuitatis & vanitatis*: PETRONIVS: [3] *ingens scholasticorum turba in porticum venit, vt adparebat, ab extemporali declamatione nescio cuius, qui Agamemnonis suasoriam exceperat.* *

* exemplum theologi cuiusdam in ordinem Franciscanorum adscripti, qui præstitit eloquentia subita, commemorat ERASMVS lib. XV. epist 14. *rogatus a me in familiari colloquio, quibus modis præpararet animum suum iturus ad concionandum? respondit, se solitum in manus sumere Paullum & in eius lectione tam diu commorari, donec sentiret incalescere pectus. illic hærebat addens igneas ad deum preces, donec admoneretur, esse tempus incipiendi. nonnunquam septies concionabatur vna die, nec vnquam ei deerat sermonis eruditi copia, quoties de Christo loquendum erat.* cuius exempli etiam mentionem habent MORHOFIVS polyhist. litter. lib. I. c. 12. §. 11. PASCHIVS de inuentis nouantiquis cap. II. §. 22. p. 79. HANSCHIVS de enthusiasmo Platonico sect.

1 *de finib. bon. & mal. lib. 2 c. 1.* 2 *de educandis liberis.*
3 *satir. cap. 6.*

II. § 14

II. §. 14. adde CRENIVM animaduersion. phil. & historic part. VII. c. 3. §. 8. p. 179. seqq. bene adhuc PETRVS BVRMANNVS ad Petronium p. 28. de hominibus, quibus scriptione occupatis omnia leuia videntur, iudicat: *quare ineptos illos oratores & poetas merito ridemus, qui cacatis suis chartis adscribunt temporis spatium, intra quod euomuerunt scripta, vel loca minus apta studiis designant, & se vel inter equitandum, vel nauigandum, vel aliis occupatos negotiis effutiisse sua statim moritura verba iactant.*

§. XXIII. Atqui hoc primum fuit, per quod sophistæ audientibus admirationem mouerunt, cuius excitandæ quum maxime essent studiosi, alia adhuc media in orationum inventione & elocutione adhibuerunt, quibus hanc vim effici posse existimarunt. quod ad inuentionem adtinet, in eo omne studium omnemque operam posuerunt, vti adferrent καινὰ, παράδοξα & τέρατα. primum elaborabant vehementer, vt dicerent noua, & eiusmodi res, de quibus nemo ante disseruerit, aut quæ saltem non adeo fuerint cognitæ: hinc ISOCRATES [1] adfirmat, illos περὶ τούτων ζητεῖν λέγειν, περὶ ὧν μηδεὶς πρότερον ἐγχειρήκεν, *de rebus a nemine prius tractatis dicere instituisse*, de quo etiam testimonium exhibet IVLIANVS. [2] deinde sophistis solemnis ac propria fuit παραδοξολογία, de quibus iam nominatus ISOCRATES [3] obseruat, quod inprimis de eo fuerint solliciti, quomodo ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον *argumentum absurdum & admira-*

1 *panegyric.* 2 *orat. I. p. 2. opp.* 3 *princ. laudat. Helen. pag. 401. opp.*

bile pertractarent. id quod etiam PHILOSTRATVS in variis sophistis speciatim notat, GORGIA quippe, qui ὁρμῆς τοῖς σοφισαῖς ἦρξε καὶ παραδοξολογίας, *contentionis in oratione sophistis auctor extitit & admirabilis dicendi generis*; [1] & NICETE, de quo tradit: τὰς ἐννοίας ἰδίας τε καὶ παραδόξους ἐκδίδωσιν, ὥσπερ οἱ βακχεῖοι θύρσοι τὸ μέλι, καὶ τοὺς ἑσμοὺς τοῦ γάλακτος, *sententias proprias & admirabiles edit, non secus atque mel Bacchii thyrsi lactisque copiam.* [2] tertium proferebant τέρατα, vnde LIBANIVS [3] hos oratores diserte vocat σοφιστὰς τερατολόγους, confer LVDOVICVM CRESOLLIVM. [4]

§. XXIIII. Nec solum hæc in inuentione, sed elocutione quoque sunt consectati. namque primum nouas rerum adpellationes nouasque voces confingebant, quo quum haud facile intelligerentur sophistæ, promiscua multitudo vertebatur in admirationem. LVCIANVS [5] per irrisionem dicit: ἐνίοτε δὲ καὶ αὐτὸς ποίει καινὰ καὶ ἀλλόκοτα ὀνόματα, καὶ ὀνοματοθέτει. τὸν μὲν ἑρμηνεῦσαι δεινὸν εὔλεξιν καλῶν, τὸν συνετὸν σοφόνουν. τὸν ὀρχηστὴν δὲ χειρίσοφον, *nonnunquam etiam tu noua finge & monstrosa vocabula*: vt interpretandi peritum εὔλεξιν, & honestorum prudentem σοφόνουν, saltatorem autem χειρίσοφον. sic PHOTIVS [6] de SOPHRONIO patriarcha testatur, quod pie quidem, sed nimis quam sophistice dicat: ἐννεωτερίζει, inquit, πανταχοῦ ῥήμασι, *nouis ver-*

1 *de vit. sophist. lib. I. n. 9. §. 1.* 2 *lib. I. n. 19 §. 1. de vit. sophistar.* 3 *declamat. XXXVII.* 4 *theatr. rhetor. lib. I. c. 15. lib. III. c. 22.* 5 *rhetor. pracept. p. 319. tom. II. opp.* 6 *codic. CCXXXI.*

bis

bis iuueniliter exſultabat; ſicque DEMADES, ſophiſta puberes adpellauit ἔαρ τοῦ δήμου, *ver populi*; muros ἐσθῆτα τῆς πόλεος, *paludamentum ciuitatis*; & tibicinem κοινὸν Ἀθηναίων ἀλέκτορα, *publicum Athenienſium gallum*, auctore ATHENAEO. [1] qui DEMADES quamuis voces vſitatas adhibuerit, ſignificationes tamen earumque compoſitiones prō ſua libidine finxit, adeoque quum natura vocum vi ſua ſignificandi inprimis abſoluitur, idem omnino commiſit vitium. ex hoc ſtudio nouaium adpellationum multa alia inepta atque incommoda conſequebantur, quapropter valde illos ridet LVCIANVS, [2] & recte monet, hæc noua fugienda eſſe, quippe quæ & caſtitati & perſpicuitati, primis eloquentiæ virtutibus repugnent. quin etiam tales dictiones ſæpius aut errores aut diſſidia parere poſſunt, vti bene AVGVSTINVS [3] iudicauit: *nobis ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem*: conf. GEORG. NICOL. KRIEGK. * [4] ſed vero ab vno vitio, vt fit plerumque, delabebantur in eloquentia ſophiſtæ in aliud, æque ineptum; & prout in inuentione ac ſententiis παράδοξα proponere elaborabant; ſic eodem ſtudio in elocutione ac verbis ducebantur, cuius exempla clara habentur apud ſcriptores. PHILOSTRATVS enim de CRITIA dicit: [5] καὶ τὸ παραδόξως μὲν ἐνθυμηθῆναι, παραδόξως δ' ἀπαγγεῖλαι, Κριτίου ἀγών, *in admirabili item, tam in*

1 *de Deipno ſophiſt. lib. II. p. 44. lib. III. p. 99.* 2 *lexiphan. p. 836. tom. I. opp.* 3 *de ciuit. Dei lib. II. p. 48.* 4 *de ſophiſt. eloquentia §. 36. ſqq.* 5 *de vit. ſophiſtar. lib. I. n. 16. §. 4.*

ſenten-

ſententiis, quam in elocutione exercitatiſſimus Critias eſt; quo & ſpectat παραδοξολογία NICETAE, quod dixerit, naui inſulam eſſe alligandam, quum alias alligetur nauis ad inſulam. hinc etiam quum adoleſcens quidam dictum hoc Nicetæ laudaret, ſophiſta ISAEVS καταγελάσας πλατὺ, *effuſe ridens* dixit: ἀνόητε, καὶ πῶς ἀναχθήσῃ, *ſtulte, quonam modo renauigabis?* aut vt rectius legit GOTTFRIED OLEARIVS: καὶ πῶς ἀναδήσῃ, *quomodo inſulam naui alligabis?* [1] tandem adhibuerunt quoque monſtra & portenta verborum. A. GELLIVS [2] mentionem facit duorum oratorum, quorum alter, *quum dicere vellet inopia quendam miſeroque victu viuere & furfureum panem eſitare vinumque eructum & fœtidum potare, hic*, dixerit, *eques romanus apludam edit & floces bibit*; adeoque vſurpauerit duas priſcas voces, quæ omnibus fere erant incognitæ. alter vero quum aduerſarius cauſſam differri poſtularet, in hæc verba eruperit: *rogo prætor, ſubueni, ſuccurre: quonam vsque nos* BOVINATOR *hic demoratur*, atque ter quaterque magna voce clamauerit: BOVINATOR *eſt*, quod nomen ſignificans hominem malitioſum deprehendebatur apud LVCILIVM. cuiuſmodi portenta etiam notat SENECA [3] in rhetore MVSA, qui longisſime a communi dicendi ratione ſeſe disiungebat.

* neceſſe interdum eſt, noua recipere vocabula, vt pluribus demonſtrauimus hiſtoria critica latinæ linguæ cap. XIII. § 9. p. 501. ſeqq.

1 *de vit. ſophiſt. lib. I. num. 20. § 2.* 2 *noct. Attic. lib. XI. cap. 7.* 3 *præf. lib. V. controuerſ.*

vbi

vbi etiam p. 507. not. auctores huc ſpectantes collegimus, quibus iam addimus JO. IENSIVM, qui ferculo litter. p II ita ſcribit: *nulla lingua ab ullo extraneo puriſſime vſurpatur, niſi ab homine vnice ſe ſtudio cultuique linguae alicuius extraneae tradente; ſed nec ab eo quidem puriſſime, vbi in rebus ſuae patriae, ſuae nationi, ſuis ſacris ac religioni propriis peregrina lingua enarrandis verſatur. quis exempli gratia Batauus gallice res ſingulas Batauicas ita efferat, vt numquam cogatur Batauice in lingua Gallica loqui; cuique linguae ſuus genius, & in qualibet natione ſunt multa, quae apud alias nationes vel prorſus non, vel aliter comperiuntur. tum quia vocabula deſunt, vbi res deſunt (ſcilicet vocabula ſunt inuenta rebus exprimendis; ergo vbi res aliqua ignoratur, vel in vſu non eſt, etiam nulla ibi vox iſti rei exprimendae apta reperitur, nec deſideratur) neceſſum eſt, vt ad res alienas ab ea lingua, qua vtaris, exprimendas, vel fingas noua vocabula, vel nonnihil iſtius linguae vocabula detorqueas & accommodes, atque ita qualicunque modo id, quod velis, declares.* ſed tamen decet, haud maiori, quam par eſt, vti licentia, contra quod grauiter peccarunt ſophiſtae. nam vocum auctoritas pendet ab vſu, qui non vnius, ſed ſaltem plurium eorumque politorum eſſe debet. auctoritate autem nititur ſignificatio, quae haud firma ac perſpicua eſſe poteſt, niſi per definitum vſum confirmata, vt adeo nouae voces, quibus aliquis pro ſua voluntate vtitur, omnem ſermonis finem, quo aliis cogitationes declarare debemus, perturbent atque euertant.

§. XXV. Haec de priori momento, quod veteres ſophiſtae atque oratores magna ſtudia in

in eo posuerunt, vt partim per subitam declamandi rationem; partim singularem orationum earumque inuentionis atque elocutionis formam auditores deducerent in admirationem. quæ vt spectabant ad intellectum; ita voluntatem quoque ac mentem vi sua occupare eamque cum delectare, tum vehementiori motu adficere elaborabant, de qua re magnam curam ac diligentiam non solum in inuentione ac sententiis, sed & elocutione ac verbis adhibebant. dixerunt enim de rebus, quæ auditoribus pro ipsorum indole placebant, ac eiusmodi orationem, cui magnam inesse suauitatem existimabant, sæpius adtulerunt. multi profecto nihil habebant antiquius, quam floridum dicendi genus sequi, ac suauia eligere verba, quamuis haud vbique decus obseruarent, vnde re ipsa omnem gratiam amittebant orationes. quo nomine LVCIANVS [1] adpellat has voces *ῥήματα πάνυ ἑταιρικὰ*, *verba per quam meretricia*, ex quibus existeret oratio fracta quidem, cuius tamen suauitas titillaret sensus atque ad animos adflueret; & alibi [2] talem oratorem dicit *μύρων ἀποπνέοντα*, *vnguenta spirantem.* QVINCTILIANVS [3] autem: *quapropter eloquentiam licet hanc (dicam enim vt sentio) libidinosam resupina voluptate auditoria probent, nullam esse existimabo, quæ ne minimum quidem in se iudicium masculini incorrupti, ne dicam grauis & sancti viri ostendet.* * namque pro sua tantum libidine colligebant veneres, ac fingebant sibi sæpe venustatem, quæ veri

1 *piscat. p. 396. tom. I. opp.* 2 *rhetor. precept. p. 315. t. II. opp.*
3 *institut. orator. lib. V. cap. 12.*

ac

ac recti cultoribus non suauis ac iucunda; sed ingrata & molesta erat; nec rebus hisce retinebant modum adeoque per nimium aures atque animos audientium offendebant. sic vtebantur poeticis dictionibus, vt per suauem earum tinnitum efficerent delectationem, ad cuiusmodi dicendi formam inprimis se conuertit GORGIAS, vt testatur DIONYSIVS *Halicarnasseus*: [1] κατέφευγε εἰς τὴν ποιητικὴν φράσιν, μεταβολαῖς τε πολλαῖς χρώμενος, & ARISTOTELES [2] dicit: ποιητικὴ πρώτη ἐγένετο λέξις, οἷον ἡ Γοργίου, qui etiam [3] exempla adfert ποιητικῶν ὀνομάτων ex GORGIA, qualia πτωχόμουσος κόλαξ item χλωρὰ καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα & alia, cuiusmodi & SOCRATES [4] commemorat. quumue cultores vocum poeticarum multis essent grati, vt testatur ARISTOTELES, [5] quod sua ætate tales homines sint existimati διαλέγεσθαι κάλλιστα, & alii exemplum GORGIAE sunt secuti, ex quibus præcipue clarus est ANTIPHON, cuius orationes plenæ fuerunt dictionum poeticarum. [6] quo stilo perperam sane vtebantur in oratione soluta, inprimis durioribus translationibus, quæ poetarum ingenia interdum maxime delectant; orationi autem nullum adferunt decus. hinc recte dicit ARISTOTELES: [7] ἑτέρα λόγου καὶ ποιήσεως λέξις ἐστὶ, *alia orationis, alia poësis elocutio est.*

* est præstantissima ornati sermonis virtus χαριεντισμὸς, quæ adpellatio deprehenditur apud DIONYSIVM Halicarnasseum in Isæo p. III.

1 *indicio de Lysia.* 2 *rhetor. lib. III. cap.* 1. 3 *ibid. c.* 3.
4 *apud Xenophontem in conuiu.* 5 *lib. III. cap. I. rhetor.*
6 HERMOGENES *de formis lib. II. p.* 80. 7 *cit. loc.*

& Isocrate p. 99. ac HERMOGENEM περὶ ἰδεῶν seu de *formis oratoriis* lib. II. cap. 5. significat eam orationis rationem, qua est elegans, venusta, nitida, mollis, delicata. hæc enim vox oritur ἀπὸ τῶν χαρίτων, χάρις autem apud græcos etiam significat quidquid in oratione vel quacunque re leporis, elegantiæ ac venustatis est. quamuis hæc forma communis sit tribus dicendi generibus, sublimi, medio atque humili; maxime tamen in duobus posterioribus est conspicua. ob χαριεντισμὸν ex oratoribus ISOCRATEM commendant CICERO, QVINCTILIANVS, DIONYSIVS; necnon celebres sunt de hoc sermonis ornatu ex *historiarum auctoribus* ac quidem græcis, HERODOTVS & XENOPHON; latinis vero VELLEIVS PATERCVLVS & IVLIVS CAESAR; ex numero poëtarum epicorum HOMERVS, HESIODVS, VIRGILIVS, OVIDIVS; tragicorum EVRIPIDES, SENECA, comicorum MENANDER, TERENTIVS, ac lyrici præ aliis suauitatem hanc sibi vindicant. quod enim in epicis grauitas, in bucolicis simplicitas, in elegiis mollities, comicis ioci, tragicis adfectus, satiricis acerbitas, epigrammatibus acumen, id in lyricis suauitas, cuius magnam laudem habent SAPPHO & ANACREON. sed sophistæ quamuis veneres eloquentiæ fuerint sectati, vt delectarent audientium animos; vim tamen veræ venustatis orationibus suis haud adtulerunt; ac magis libidinem animi, quam ingenii suauitatem prodiderunt.

§. XXVI. Sic porro sophistæ orationes, vt multum haberent delectationis, figuris ornabant rhetoricis, quas sermonem reddere posse ele-

elegantem atque ornatum, magnamque ſæpe habere vim mouendi, haud negamus, * ſi modo iſtas non ſolum modice adhibeamus, ſed & earum vſum temperemus cum iudicio, id quod ſophiſtæ non ſemper obſeruarunt. etenim quum voluptati inſeruirent, atque oſtentationem propoſitam ſibi haberent, id vnice cogitarunt, quomodo ſuaues ſonos excitare, aureſue adficere delectatione poſſent, & vbique hæc ornamenta exprimere inſtituerunt. primus illis vſus eſt GORGIAS, ante cuius tempora plerique dicebant proprie & plane, vid. DIODORVM *Siculum* [1] & DIONYSIVM *Halicarnaſſeum*: [2] quem alii ſequebantur, atque inprimis ſtudebant orationi concinnæ ac varia ſchemata vſurpabant, quæ ipſi pondus & gratiam conciliant. formæ enim quædam ſunt, quæ ad ſermonem feſtiuum & concinnum magnam vim adferunt, vt ipſe CICERO [3] teſtatur: *formæ vero quædam ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, vt ſequatur numerus neceſſario. nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt verba, verbis comparantur: quidquid ita concluditur, plerumque fit, vt numeroſe cadat.* ſcilicet obſeruant artis oratoriæ doctores, tribus formis præcipue niti ſermonis concinnitatem. prima eſt ΑΝΤΙΘΕΣΙΣ, quum contrariis opponuntur contraria, quam adpellat QVINCTILIANVS [4] *contrapoſitum* eiusque tres conſtituit ſpecies: *contrapoſitum autem*, inquit, *vel vt quidam vocant, contentio non*

1 *lib. XII. p.* 313. 2 *de Thucydidis idiom. p.* 135. *ſeqq.*
3 *de orator. c.* 61. 4 *inſtitut. orator. lib. IX. cap.* 3.

vno fit modo. nam & fit, ſi ſingula ſingulis opponuntur, vt in eo, quod modo dixi: vicit pudorem libido, timorem audacia; *& bina binis*: non noſtri ingenii, veſtri auxilii eſt; *& ſententiæ ſententiis*, dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis. *cui commodiſſime ſubiungitur & ea ſpecies, quam diſtinctionem diximus*: confer GERH. IO. VOSSIVM. [1] ſecunda forma dicitur ΠΑΡΙΣΩΣΙΣ, per quam verba verbis quaſi demenſa & paria reſpondent, quod fit vel quum ſingula verba nullo vinculo coniuncta ſuis diſtinguuntur interuallis, e. g. *inimicos inuidia, iniuriis, potentia, perfidia ſuſtuliſti*: vel quum verbis coniunctis ſententiæ proponuntur, id quod hoc pacto fieri oportet: *perditiſſima ratio eſt, amorem petere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam.* neque vero ſyllabarum numerus plane par & ſtrictus requiritur, quod puerile eſt; ſed tantum adfert vſus & exercitatio facultatis, vt animi quodam ſenſu par membrum ſuperiori referre poſſimus. [2] ARISTOTELES [3] dicit: παρίσωσις, ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα, *compar, ſi æqualia ſint cola*, vnde etiam vocatur ἰσόκωλον, vide GERH. IO. VOSSIVM. [4] tertia forma eſt ΠΑΡΟΜΟΙΩΣΙΣ, ſiue *ſimilitudo litterarum* & *vocum*, cuius ARISTOTELES [5] quinque indicat genera, ſimilitudinem vocum ab initiis, quo pertinet *paronomaſia* & præcipue *anaphora*, quæ eſt repetitio eiusdem vocis in principiis; ſimiliter cadentia atque deſinentia, id eſt ὁμοιόπτωτα &

1 *inſtit. orator. lib. V. p.* 402. 2 *AVCT. rhetor. ad Herenn. lib. IV. cap.* 20. 3 *rhetor. lib. III. cap. 9. extr.* 4 *inſtit. orator. lib. V. p.* 312. 5 *cit. loc.*

ὁμοιο-

ὁμοιοτέλευτα, porro verba eadem, sed diuersa flexione in fine repetita; eiusdem verbi in clausulis repetitionem, siue *epistrophen* ac tandem similitudinem in pluribus syllabis. quod igitur ad sophistas adtinet, amarunt singulari voluptate ἀντίθετα, ἰσόκωλα, ὁμοιόπτωτα, ὁμοιοτέλευτα, iisque orationes suas mire illustrare summa adnisi sunt opera, quod probari potest ex GREGORIO NAZIANZENO:[1] ἀντίθετα δὲ καὶ πάρισα καὶ ἰσόκωλα ἀποῤῥίψόμεθα, *antitheta, parisa & isocola sophistis proiiciemus*; & APOLLONIVS *Tyanensis* confirmat apud PHILOSTRATVM, solemne esse sophistis, ad orationes adhibere πάρισα καὶ ἀντίθετα. quarum figurarum amore singulari captus erat GORGIAS *Leontinus*, qui etiam a quibusdam auctor earum traditur, vt CICERO putat, quando[2] scribit: *nam paria paribus adiuncta & similiter desinita, itemque contrariis relata contraria, quæ sua sponte cadunt plerumque numerose, Gorgias primus inuenit.* nec ipsius concinnitati, quam consectatus est, defuit vis, cuius ope auditores tenere, animos illorum capere, sibique non mediocrem efficere poterat dignitatem. quare exquisitis honoribus & laudibus vbique adfectus est, nec solum dies, quibus perorauit, sacros coluerunt, eiusdemque orationes dixerunt λαμπάδας, sed & schemata adpellarunt γόργεια & Thessalis γοργιάζειν idem fuit ac ῥητορεύειν. PHILOSTRATVS[3] enim οὐδὲ Θετταλοὶ σοφίας ἠμέλουν, ἀλλ' ἐγοργιάζον ἐν Θετταλίᾳ, μικραὶ καὶ μείζους πόλεις, ἐς Γοργίαν ὁρῶσαι

1 epist. CCIX. 2 de oratore cap. 52. 3. de vit. sophistar. lib. I. n. 16. §. 2.

τὸν Λεοντῖνον, *ne Thessali quidem sapientiæ studia negligebant, sed paruæ magnæque Thessaliæ ciuitates Gorgissabant, Gorgiam suscipientes Leontinum*; & alibi [1] confirmat, quod apud græcos, qui fuerint in Thessalia, γοργιάζειν idem esset ac ῥητορεύειν; vnde non videmus, cur hanc vocis significationem, etiam a PETAVIO [2] & GOTTFRIED OLEARIO [3] probatam impugnare sibi sumserit KVHNIVS, [4] confer LVDOVICVM CRESOLLIVM [5] & GERH. IO. VOSSIVM. [6] at vero his formis vsus est GORGIAS intemperantius, quam ob rem CICERO: [7] *Gorgias autem auidior est generis eius & his festiuitatibus, (sic enim ipse censet) insolentius abutitur: quas Isocrates, (quum tamen audiuisset in Thessalia adolescens senem iam Gorgiam) moderatius temperauit.* cuiusmodi sophistam PEDIVM etiam perstringit PERSIVS: [8]

fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
librat in antithetis. doctas posuisse figuras
laudatur.

* doctrina de *figuris rhetoricis* ieiune ac confuse adhuc tradita est a magistris artis oratoriæ, siue ipsarum genuinam indolem, siue verum vsum, qui ab earum natura pendet, respicias. figuræ propriæ sunt oratoribus, quæ quum conceptus mentis principales ac minus principales eleganter coniungant, quamdam ser-

1 *epist. XIII. ad Iuliam August.* 2 *ad Synes. p. 81.* 3 *ad Philostrat de vit. sophistar. lib. I. n. 9. §. 2.* 4 *ad Aelian. var. histor. lib. II. c. 21.* 5 *theatr. rhetor. lib. I. cap. 5.* 6 *instit. orator. lib. V. cap. 5. p. 327.* 7 *de oratore cap. 52.* 8 *satir. I. v. 85. seqq.*

monis

monis pulcritudinem efficiunt. vis autem illarum ſpectat modo intellectum, modo voluntatem. quæ reſpiciunt *intellectum*, illæ continent voces illarumque compoſitiones aliis grauiores, & menti auditoris iniiciunt attentionem, quo pertinent *epizeuxis*, *anadiploſis*, *anaphora*, *ſymploce*, quibus in argumento leuiori, nulla attentione digno haud locus relinqui poteſt. quæ pertinent ad *voluntatem*, illæ aut adferunt delectationem, vti *paronomaſia*, ὁμοιόπτωτον, ὁμοιοτέλευτον, *parecheſis*, quæ adeo in re ſeria & triſtiori haud adhiberi debent; aut mouent ad adfectus, vt *exclamatio*, *apoſiopeſis*, *proſopopopocia*. ſchemata igitur, quæ tantum inſeruiunt amplificandæ orationi, relinqui poſſunt philoſophis.

§. XXVII. Summum ſtudium ſophiſtæ in hiſce ornamentis, quibus orationibus ſuis maius decus, maiorem voluptatem adiicere volebant, poſuerunt; nullam autem rationem habentes nec temporis, nec perſonarum. vbique, ſiue fuerint caſus ſecundi ſiue aduerſi, eandem oſtentabant artem. ſic HEGESIAS *Magneſius*, * quum laudare inſtitueret Alexandrum, occaſione vtebatur præſenti, incendio templi Dianæ Epheſiæ, quumue Thebas euerſas lugere vellet, adhibebat ſententias magis deliciarum, quam luctus plenas, vid. GERH. IO. VOSSIVM. [1] atqui hæc eſt cauſſa, cur de hoc dicendi genere multi, qui veram ac grauiorem amabant eloquentiam, ſenſerint ſiniſtre, & ab iſto omni abhorruerint animo. nam *fides & grauitas oratoria minuitur his exor-*

1 *de hiſtoric. græcis lib. I c. 12. p. 80. adde* CICERONEM *de claris oratoribus cap. 83.* LONGINVM *ſect. 3.* DIONYSIVM *Halicarnaſſ.* περὶ συνθεσ. ὀνομάτ.

nationibus frequenter collocatis: & non modo tollitur auctoritas dicendi, ſed offenditur quoque in eiuſmodi oratione auditor; propterea quod eſt in his lepos & feſtiuitas, non dignitas neque pulcritudo. quare quæ ſunt ampla & pulcra, diu placere poſſunt: quæ lepida & concinna, cito ſatietate afficiunt aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. quo modo igitur, ſi crebro his generibus vtemur, pueriliter videbimur elocutione delectari, vt recte iudicat AVCTOR rhetoricorum ad Herennium. [1] A. GELLIVS [2] autem adpellat hæc ſophiſtarum ornamenta *rancida, inſubida, inertia, puerilia*, etiam verſus profert e quinto ſatirarum LVCILII, quibus tales oratores perſtringit merito, confer LVDOVICVM CRESOLLIVM. [3] ex formis, quæ multum adiiciunt ad concinnitatem, ſuauis oritur ſonus, ſi cum iudicio ac modice adhibeantur. contra quod quum peccarunt ſophiſtæ, nouo vitio ſermones ſuos polluerunt, quamuis aurium ſenſus iterum titillare vellent. etenim ipſis nihil erat prius, quam numerum oratorium anxie conſectari, & cuiuſmodi inſtituere coniunctionem verborum, vt fieret in oratione verſus, id quod omnino veræ germanæque eloquentiæ repugnat. orator quippe ſic illigat ſententiam verbis, vt eam numero quodam complectatur & adſtricto & ſoluto, id eſt, numerus oratorius debet eſſe exquiſitus; ſed ita diſſimulatus & latens, vt tamen ſentiatur & orationem iucundo ſono incipiat, prouehat & concludat. **

1 *lib. IV. cap.* 23. 3 *noct. Attic. lib. XVIII. cap.* 8.
3 *theatr. rhetorum lib. III. cap.* 24. *&* 25.

* hic

* hic HEGESIAS haud confundendus est cum illo, qui Cyrenaicus fuit philosophus & dictus πεισιθάνατος, de quo CICERO lib. I. cap. 34. Tuscul VALERIVS MAXIMVS lib. VIII. cap. 9. confer MENAGIVM ad LAERTIVM lib II. segm. 86. pag. 114. tom II. opp. noster enim, de quo dicimus, multo est iunior, vt discrimen hoc etiam notat FABRICIVS biblioth. græc. lib. IV. c. 32. p. 484.

** auctores sæpius in oratione soluta dixerunt versus per imprudentiam, quorum exempla collegerunt CASPAR BARTHIVS lib. II. c. 6. IV. 13. VII. 19. VIII. 21. XVII. 14. & aliis locis aduersar. SCIPIO GENTILIS lib. II. c. 31. parergor. GERH. IO. VOSSIVS instit. orator. lib. IV. c. 4. §. 3. MORHOFIVS de patauinitate Liuiana p. 200. id quod vitiosum esse veteres pronuntiarunt ARISTOTELES lib III. c. 8. rhetoricor. CICERO de orat. lib. III. QVINCTILIANVS lib. IX. c. 4 instit. orator. alii autem ideo hos versus excusant, quod & tales in sacris scripturis deprehendantur. VOSSIVS c. I. p. 75. mentionem facit ex GESNERI biblioth. libri cuiusdam, qui in bibliotheca Vaticana huius inscriptionis: *de metris in prosa* custodiantur; num autem versus aliorum, an ipsius auctoris complectatur, ei incognitum est.

§. XXVII. Sic explanauimus studia veterum sophistarum, quæ de delectatione in animis audientium excitanda adhibuerunt. restat igitur, vt etiam de altera vi oratoria ipsorum, per quam adfectus perturbarunt commoueruntque vehementius, dicamus, quæ vis a priori omnino diuersa est. nam vt discrimen hoc ex vtriusque, suauitatis ac grauitatis

indole patet, ita etiam in vsu id obseruandum, qui interdum orationem quidem suauem, minus vero sublimem ac spiritus plenam admittit. hinc oratores extiterunt, quorum sermones suauitate sua omnibus sese commendarunt; at si quid genere magnifico fuerit dicendum, aut præstiterunt nihil aut saltem exigua perorarunt laude, id quod exemplum testatum facit CRITIAE, de quo PHILOSTRATVS: [1] τὸ τοῦ λόγου πνεῦμα ἐλλιπέστερον μὲν, ἡδὺ δὲ καὶ λεῖον, ὥσπερ ἡ τοῦ Ζεφύρου αὔρα. *orationis spiritus sæpe infirmior, suauis tamen & vt Zephyri aura lenis.* qui eadem quoque tradit [2] de HERODE, quod ipsius orationi inesset suauitas, sed τὸ πνεῦμα οὐ σφοδρὸν, ἀλλὰ λεῖον καὶ καθεστηκός, *spiritus non vehemens, sed lenis, firmus tamen.* atqui multis sophistis id primæ & maximæ curæ fuit, vt apud auditores efficerent ἔκπληξιν, siue *stuporem* & magnam animi commotionem. sic de GORGIA scribit DIODORVS: [3] τῷ ξενίζοντι τῆς λέξεως ἐξέπληξε τοὺς Ἀθηναίους, & DIONYSIVS *Halicarnassus*: [4] κατεπλήξατο τοὺς ἀκούοντας ἐν τῇ δημηγορίᾳ. de ADRIANO vero sophista relatum legimus apud PHILOSTRATVM, [5] quod aures ad ipsius orationes singulari voluptate, veluti ad cantum lusciniæ admouerint, τὴν εὐγλωττίαν ἐκπληττόμενοι, nisi hæc verba vertere: *elegantiam linguæ admirati*, & tantum ad suavitatem transferre velimus: confer LVDOVICVM CRESOLLIVM. [6]

[1] *de vitis sophist. lib. I. n. 16. §. 4.* [2] *lib. II. n. I. § 14.* [3] *lib. XII.* [4] *in Lysia.* [5] *de vitis sophist. lib. II. n. 10. §. 5.* [6] *theatr. rhetor. lib. I. c. 15.*

§. XXVIIII.

§. XXVIIII. Stuporem hunc hancque animi commotionem duplici ratione considerare debemus, rationem habentes partim oratorum, qui tales motus excitarunt, partim auditorum, quorum animos hæ perturbationes adflixerunt. vt dispiciamus de priori momento, iterum obseruamus, quod hæc sophistarum vis cum in ipsa oratione, cuius inuentio atque elocutio ad huiusmodi pondus erant compositæ, tum in actione fuerit sita. in ipsis orationibus adfectabant sublime ac magnificum dicendi genus, nec solum in verbis, sed & in rebus, de quibus dicebant, maiestatem præ se ferre adeoque animos audientium magna vi adgredi instituebant. tria enim sunt, quæ sermonem efficiunt sublimem, quorum primum est grauissimum argumentum; secundum, vt ipsius oratoris & cogitatio & adfectus ipsi argumento respondeant, ac tandem sublimia verba, quæ cum ipsis rebus, siue respiciant intellectum siue voluntatem, accurate conueniunt, confer SAMVELEM WERENFELSIVM.[1] primum igitur declamarunt diligenter de momentis augustis ac splendidis, ac præcipue consectati sunt orationes panegyricas, a quibus etiam dicebantur panegyristæ. laudabant deos & heroas, Herculem, Iouem, Mineruam, Bacchum, Aesculapium & alios; nec minus magnos homines, reges, principes, duces, & claros viros, quos ad cœlum vsque efferebant laudibus; & tandem illustres ciuitates. ex quibus inprimis prædicabant Athenas, quum ex illis tanquam ex vberrimo fonte

1 *dissert. de meteoris orationis §. 3. seqq. quæ addita est libro de logomachiis eruditorum.*

dima-

dimanarunt ad alias gentes disciplinæ omnesque bonæ artes, & inter has etiam eloquentia. hisce exercitationibus omnes facundiæ vires colligebant, eum tantum in finem, vt dicendi copiam ostentarent, atque hominum animos eorumque fauorem captarent. atqui hæc splendida argumenta, quæ excogitauerant, porro magnificis sententiis illustriora adhuc exhibere, omnia ita copiose narrare, vt coram spectari viderentur, ipsosque adfectus, quos mouere volebant, præ se habere singulari connitebantur studio. cuius rei elegantissimum exemplum deprehendimus in sophista SCOPELIANO, de quo PHILOSTRATVS [1] prodit memoriæ, quod sui excitauerit admirationem περὶ τὰς ἀκμαιοτέρας τῶν ὑποθέσεων, καὶ πολλῷ πλέον περὶ τὰς Μηδικὰς, ἐν αἷς οἱ Δαρεῖοι τε εἰσι καὶ οἱ Ξέρξαι, *argumenta tractans, in quibus aliqua vi dictionis opus esset, qualia Medica, in quibus Darii & Xerxæ.* hæc igitur argumenta, Μηδικαὶ ὑποθέσεις, erant omnino sublimia, quibus indolem ac maiestatem regum DARII aut XERXIS expresserunt, ad quam descriptionem non quoduis, sed erectum atque elatum ingenium fuit aptum. quapropter adhuc de eo dicitur: καὶ γὰρ φρόνημα ἐν αὐταῖς ὑπεκρίνατο, *in iis enim & spiritus repræsentauit magnos.* at contra quum POLEMON in sophistam lucanicas & mænidas, viliaque obsonia coëmentem incidisset, ὦ λῷστε, dixit, οὐκ ἔστι τὸ Δαρείου καὶ Ξέρξου φρόνημα καλῶς ὑποκρίνασθαι, ταῦτα σιτουμένῳ, *amice, vix licebit Darii aut Xerxis indolem pulcre exprime-*

[1] *de vitis sophistar. lib. I. n. 21 §. 4.*

re,

re, tali cibo paſto; [1] hisque ſignificauit, eum, qui propter paupertatem vili paſtu ſe ſuſtentare deberet, haud ſpiritus magnos concipere poſſe, nec aptum eſſe ad ſermonis argumentum ſublime.

§. XXX. Tandem magnifica quoque dictione vtebantur ſophiſtæ, ad quam plerique ſua indole erant procliues. alii recte graue orationis decus ac ſublimem dicendi formam complectebantur, hæcque lumina cum iudicio adferebant, rationem ipſarum rerum ac perſonarum habentes, ideoque magnam ſemper tenebant exiſtimationem. ſic de ſophiſta LOLLIANO eiusdemque elocutione PHILOSTRATVS [2] dicit: διαφαίνονται δὲ τȣ̃ λόγȣ καὶ λαμπρότητες, λήγȣσαι ταχέως, ὥσπερ τὸ τῆς ἀςραπῆς σέλας; *in eius autem oratione ſplendide quoque dicta elucent, fulgetri coruſcantis ad inſtar micantia*; quæ verba illuſtrat QVINCTILIANVS: [3] *tamen & lumina illa non flammæ, ſed ſcintillis inter fumum emicantibus ſimilia dixeris, quæ nec adparent quidem, vbi tota lucet oratio, vt in ſole ſidera ipſa deſinunt cerni.* nec non de ſophiſta CRITIA idem auctor [4] dicit: τὴν δὲ ἰδέαν τȣ̃ λόγȣ δογματίας ὁ Κριτίας καὶ πολυγνώμων, σεμνολογῆσαι τε ἱκανώτατος, ȣ̓ τὴν διθυραμβώδη σεμνολογίαν, ȣ̓δὲ καταφέυγȣσαν ἐς τὰ ποιητικῆς ὀνόματα, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν κυριωτάτων συγκειμένην, καὶ κατὰ φύσιν ἔχȣσαν, *genere vero dicendi Critias creber ſententiis fuit & ſublimis, atque ad grauitatem maxime compoſitus, non gra-*

1 *Philoſtrat. de vitis ſophiſtar. lib. I. n. 25. §. 9.* 2 *de vitis ſophiſtar. lib. I n. 23. §. 2.* 3 *inſtitut. orat. lib. VIII. cap. 5.* 4 *de vitis ſophiſtar. lib. I. n. 16. §. 4.*

vita-

vitatem dithyrambicam tamen, neque ad poëtica verba declinantem, ſed vocabulis maxime propriis, quæ ſit concinnata & plane naturalis: [1] qui & paullo poſt tradit: ὥσπερ ἀκτίνων αὐγαὶ τὰ Ἀττικὰ ὀνόματα διαφαίνεται τοῦ λόγου, *ſicut radiorum fulgores Atticæ voces in oratione eius relucent*: adde exemplum POLEMONIS. [2] alii vero ſequebantur genus dicendi maxime tumidum atque inflatum, in quo nihil ſolidi, nihil amœni erat, ea tantum cauſſa, vt auditores obſtupefacti ſophiſtas magna dignitate exiſtimationeque proſequerentur. quam ob rem negligebant propriam & perſpicuam orationem, vtebantur durioribus translationibus, amabant poëtarum formulas, fingebant omniaque ſollicito ſtudio colligebant, quæ ſermonem maxime efficiunt turgidum. in his exempli loco exhibere poſſimus GORGIAM, cui PHILOSTRATVS [3] adtribuit παραδοξολογίαν, πνεῦμα, & τὸ τὰ μεγάλα μεγάλως ἑρμηνεύειν, etiam de eo obſeruat, quod poëtica adhibuerit verba.

§. XXXI. Id, quod in oratione ſublime eſt & magnificum, apud auctores græcos varias habet adpellationes. dicitur quippe πνεῦμα, vt patet ex PHILOSTRATO, [4] hinc etiam apud latinos *ſpiritus* idem eſt ac animi elatio, quæ vox & aliquando ſumitur in bonam partem pro magnitudine mentis; quid autem ſit πνεῦμα, id explanat HERMOGENES: [5] por-

1 *confer HERMOGENEM* περὶ ἰδεῶν *lib. I. c. 6 quem locum illuſtrat BOVHOVRS arte bene cogitandi dial. II. pag. 82.*
2 *Philoſtratus de vitis ſophiſt. lib I. n 25. §. 10.* 3 *de vitis ſoph. lib. I. n. 9. §. 7.* 4 *de vitis ſophiſt. lib. I. n. 9. §. I. lib. II. n. 1. §. 14. n. 15. §. 1.* 5 *de inuent. lib. IIII. cap. 4.*

ro adpellatur θυμὸς, quæ vox præcipue significat τὸ παθητικὸν, quod continet oratio, prout sæpius nominatus PHILOSTRATVS[1] de DEMOSTHENE tradit, quod ISOCRATEM superauerit θυμῷ καὶ ἐπιφορᾷ, quæ posterior vox interdum notat sententiam, qua concluditur apte orationis pars, quali significatione istam posuit HERMOGENES; heic autem videtur pertinere ad vehementiam orationis, breuibus forte sententiis animum vrgentis, vti GOTTFRIED OLEARIVS[2] obseruat. tertium vocatur μεγαλωφωνία, quod nomen non solum ad vocem, sed & ad dictionem atque ἔννοιαν pertinet;[3] sic & occurrunt voces κρότος, ἦχος siue ἠχὼ, quæ breuibus sunt illustrandæ. vtrumque nomen ejusdem significationis plerumque ad dictionem magnificam & sublimem verborum compositionem, etiam pronuntiationem refertur, quod LVDOVICVS CRESOLLIVS[4] ita interpretatur: *is κρότος existebat, tum ex lectis verbis & sonantibus & genere ipso τῆς συνθήκης, quæ propter exquisitam structuram, & membrorum atque periodorum plenam dignitatis coagmentationem dulcem quendam & magnificum habebat conventum, tum etiam ex linguæ pulsu, & ipsius vocis conformatione atque magnitudine: quæ si omnia mirabiliter in vnum & eundem oratorem conuenissent, facile poterant audientes in admirationem rapere*, qui plura hanc in rem collegit. interdum tamen vocum harum conjunctarum alte-

1 *de vitis sophistar lib. I. n 17. n. I.* 2 *ad Philostrat. p. 504.* 3 *Philostr. de vitis sophistar. lib. I. n. 26. §. 2.* 4 *theatr. rhetor. lib. III. c. 27.*

ra

ra ad compositionem; altera vero ad pronuntiationem refertur, vt PHILOSTRATVS[1] dicit de HERODE: κρότος σὺν ἀσφαλείᾳ καὶ Κριτιάζουσα ἠχώ, ubi quum paullo post huic sophistæ tribuatur πνεῦμα οὐ σφοδρόν, ἀλλὰ λεῖον, videtur κρότος pertinere ad compositionem; ἠχώ vero ad pronuntiationem. clarius autem alio loco [2] discrimen hoc admittit, quum de sophista ADRIANO scribat: τὴν δὲ παρασκευὴν τῆς λέξεως ἀπὸ τῶν ἀρχαίων σοφιστῶν περιεβάλλετο, ἤχῳ προσάγων μᾶλλον, ἢ κρότῳ, *dictionis autem ornatum ab antiquis sophistis acceptum induit, voce sonora magis, quam tinniente vsus*, ubi manifeste ἦχος spectat ad pronuntiationem, κρότος vero ad structuram. præter has adpellationes notum est nomen μέγεθος, quo vsus HERMOGENES, item ὕψος LONGINI, quæ voces num sint eiusdem significationis, vt plerique existimant; an inter se differant, quæ est sententia TANAQVILLI FABRI & elegantissimi viri BOILEAV DESPREAVX, disputatur, * vt de aliis nominibus, qualia sunt σεμνολογία, ἐπίκροτον, ὑψηχὲς taceamus.

* de inscriptione libri, quem debemus DIONYSIO LONGINO, disputatur. plerique istam verbis ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ concipiunt. at P. MANVTII, G. LANGBAENII aliæque editiones eam ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ ΛΟΓΟΥ exhibent. priores hoc specioso argumento sententiam suam muniunt, quod aliquis suspicari possit, fore, vt rhetor de non alia, quam sublimi forma orationis agat. sed vero si ratio hæc firma esse debeat, non videmus,

1 *de vitis sophistar. lib. II. n. 1, §. 14.* 2 *lib. II. n. 10, §. 7.*

cur

cur CICERO libros suos rhetoricorum inscripserit de *inuentione rhetorica*, vt patet ex QVINCTILIANO & PRISCIANO.

§. XXXII. Superioribus adfirmauimus, vim illam oratoriam, qua animi hominum commouentur vehementius, non solum pendere ab orationis inuentione atque elocutione, sed ipsius quoque oratoris actione. quæ quum complectatur partim gestum motumque corporis, partim pronuntiationem, nos autem de priori supra iam disputauerimus; restat, vt de posteriori dispiciamus breuiter. nam QVINCTILIANVS[1] hæc habet: *pronuntiatio a plerisque actio dicitur, sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere. namque actionem Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quandam corporis dicit. idem tamen duas eius partes facit, quæ sunt eædem pronuntiationis, vocem atque motum, quapropter vtraq; adpellatione indifferenter vti licet.* decet bonum oratorem, omnia clare, accurate & iucunde efferre, quæ tres virtutes in pronuntiatione maxime sunt necessariæ. quarum prima intelligitur oratio; secunda linguæ moderatio pro diuersitate rerum instituitur, ac sermonis comparatur dignitas; tertia autem animus audientis adficitur delectatione. tria quoque sophistæ consectati sunt in pronunciatione studiosissime: linguæ *ῥυθμὸν*, *ἠχὼ τοῦ φθέγματος*, vt omnia voce, qua possent, & maxima & suauissima dicerent; & *ᾠδὴν*, id est cantum, de quo momento copiose disseruit LVDOVICVS CRESOLLIVS.[2] alii ex illis obserua-

[1] *instit. orator. lib. XI. c. 3.* [2] *vacationib. autumnal.*

bant dignitatem omniaque temperabant cum iudicio; at alii committebant multa ieiuna, atque vt existimationi suæ consulerent, adfectabant magnificam & diuinitatis plenam pronuntiationem. neque pro rerum atque adfectuum; neque partium sermonis ratione varium sequebantur pronuntiandi modum; sed ut animo erant elati, ita ore quoque ac voce maiestatem vbique præ se ferebant, atque omnia verba singulari quadam grauitate emittebant.

§. XXXIII. Huiusmodi orationes & sententiis & verbis magnificæ magnum sæpe pondus in hominum animis habuerunt. illi qui veram atque integram eloquentiam studiis suis complectebantur, sapientiæ quoque cultores virosque magnæ auctoritatis ac dignitatis capere atque animos illorum concutere poterant. sic CICERO Ligarium, quem Tubero filius confecto bello ciuili, adcusauerat, quod contra voluntatem senatus Africam retinuisset, defendit, etiam eo rem deduxit, ut teste PLVTARCHO, [1] Cæsar orationis vi expugnatus Ligarium, olim hostem iudicatum absolveret. sic grauis fuit dicendi facultas apud PERICLEM, qui quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ, in eorum mentibus, qui audierant, quasi aculeos quosdam reliquit, auctore CICERONE. [2] nec solum tanta vi dixerunt, ac per actionem orationes suas effecerunt grauiores; sed & sermonibus scriptis, si quidam illos legerint, tale insitum fuit pondus, cuius rei exemplum

1 *vit. Ciceron. t. I. p. 880.* 2 *de oratore lib. III. cap. 34. adde* PLATONEM *in Phædro p. 354.*

habe-

habemus in DEMOSTHENE. DIONYSIVS enim *Halicarnasseus* [1] θυμὸν ipsius describit, & postquam dixisset, se ISOCRATEM legentem πολὺ ἔχειν τὸ εὐσταθὲς τῆς γνώμης, subiungit: ὅταν δὲ Δημοσθένους τινὰ λάβω λόγον, ἐνθουσιῶ τε καὶ δεῦρο κἀκεῖσε ἄγομαι, πάθος ἕτερον, ἐξ ἑτέρου μεταλαμβάνων, ἀπιστῶν, ἀγωνιῶν, δεδιώς, cetera. alii autem sophistæ, qui disciplinam oratoriam turpiter depravabant, apud multitudinem ac plebem magna vi dixerunt, quoniam sese accommodarunt ad populi errores ac prauos adfectus.

§. XXXIIII. Copiose igitur disputauimus de summis studiis veterum sophistarum, quibus vim oratoriam consectati, atque ope illius animos audientium expugnare elaborauerint. quæ omnia eo nomine collegimus, vt caussæ atque occasiones paterent, quibus deducti fuerint in opinionem de instinctu diuino sophistarum. namque quum per admirationem & animorum commotionem vehementem adquirerent sibi auctoritatem, per eloquentiam autem delectationi consecratam multorum favorem conciliarent; facile ipsorum fallaciæ & fraudes, quibus cælestes adflatus simularunt, prosperos habere poterant successus. inprimis vero, quum dicerent ad populum, per quem anilis fere fusa erat superstitio & in quo proiecta adfectuum libido dominabatur, cui indoli inseruire, & per calliditatem vbique rebus suis consulere annitebantur sophistæ. quæ indoles erat præcipue Atheniensium, vt ex ipsis diuinis scripturis [2] cognoscimus. PAVL-

1 *de admir. vi dicendi in Demosth. §. 22.* 2 *Actor. XVII. v. 16. sqq.*

LI enim, quum Athenis esset, *πνεῦμα παρωξύνετο ἐν αὐτῷ, θεωροῦντι κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν*, quæ verba significant, quod apostolus hic cognouerit, vrbem hanc ΚΑΤΕΙΔΩΛΟΝ. quam vocem dici ea forma adfirmat CASAVBONVS, qua a græcis *κατάδενδρα* dicuntur loci, vbi multæ sunt arbores, *κατάδρυμοι* loci siluosi, vt proinde ΚΑΤΕΙΔΩΛΟΣ *πόλις* vrbs sit, in qua magna statuarum copia, quibus dii deæue atque heroës repræsentantur. sic magna vi vrbs hæc a PAVLLO adpellatur ΚΑΤΕΙΔΩΛΟΣ *idolis* quasi *consita & referta*, quorum omnino singularis ibi erat multitudo, vt vetusta monimenta satis testantur, vide ex antiquis PAVSANIAM [1] ex recentioribus IO. MEVRSIVM [2]. & eruditos loci huius interpretes ERASMVM, BEZAM, PRICAEVM, HAMMONDVM, GROTIVM, & alios. ad hæc de Atheniensibus divinus auctor LVCAS [3] dicit: *εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον*, vbi sive vocem *καινὸν* explanes per *nouum*, siue per *παράδοξον*, quæ significatio etiam firma est, * vtrumque consentaneum est indoli huius populi. sed vero Athenis magna erat vbertas, magna copia sophistarum & oratorum, qui ibi vires eloquentiæ suæ explicare contendebant, vt adeo haud sit mirum, quod Atheniensibus & superstitioni deditis, & novarum rerum studiosissimis adflatus diuinos persvaserint.

* sic v. 19. doctrina PAVLLI dicitur *διδαχὴ καινὴ*, id est continens *παράδοξον τι*, prout quoque *καινὸν εὕρημα*, *mirabile inuentum* est apud XENOPHONTEM.

1 *Attic.* 2 *Athenis Atticis.* 3 *loc. cit. v. 21.*

HISTO-

453

HISTORIA
LOGICAE.

PROLEGOMENA *DE* HISTORIA ARTIS LOGICAE GENERATIM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De voce logicæ §. I. *de indole & natura logicæ* §. II. *quomodo ipſius hiſtoria ſit conſcribenda, oſtenditur* §. III. *de dignitate atque vtilitate huiusmodi hiſtoriæ* §. IIII. *auctores, qui huius artis fata illuſtrarunt, commemorantur* §. V. *opera huc ſpectantia promiſſa; minus autem edita recenſentur* §. VI. *ſumma operis noſtri indicatur* §. VII.

§. I.

NObis eſt propoſitum, hiſtoriam diſciplinæ philoſophicæ, quæ *logica* adpellatur, tradere, eiusdemque fata ex monimentis probis commemorare; quam operam quum præſtare inſtituamus, non ab re eſſe ducimus, de indole ipſius doctrinæ breuiter quædam diſputare. nec vlli, qui vel leuiore græcæ linguæ valet cognitione, obſcurum eſſe poteſt, quod vox *logica* originem ſuam trahat a nomine λόγος, quod quum non ſolum ſignificet rationem; ſed & ſermonem, vti obſeruant ERASMVS SCHMIDIVS [1] & BALTHASAR STOLBERGIVS; [2] diſputarunt philoſophi, præſertim illi, qui dicuntur ſcholaſtici, quænam ſignificatio in hac adpellatione valeat? alii exiſtimarunt, dici hanc diſciplinam *logicam* propter rationem &

1 *obſeru. ad euangel. Ioann. cap. I.* 2 *diſſert. de λόγῳ & τῷ platonico in libro de ſolæciſmis N. T. p. 196.*

intel-

intellectum humanum, quem emendare & a vitiis purgare, proprium munus logicæ esset, alii vero vocem hanc respicere putant sermonem, siquidem cogitationes, quas producit intellectus, sibi veluti sermones internos repræsentant, quam opinionum discrepantiam non magni esse momenti censemus. etenim vtraque sententia eo spectat, quod logica versetur in rebus, quæ pertineant ad intellectum humanum, quamuis ipsius cogitationes proprie haud sint sermones interni. nonnulli ex antiqua ætate nomen hoc ea sententia usurparunt, vt etiam theologiam, seu doctrinam de rebus diuinis significauerit, quod fecit PLATO; item grammaticam & rhetoricam, quæ amplior notio plane est singularis: confer GERH. IO. VOSSIVM [1] & CHRISTIANVM THOMASIVM [2].

§. II. Intelligimus autem per logicam illam philosophiæ doctrinam, quæ de veritatis indole agit, ac media demonstrat, quibus homo aptum se reddere potest ad cognitionem veri est falsi. qua definitione satis clare iudicamus, nobis haud esse in animo, de facultate naturali, quæ hominibus inest, cogitandi, veritatem percipiendi, etiam ex positis ante principiis deducendi consequentias disputare; quin etiam profitemur, logicam illam naturalem, quam nonnulli produnt, haud vere dici posse *logicam*. namque nomen hoc respicit quamdam disciplinam ad formam regulamque artis compositam, adeo ut officii nostri esse ducamus, ex historiarum monimen-

1 *de natura & constitut. logic. cap.* 1. 2 *philosophia aulica cap. IV. §. 18. sqq.*

tis philosophorum studia enarrare, quibus viam ad artem bene cogitandi ac sensum veri excitandi aliis demonstrare elaborauerint, primum quidem rudiori quadam opera; posthac autem, quum litteræ philosophicæ magna caperent incrementa, pleniore elegantiorique. at vero si de dignitate disciplinarum merito velimus sentire, omnino ipsam ex illarum argumentis petere debemus, quæ quo excellentiora sunt, eo maius quoque pretium doctrinis ponendum esse censemus, quod quum ita est, non possumus, quin logicæ summam habeamus dignitatem atque existimationem. nec mirum est, quod CICERO [1] logicam egregie laudauerit ac pronunciauerit, iuris ciuilis magnum vsum apud multos fuisse, artem in vno Servio Sulpicio: *quod numquam*, ait, *effecisset solius iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem vniuersam distribuere in partes; latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa iudicarentur & quæ quibus positis essent quæque non essent consequentia.* etenim tanta dignitas atque excellentia veritatis est, vt ex illius sensu magna vis ad bonos rectosque mores efformandos adeoque ad felicitatem hominum stabiliendam oriatur, quæ quum ope logices promoueatur, nemo sane de præstantia doctrinæ huius dubitauerit. quin etiam si modo literarum studia, quæ iure ac merito semper media ad salutem mortalium adferre debent, respiciamus, siue rebus diuinis, siue

[1] *Bruto.*

legi-

legibus cognoſcendis, ſiue arte medendi abſoluantur, iſta nunquam ope logices carere poſſunt, niſi quis per memoriam tantum ſine iudicio eruditionem ſibi comparare inſtituat.

§. III. Quod ſi autem hiſtoriam logicæ tradere, induximus animum, pro hiſtoriarum indole neceſſe habemus, illius originem progreſſum, fata, ſiue fuerint proſpera, ſiue aduerſa, commemorare, ita vt non ſolum auctorum atque philoſophorum, qui in hoc ſcientiarum genere extiterunt celebres; ſed etiam ipſius diſciplinæ eiusque doctrinarum rationem habeamus. namque ab eorum moribus atque inſtitutis abhorremus plane, qui quum hiſtorias diſciplinarum deſcribere inſtituant, operi ſuo ſatisfeciſſe videntur, quando pro temporum ratione ſcriptores eorumque monimenta copioſe enarrant; ipſa autem illorum ſtudia, quibus diſciplinas modo ornarunt; modo corruperunt, relinquunt intacta. nec cuiusvis ingenii indoles fert, accurate ac pro rei dignitate res geſtas literarum explanare. ſcilicet tantum abeſt, vt nuda auctorum ac librorum cognitio ope memoriæ adquiſita ſufficiat, vt neceſſe ſit, doctrinam ipſam ac diſciplinam, cuius fata explicanda quis habeat ſibi propoſita, exploratam tenere ac cognitam. multo minus illorum, qui hiſtorias ſcientiarum litteris conſignant, rationem probare poſſumus, quum originem litterarum, etiam doctrinarum cuiusue generis repetunt a longiſſimo tempore, quin immo a prima mortalium ætate, ita vt de cognitione logicæ, quam paren-

tes noſtri primi habuiſſent, quoque ediſſerant. illo enim æuo litterarum ſtudia ea facie eaque forma, quam poſthac præ ſe tulerunt, etiam adhuc præ ſe habent, quum ad regulas artis ſint accommodata, minus floruerunt; quamuis haud negauerim, naturam mortalibus illa tempeſtate indidiſſe non mediocrem vim, varias res cognoſcendi. nec cauſſas percipere poſſum, cur diſciplinis litterariis tam nimiam vindicent antiquitatem, præſertim quum ſubinde haud maius pretium, aut dignitas quædam excellentior illarum poſſit oriri.

§. IIII. Magnum pretium hiſtoriæ philoſophicæ quisque ſapientiæ ingenuus cultor ponit, quippe quæ non ſolum in ipſis diſciplinis, quas complectitur philoſophia; ſed & aliis ſuperioribus clariſſimum lumen nobis adferre poteſt, ita vt eius ope fata ſapientiæ ac ſtultitiæ humanæ; fundamenta opinionum philoſophorum; genuinam ſententiarum ætatem, hæreſium cauſſas aliaque poſſimus intueri, qua de re legas EPHRAIM GERHARDVM [1] &C. A. HEVMANNVM [2]. quodſi ita eſt, ſicuti eſt, nemo operam noſtram, quam in conſcribenda hiſtoria logices collocabimus, pronunciabit inutilem, præſertim quum ab aliis, qui in hoc negotio iam verſati ſunt, multa nec leuiora momenta nobis fuerint relicta, quæ diſtinctius ac diligentius ex plananda atque illuſtranda eſſe cenſemus. Princeps enim nobis propoſitum eſt, non modo genuinam logicæ originem demonſtrare, eiusdemque occaſionem ex probis monimentis oſtendere; ſed & per varias ætates progreſſum illius ac

1 *introd. in hiſtor. philoſoph.* 2 *act. philoſ. part. I. pag. 1.*

fata

fata ita proponere, vt tradamus partim quid philosophi hac in re docuerint; partim quo studio ipsi artem cogitandi veramque libertatem exercuerint. qua ratione necesse est, animum semper ad duplicem modum philosophiam tractandi, *sectarium* atque *eclecticum*, vti dicitur, aduertere: quo cognito, facile caussas possumus obseruare, cur logica modo feliciori, modo aduersa sorte fuerit vsa. quod si enim philosophum quendam prauus adfectus & singulare studium auctoritatis occupauit, quid mirum, quod haud prosperiori successu logicam conscribendam adgredi queat? sic quamuis iam alii de hac historia exposuerint; restant tamen multa a nobis dicenda, vt ex ipso opere patebit.

§. V. Verum enim vero haud inconsultum erit, scriptores illos, quibus in hoc historiarum genere aliquid debemus, commemorare, & in certas classes distribuere.

Auctores, qui de fatis & scriptoribus logices disseruerunt.

1) *generatim.*

PETRUS RAMUS, qui edidit *scholas in liberales artes*, Basil. MDLXXVIII. fol. quibus continentur scholæ *grammaticæ* lib. XX. *rhetoricæ* lib. XX. *dialecticæ* lib. XX. *physicæ* lib. VIII. *methaphysicæ* lib. XIIII. *mathematicæ* lib. XXI. primus autem liber scholarum dialecticarum agit de logicæ auctoribus, & complectitur octo capita, quorum primo de logica *primorum parentum*; secundo de logica *mathematicorum*, in primis *Pythagoreorum*; tertio de logica *physicorum*, siue philosophorum scholæ Ioni-

cæ usque ad tempora Socratis, qui inprimis rebus naturæ cognoscendis operam dederunt; quarto de logica *Socratis Pyrrhonis & Epicureorum*; quinto de logica *Antistheniorum & Stoicorum*; sexto de logica *academicorum*; septimo de logica *Peripateticorum*; octavo de logica *Aristotelicorum interpretum & præcipue Galeni* disputatur.

BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS, qui edidit *systema systematum*, cuius tomo primo etiam continentur *præcognitorum logicorum tractatus tres*, quorum secundus exhibet *historiam logicam*, ita vt differatur capite secundo de fatis logicæ *a principio mundi usque ad annum seruatoris nostri* MD. tertio ab hoc tempore usque ad *ætatem Petri Rami*; quarto de *Rami & Rameæ disciplinæ proprietatibus*; quinto de *logicis a tempore Rami usque ad ætatem auctoris*.

IO. a WOWER, Hamburgensis, protulit in lucem opus de *polymathia*, quod prodiit MDCIV. 4. & cura IACOBI THOMASII Lipsiæ MDCLXV. 8. item tomo x. thesauri antiquitatum græcarum IACOBI GRONOVII. prout WOWER opere hoc in primis de studiis litterarum veterum erudite disputat; ita quoque capite xx. p. 184. de *dialectica* quædam profert, atque illustrat præcipue voces διαλεκτικὴ & λογικὴ, breuius quidem, quam argumenti dignitas & copia postulant.

GERHARDVS IO. VOSSIVS, cui debemus libros II. *de logices & rhetoricæ natura & constitutione*, Hag. Comit. MDCLVIII. 4. qui etiam inter opera VOSSII extant. liber

de

de logices natura & conſtitutione complectitur capita XIII. quibus haud integram quidem logicæ hiſtoriam tradit; multa tamen adfert, quæ illam poſſunt illuſtrare, quum capite primo differat *de variis logicæ artis nominibus*; ſecundo *de genere logicæ*; octavo *de logices inuentore & per varios incremento*; nono *de logices diviſione*; decimo uſque ad vltimam *de ſcriptis logicis Ariſtotelis*.

PETRVS GASSENDVS, cuius opera omnia in ſex tomos diuiſa prodierunt Lugduni MDCLVIII. fol. quorum tomus primus continet *ſyntagma philoſophicum*, cuius pars prima eſt *logica*, & complectitur præter *inſtitutionem logicam* duos libros, quarum alter agit *de logicæ origine & varietate*, ac quidem capite primo *de origine & inuentione logicæ*; ſecundo de logica *Zenonis ſeu Eleatica*; tertio de logica *Euclidis* ſeu *Megarica*; quarto de logica *Platonis*; quinto de logica *Ariſtotelis*; ſexto de logica *Stoicorum*; ſeptimo de logica *Epicuri*; octauo de logica *Lullii*; nono de logica *Rami*; decimo de logica *Verulamii*; vndecimo de logica *Carteſii*.

RENATVS RAPINVS, qui ſcripſit *reflexions ſur la logique*, quibus multa collegit, quæ fata logicæ cognoſcenda illuſtrare poſſunt.

CHRISTIANVS THOMASIVS, qui *introductionem ad philoſophiam aulicam* MDCLXXVIII. protulit, cuius editio ſecunda MDCCII. lucem aſpexit: & in primis capite quarto p. 86. *de prudentia cogitandi & ratiocinandi* varia momenta ex hiſtoria philoſophica attigit,

tigit, quæ artem logicæ eiusque fata possunt illuminare, quod & fecit *cautel. circa præcognit. iurispr.* cap. x. p. 191.

GEORGIVS PASCHIVS, quem heic ideo commemoramus, quoniam de *inuentis nouantiquis* cap. II. differit de logica Aristotelis, Cartesii, de arte Lulliana, de variis disputandi modis.

IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, qui edidit *critisirenden Geschichts-Calender von der logica, darinn das Steigen und Fallen dieser hoch-vortrefflichen disciplin von Anfang der Welt biss auf das Iahr Christi* 1600. *entworffen*, Francof. ad Mœn. MDCXCVIIII.8. qui auctor existimat, quod prima disputatio theologica habita sit in paradiso inter Euam & Diabolum. titulum libri huius IO. MOLLERVS præf. ad MORHOFII polyhistoris continuationem §. X. adpellat *ridiculum* atque *absonum*: hancque adpellationem, quod operis huius inscriptioni omnino conueniat, iterum tuetur epistola quadam aduersus REIMMANNVM, quæ legitur part VII. p. 690. diarii litterarii teutonici: *ausführlicher Bericht von allerhand neuen Büchern*; contra quas adcusationes sese defendere instituit præfatione *introductionis in historiam litterariam germanorum* part. III. sect. 2. cuius libri sectione I. part. III. p. 446. etiam merita germanorum in artem logicæ speciatim commemorantur.

CHRISTIANVS IVNCKERVS, qui Altenburgi MDCCXIV. edidit *lineas primas eruditionis vniuersæ*, quarum pars posterior, quæ lineas *heraldicæ, rei nummariæ* & *antiqui-*

tiquitatum exhibet, post fata auctoris vsui publico tradita est. quum huiusmodi rationem scribendi sibi elegisset, vt scientiarum traderet historias breuiter, paucis etiam parte secunda p. 2. de fatis logicæ disseruit.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, qui editioni *artis cogitandi* Hal. MDCCIIII. 8. præfationem præmisit, & ista disseruit *de fatis studii logici, eiusque vera indole, adminiculis & defectibus.*

IO. IACOBVS SYRBIVS, cuius *institutiones philosophiæ rationalis eclecticæ* Ienæ MDCCXVII. 8. in publicam emissæ sunt lucem, præfatione ornatæ, quæ fata quoque artis huius a prima ipsius origine vsque ad hæc tempora breuiter commemorat.

GOTTLIEB STOLLE, qui vt consuleret incrementis historiæ litterariæ, anno MDCCXVIII. edidit lingua teutonica: *Kurze Anleitung zur histoire der Gelahrheit*, cuius libri parte secunda eiusque capite secundo p. 115. deprehendimus historiam logicæ & metaphysicæ, quæ inprimis ipsius fata tempore recentiori nobis explanat diligenter.

ANDREAS RVDIGER, qui editioni tertiæ MDCCXVII. *institutionum eruditionis* præmisit præfationem, qua §. 9. sqq. breuissime de fatis harum litterarum differit. nec silentio dimittere possumus

GEORGIVM WEGNERVM, qui edidit, disquisit. historico-philosophicam *de origine logices* MDCLXVII. 12. de qua eiusque auctore differit VINCENTIVS PLACCIVS de scriptoribus anonymis p. 321. 1295.

PETRVM

PETRVM AVRIVILLIVM, *Geualiensem*, professorem logices & metaphysices, posthac graecae linguae & theologiae in academia Vpsaliensi, qui edidit orationem de *origine, antiquitate & priscis logicae cultoribus*, cuius mentionem facit IO. SCHEFFERVS Suecia litterata p. 230. scriptores autem logicarum tantum recensent.

DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS in polyhistore philos. tom. II. lib. 5.

BVRCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS bibliotheca philosophica capite IV. cui adiungas IO. HENRICI ACKERI, supplementa p. 40. seqq. qui STRVVIVS etiam scriptores logicarum iuris commemorat bibliothec. iuridic. cap. VIIII. §. 2 p. 283. vt in praesenti de BOLDVANI, DRAVDII, LIPENII bibliothecis philosophicis, item SPACHII nomenclatore philosophico taceamus, quos auctores quisque consulere potest, si modo haud facile vbique ipsis adhibeat fidem.

2) *speciatim*

(a) *ratione variarum gentium & sectarum.*

CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS, qui Helmstadii MDCCX. edidit *initia polyhistoris logici*, quibus disputat capite primo de logica *diuina*; secundo de logica *angelica* & tertio de logica *heroica* siue *mythica*; anno MDCCXIII. autem ipsius studio prodiit *incrementum polyhistoris logici*, quo adparet caput quartum de logica *patriarcharum*.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, in cuius *introductione ad historiam philosophiae Ebraeorum*,

rum, quæ auctior multis accessionibus iterum Halæ Saxonum MDCCXX. 8. prodiit, multa deprehendimus, quæ studium logices apud Hebræos possunt illustrare.

IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, qui *historia litteraria ante diluuiana* p. 49. quædam obseruat de logica primorum parentum nostrorum, de qua paullo post disseramus copiosius.

IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, cuius auspiciis Altorfii edita est dissertatio de *philosophia Adami putatitia* MDCCXV. & alia de *Adami logica, metaphysica, mathesi, philosophia practica & libris* MDCCXVII.

IO. IVLIVS STRVVIVS, cui debemus *rudimenta logicæ Ebræorum ex Iudæorum scriptis eruta exemplis copiose illustrata*, Ienæ MDCXCVII. 4. quæ tribus dissertationibus in nostra academia publico eruditorum examini exposuerat. tradit auctor atque illustrat logicam Ebræorum eam, quam nonnulli dicunt *Talmudicam*, quoniam contineat præcepta per libros Talmudicos diffusa, quibus sacri codicis sententia recte inuestigari, & inde ex mente Rabbinorum veræ consequentiæ, quibus ipsorum Talmud nititur, deduci possent. procemio huius operis disseritur de logicæ Ebræorum origine, variis nominibus, ac scriptoribus; capite autem primo de *ipsis interpretandi & argumentandi regulis Ebræorum*; capite secundo traditur *logicæ Hebræorum methodica tractatio*; & caput tertium exhibet *quædam paralipomena*.

IO. CONRADINVS SCHRAMMIVS, qui ſcripſit *introductionem in dialecticam Cabbaleorum methodo Peripateticorum potiſſimum conformatam*, Brunſuigæ MDCCIII. 8. caput primum demonſtrat *veritatem etiam ab Hebræis & in ſpecie ex ipſorum Cabbala petendam eſſe*; capite ſecundo differit auctor de *diſcrimine exotericorum & acroamaticorum apud Cabbaleos*; capite tertio de *ſephirarum ſcopo & ordine*; capite quarto de *propoſitionibus cabbaliſticis harumque compoſitione & examine*; capite quinto de *ſyllogiſmorum cabbaliſticorum principiis, veritate ac natura*; capite ſexto de *vitiis & fraudibus, quæ ineſſe ſolent argumentis cabbaliſtarum.* quamuis STRVVIVS & SCHRAMMIVS potius logicas Ebræorum atque auctorum Cabbalæ ſcripſerint, quam ipſarum fata expoſuerint; ex ipſorum tamen monimentis multa peti poſſunt, quæ hiſtoriæ harum litterarum non mediocrem adferunt lucem. nec defuerunt, qui ſcriptores logicarum ex gente Ebræorum collegerunt eosque enarrarunt, id quod præſtiterunt auctores bibliothecarum Ebræorum, quos diligenter IO. CHRISTOPH. WOLFIVS præfatione bibliothecæ Ebrææ recenſet.

THOMAS STANLEIVS, qui hiſtoriam philoſophiæ, cuius elegantem interpretationem latinam GOTTFRIED OLEARIO debemus, edidit eaque ex antiquis monimentis multa collegit, quæ ad hiſtoriam logicæ apud veteres græciæ philoſophos pertinent. etenim exhibet p. 326. *doctrinæ Platonis lineamenta autore* ALCINOO, qui capite

pite IV. V. VI. dialecticam Platonis exponit; p. 443. sqq. differit de logica *Aristotelis*; p. 554. de dialectica *Stoicorum* p. 1952. de canonica *Epicuri*.

ADAMVS BVRSIVS, cuius opus extat, quod inscribitur: *Ciceronis dialectica*, quam ex Stoicorum maxime sententia in scriptis dispersae reliquit, Samoscii MDCIIII. 4. quod opus dicit I. ALB. FABRICIVS biblioth. latin. lib. I. c. 8. p. 148. *praeclarum ac raro certe obuium*, eiusque mentionem faciunt IVSTVS LIPSIVS centur. V. epist. 57. miscell. SCHILTERVS manuduct. philos. moral. ad iurisprud. cap. I. §. 9. & GERH. IO. VOSSIVS de logices natura & constitutione cap. VIII. §. 29. p. 40. de eo ita iudicat: *icirco bonam operam nauauit* Adamus Bursius *Samosciensis academiae professor opere eo, quod dialecticam Ciceronis inscripsit. nam tres in eo personas inducit, Stoicum, Peripateticum, academicum; proque tribus istis trium sectarum logicam exposuit. interque caetera hoc commodi praestat, quod melius ex eo Cicero, & alii intelligantur.*

IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui Lipsiae MDCXCII. edidit disputationem de *cauillationibus Stoicorum*; anno MDCXCIX. Hamburgi *specimen historiae logicae elenchticum*; etiam *bibliotheca graeca*, qua de antiquis philosophis atque illorum scriptis copiose & solide differit, haud coteminendam fecit facultatem, historiam logicae accuratius scribendi atque ornandi. idem argumentum de *cauillationibus Stoicorum*, libro quodam se ex-

posuisse, testatur VOSSIVS de sectis philosophorum cap. XI. §. 6. p. 66.

IO. ANDREAS SCHMIDIVS, cuius disputatio de *Chrysippea brutorum logica* Ienæ MDCLXXXIX. prodiit.

IO. PETR. LVDOVICVS, Hal. Saxon. MDCXCIX. disputatione quadam inaugurali exposuit *historiam rationalis philosophiæ apud Turcas.* de cetero inprimis adhuc sunt tres, qui nostra ætate de Turcarum philosophia quædam tradiderunt: BAPTISTA DONATVS *della letteratura de Turchi* Venet. MDCLXXXVIII. 12. SAMVEL SCHELWIGIVS oratione *de philosophia Turcarum* Gedan. MDCLXXXVI. ABRAHAM HINCKELMANNVS præfatione ad *Alcoranum* MDCXCIV. a se editum, qua ostendit, omnia philosophiæ studia florere in Arabia; artem logicæ autem silentio dimittit.

(b) *ratione variarum ad logicam spectantium doctrinarum.*

IACOBVS BRVCKERVS, auctor dissertationis, quæ inscribitur: *tentamen introductionis in historiam doctrinæ logicæ de ideis,* Ienæ MDCCXVIII.

IO. FRIDEMANNVS SCHNEIDERVS, qui Halæ protulit in lucem *dissertationem de variis argumentandi methodis veterum & recentiorum*, qua disputat de methodis argumentandi generatim; de oratione continua; de dialogis; de inductione; de sorite; de methodo hypothetica; de variis veterum sophismatibus nostra ætate incognitis; de argumentatione actiua Diogenis Cynici; de argumentatione ab inuidia; de methodo Ra-

Ramiſtica; de methodo mathematica; de methodo ſyllogiſtica.

10. ANDREAS SCHMIDIVS, qui conſcripſit *breuem disquiſitionem de diuerſis diſputandi proceſſibus*; inprimis apud Iudæos & græcos, ac ſpeciatim de modo per dialogos Megarico, per ſyllogismos Cynico, mathematico. opere hoc auctor *logicam Ebræorum* & *logicam nou-antiquam* promittere videtur.

10. CASPAR GVNTHER, cuius diſſertationem de *modo diſputandi Megarico* Ien. MDCCVII. habemus.

(c) *ratione diuerſorum logicam tractandi modorum.*

IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, qui anno MDCCXII. Ienæ edidit diſſertationem de *variis modis logicam tradendi*, *ſpeciatim de logica ſymbolica*, vbi capite primo §.4. obſeruat, logicam tradi poſſe vel ornate; vel nude ſine ornamento quodam; ornatum autem peti vel ex loco ſimilium; vel ex loco exemplorum; vel teſtimoniorum; ad logicam ex loco ſimilium transferri *ſymbola*, *emblemata*, *hieroglyphica*. anno eodem Lipſiæ aliam ſcripſit de *logica hieroglyphica*; & anno MDCCXV. Altdorfii programma de logicis *paradigmaticis theologicis*, *iuridicis aliisque*.

§. VI. Auctores hosce commemorare, e re noſtra omnino fuit, vt pateat, qua cura quoue ſtudio culta atque ornata fuerit hiſtoria logices, quamuis hanc recenſionem ita elaboratam eſſe, vt nulla fieri poſſet acceſſio, adfirmare nolim. ſufficiat enim, principes huius-

Gg 3 modi

modi ſcriptores annotaſſe, eosque inprimis, quos adhuc ipſi ad vſus noſtros contulimus, ex quo animum ad artis logicæ fata exponenda convertendi. cepimus conſilium. fuerunt quoque, qui idem propoſitum mente ſua conceperunt, vt argumentum hoc explanandum ſibi ſumerent; ſed modo per neceſſitatem mortis; modo per alias occupationes promisſis ipſique voluntati ſuæ ac deſideriis aliorum haud ſatisfecerunt. quo ſpectant

VINCENTIVS PLACCIVS, qui in catalogo librorum edendorum præter *bibliographiam logicam* etiam promiſit orbi erudito *hiſtoriam logicæ*.

IO. PETR. LVDOVICVS, qui extremo disſertationis *de philoſophia rationali apud Turcas* ſupra commemoratæ *polyhiſtorem logicum* ſe meditari, ſignificat, eiusque nouem libros conſtituit, ita vt liber primus diſſerat *de inuentione artis ratiocinandi vniuerſim*; ſecundus *de inuentione dialecticæ græcorum*; tertius *de ſectis logicorum apud græcos*; quartus *de logica Ariſtotelis*; quintus *de logicæ emendatoribus aut inuentoribus nouarum*; ſextus *de logicis practicis*; ſeptimus *de logicis aliarum gentium*; octauus *de bibliotheca logica*; nonus *de iudicibus logicarum*.

SEVERINVS LINTRVPIVS, qui in *reliquiis incendii Bergenſis* p. 47. pollicitus eſt *hiſtoriæ logicæ breuiarium* & *ſchediaſma hiſtoricum de fatis metaphyſicæ*.

IACOBVS FRIDERICVS REIMANNVS, qui *introductione ad hiſtoriam litterar. gener.* p. 59. teſtatur, ſe conſcripſiſſe opus latinum

tinum *de artis ratiocinandi primis auctoribus.*

§. VII. Quod ad nostram operam adtinet, quam historiæ artis huius describendæ consecrabimus, per ordinis rationem exercitationem hanc distribuamus in tres libros:

LIBRI I. de origine artis logicæ.
Caput 1. *de falsa ipsius origine.*
2. *de vera eius origine.*

LIBRI II. de progressu ac fatis logicæ.
Capitis 1. *de progressu ac fatis artis logicæ generatim per varios auctores.*
Sect. (1) tempore vetustiori.
Sect. (2) tempore medio.
Sect. (3) tempore recentiori.
Caput 2. *de origine, progressu & fatis doctrinarum logicæ speciatim.*
Caput 3. *de variis modis logicam tradendi speciatim.*

LIBRI III. de varia existimationis logicæ fortuna.
Caput 1. *de fortuna prosperiori.*
2. *de fortuna aduersa.*

qua ratione, quam nobis præscripsimus, quæuis momenta eaque præstantissima, quæ obseruatione digna sunt, attingere elaborabimus, ita vt non solum respiciamus auctores ac doctrinas logicæ; sed & vsum illius ac deprauationem, quæ fuit multiplex. atqui hæc omnia nunc distincte ac breuiter explanabimus.

LIBRI I. DE ORIGINE ARTIS LOGICAE.

CAPVT I. DE FALSA ILLIVS ORIGINE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Num origo logicæ sit diuina §. I. II. *sententia de logica angelica & mythica reiicitur* §. III IIII. *de logica Adami* §. V. *Caini, Abelis* §. VI. *Noachi, Abrahami, Iobi* §. VII. *de logica Mosis, Salomonis, item vrim & thummim* §. VIII. *hæc omnia confutantur atque caussæ huius falsæ opinionis ostenduntur, quarum exponitur altera* §. VIII. *altera vero* §. IX. X. XI. XII. *qualis cognitio veritatum hisce hominibus sit adscribenda* §. XIII. XIIII.

§. I. ANtequam veram logicæ originem demonstramus, non ab re erit, in illorum sententiam inquirere, qui istam partim a Deo, partim ab hominibus primæ ætatis petunt, ac quod robur illi insit, explanare perspicue. quod ad opinionem adtinet priorem, deum esse autorem logicæ, illi sese addixit CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS, [1] qui de logica *diuina*, *angelica* & *heroica* siue *mythica* disputauit, ea sententia, quod origo logicæ Deo sit vindicanda, prout nonnulli quoque in summo numine eiusdemque mente sanctissima legum ac iuris originem quæsiuerint atque inuenerint. quapropter E-

1 *initiis polyhistoris logici.*

bræi

bræi modo *ſapientiam* חכמה Deo adtribuant; ſed philoſophi quoque græci ipſum dicant *mentem*, id quod THALES, PYTHAGORAS, ANAXAGORAS, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES fecerint, item λόγον *rationem*, prout Stoici ſummum Deum aperte ita vocauerint; nec non *veritatem*, qua appellatione vſi ſint PYTHAGORAS, SOCRATES, PLATO. quam excellentiam quum in Deo cognouerint, non mirum ſit, quod PLATO philoſophiam dixerit *donum* & CICERO inuentum Dei, etiam BARTHOLOMAEVS VIOTTVS exiſtimauerit, omnis demonſtrationis prima initia nobis Dei beneficio ineſſe, & MALEBRANCHIVS declarauerit, non eſſe aliam viam ad veritatem inueniendam, quam ſi homo Deo penitus addictus ideas rerum, veri omnis origines in ipſo Deo ſecum & cum ſua mente arctiſſime coniuncto intueretur, quem & ſecutus fuerit PETRVS POIRETVS.

§. II. Sed pace clariſſimi huius viri fiat, vt ea qua decet modeſtia accuratius in hanc ſententiam inquiramus. quæſtio igitur ponitur: num origo logicæ a Deo ſit petenda, nec ne? quam neque adfirmare, neque negare poſſumus, niſi antea compertum ſit, qua ſignificatione vox *logicæ* valeat. etenim illi duplex vis ineſſe poteſt, ita vt partim tantum reſpiciat ſanam & rectam rationem, per quam cognoſcimus veritatem; partim vero formam logicæ, qua eſt diſciplina ad artis regulas accommodata. priori ratione dici poteſt, Deum eſſe autorem logicæ, omnesque veritates, quas ope intellectus noſtri cognoſcimus, eſſe diuinas, quia Deus rationem ſiue intellectum

cæ usque ad tempora Socratis, qui inprimis rebus naturæ cognoscendis operam dederunt; quarto de logica *Socratis Pyrrhonis & Epicureorum*; quinto de logica *Antisteniorum & Stoicorum*; sexto de logica *academicorum*; septimo de logica *Peripateticorum*; octavo de logica *Aristotelicorum interpretum & præcipue Galeni* disputatur.

BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS, qui edidit *systema systematum*, cuius tomo primo etiam continentur *præcognitorum logicorum tractatus tres*, quorum secundus exhibet *historiam logicam*, ita vt disseratur capite secundo de fatis logicæ *a principio mundi usque ad annum seruatoris nostri* MD. tertio ab hoc tempore usque ad *ætatem Petri Rami*; quarto de *Rami & Ramea disciplinæ proprietatibus*; quinto de *logicis a tempore Rami usque ad ætatem auctoris*.

IO. a WOWER, Hamburgensis, protulit in lucem opus de *polymathia*, quod prodiit MDCIV. 4. & cura IACOBI THOMASII Lipsiæ MDCLXV. 8. item tomo x. thesauri antiquitatum græcarum IACOBI GRONOVII. prout WOWER opere hoc in primis de studiis litterarum veterum erudite disputat; ita quoque capite xx. p. 18. de *dialectica* quædam profert, atque illustrat præcipue voces διαλεκτική & λογική, breuius quidem, quam argumenti dignitas & copia postulant.

GERHARDVS IO. VOSSIVS, cui debemus libros II. *de logices & rhetoricæ natura & constitutione*, Hag. Comit. MDCLVIII. 4. qui etiam inter opera VOSSII extant. liber

de

de logices natura & constitutione complectitur capita XIII. quibus haud integram quidem logicæ historiam tradit; multa tamen adfert, quæ illam possunt illustrare, quum capite primo dilserat *de variis logicæ artis nominibus*; secundo *de genere logicæ*; octavo *de logices inuentore & per varios incremento*; nono *de logices diuisione*; decimo usque ad vltimam *de scriptis logicis Aristotelis*.

PETRVS GASSENDVS, cuius opera omnia in sex tomos diuisa prodierunt Lugduni MDCLVIII. fol. quorum tomus primus continet *syntagma philosophicum*, cuius pars prima est *logica*, & complectitur præter *institutionem logicam* duos libros, quarum alter agit *de logicæ origine & varietate*, ac quidem capite primo *de origine & inuentione logicæ*; secundo de logica *Zenonis seu Eleatica*; tertio de logica *Euclidis* seu *Megarica*; quarto de logica *Platonis*; quinto de logica *Aristotelis*; sexto de logica *Stoicorum*; septimo de logica *Epicuri*; octauo de logica *Lullii*; nono de logica *Rami*; decimo de logica *Verulamii*; vndecimo de logica *Cartesii*.

RENATVS RAPINVS, qui scripsit *reflexions sur la logique*, quibus multa collegit, quæ fata logicæ cognoscenda illustrare possunt.

CHRISTIANVS THOMASIVS, qui *introductionem ad philosophiam aulicam* MDCLXXVIII. protulit, cuius editio secunda MDCCII. lucem aspexit: & in primis capite quarto p. 86. *de prudentia cogitandi & ratiocinandi* varia momenta ex historia philosophica attigit,

tigit, quæ artem logicæ eiusque fata possunt illuminare, quod & fecit *cautel. circa præcognit. iurispr.* cap. x. p. 191.

GEORGIVS PASCHIVS, quem heic ideo commemoramus, quoniam de *inuentis nou-antiquis* cap. 11. disserit de logica Aristotelis, Cartesii, de arte Lulliana, de variis disputandi modis.

IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, qui edidit *critisirenden Geschichts-Calender von der logica, darinn das Steigen und Fallen dieser hoch-vortrefflichen disciplin von Anfang der Welt biss auf das Iahr Christi 1600. entworffen*, Francof. ad Mœn. MDCXCVIIII. 8. qui auctor existimat, quod prima disputatio theologica habita sit in paradiso inter Euam & Diabolum. titulum libri huius IO. MOLLERVS præf. ad MORHOFII polyhistoris continuationem §. x. adpellat *ridiculum* atque *absonum*: hancque adpellationem, quod operis huius inscriptioni omnino conueniat, iterum tuetur epistola quadam aduersus REIMMANNVM, quæ legitur part VII. p. 690. diarii litterarii teutonici: *ausführlicher Bericht von allerhand neuen Büchern*; contra quas accusationes sese defendere instituit præfatione *introductionis in historiam litterariam germanorum* part. III. sect. 2. cuius libri sectione 1. part. III. p. 446. etiam merita germanorum in artem logicæ speciatim commemorantur.

CHRISTIANVS IVNCKERVS, qui Altenburgi MDCCXIV. edidit *lineas primas eruditionis vniuersæ*, quarum pars posterior, quæ lineas *heraldicæ, rei nummariæ* & *anti-*

qui-

tiquitatum exhibet, post fata auctoris vsui publico tradita est. quum huiusmodi rationem scribendi sibi elegisset, vt scientiarum traderet historias breuiter, paucis etiam parte secunda p. 2. de fatis logicae disseruit.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, qui editioni *artis cogitandi* Hal. MDCCIIII. 8. praefationem praemisit, & ista disseruit *de fatis studii logici, eiusque vera indole, adminiculis & defectibus.*

IO. IACOBVS SYRBIVS, cuius *institutiones philosophiae rationalis eclecticae* Ienae MDCCXVII. 8. in publicam emissae sunt lucem, praefatione ornatae, quae fata quoque artis huius a prima ipsius origine vsque ad haec tempora breuiter commemorat.

GOTTLIEB STOLLE, qui vt consuleret incrementis historiae litterariae, anno MDCCXVIII. edidit lingua teutonica: *Kurze Anleitung zur historie der Gelahrheit*, cuius libri parte secunda eiusque capite secundo p. 115. deprehendimus historiam logicae & metaphysicae, quae inprimis ipsius fata tempore recentiori nobis explanat diligenter.

ANDREAS RVDIGER, qui editioni tertiae MDCCXVII. *institutionum eruditionis* praemisit praefationem, qua §. 9. sqq. breuissime de fatis harum litterarum disserit. nec silentio dimittere possumus

GEORGIVM WEGNERVM, qui edidit, disquisit. historico-philosophicam *de origine logices* MDCLXVII. 12. de qua eiusque auctore disserit VINCENTIVS PLACCIVS de scriptoribus anonymis p. 321. 1295.

PETRVM

PETRVM AVRIVILLIVM, *Geualiensem*, professorem logices & metaphysices, posthac græcæ linguæ & theologiæ in academia Vpsaliensi, qui edidit orationem de *origine, antiquitate & priscis logicæ cultoribus*, cuius mentionem facit IO. SCHEFFERVS Suecia litterata p. 230. scriptores autem logicarum tantum recensent.

DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS in polyhistore philos. tom. II. lib. 5.

BVRCARDVS GOTTHELFF STRVVIVS bibliotheca philosophica capite IV. cui adiungas IO. HENRICI ACKERI, supplementa p. 40. seqq. qui STRVVIVS etiam scriptores logicarum iuris commemorat bibliothec. iuridic. cap. VIIII. §. 2 p. 283. vt in præsenti de BOLDVANI, DRAVDII, LIPENII bibliothecis philosophicis, item SPACHII nomenclatore philosophico taceamus, quos auctores quisque consulere potest, si modo haud facile vbique ipsis adhibeat fidem.

2) *speciatim*

(a) ***ratione variarum gentium & sectarum.***

CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS, qui Helmstadii MDCCX. edidit *initia polyhistoris logici*, quibus disputat capite primo de logica *diuina*; secundo de logica *angelica* & tertio de logica *heroica* siue *mythica*; anno MDCCXIII. autem ipsius studio prodiit *incrementum polyhistoris logici*, quo adparet caput quartum de logica *patriarcharum*.

IO. FRANCISCVS BVDDEVS, in cuius *introductione ad historiam philosophiæ Ebræorum*,

rum, quæ auctior multis accessionibus iterum Halæ Saxonum MDCCXX. 8. prodiit, multa deprehendimus, quæ studium logices apud Hebræos possunt illustrare.

IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, qui *historia litteraria ante diluuiana* p. 49. quædam obseruat de logica primorum parentum nostrorum, de qua paullo post disseramus copiosius.

IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, cuius auspiciis Altorfii edita est dissertatio de *philosophia Adami putatitia* MDCCXV. & alia de *Adami logica, metaphysica, mathesi, philosophia practica & libris* MDCCXVII.

IO. IVLIVS STRVVIVS, cui debemus *rudimenta logicæ Ebræorum ex Iudæorum scriptis eruta exemplis copiose illustrata*, Ienæ MDCXCVII. 4. quæ tribus dissertationibus in nostra academia publico eruditorum examini exposuerat. tradit auctor atque illustrat logicam Ebræorum eam, quam nonnulli dicunt *Talmudicam*, quoniam contineat præcepta per libros Talmudicos diffusa, quibus sacri codicis sententia recte inuestigari, & inde ex mente Rabbinorum veræ consequentiæ, quibus ipsorum Talmud nititur, deduci possent. procemio huius operis differitur de logicæ Ebræorum origine, variis nominibus, ac scriptoribus; capite autem primo de *ipsis interpretandi & argumentandi regulis Ebræorum*; capite secundo traditur *logicæ Hebræorum methodica tractatio*; & caput tertium exhibet *quædam paralipomena*.

IOH. CONRADINVS SCHRAMMIVS, qui ſcripſit *introductionem in dialecticam Cabbaleorum methodo Peripateticorum potiſſimum conformatam*, Brunſuigæ MDCCIII. 8. caput primum demonſtrat *veritatem etiam ab Hebræis & in ſpecie ex ipſorum Cabbala petendam eſſe*; capite ſecundo differit auctor de *diſcrimine exotericorum & acroamaticorum apud Cabbaleos*; capite tertio de *ſephirarum ſcopo & ordine*; capite quarto de *propoſitionibus cabbaliſticis harumque compoſitione & examine*; capite quinto de *ſyllogiſmorum cabbaliſticorum principiis, veritate ac natura*; capite ſexto de *vitiis & fraudibus, quæ ineſſe ſolent argumentis cabbaliſtarum.* quamuis STRVVIVS & SCHRAMMIVS potius logicas Ebræorum atque auctorum Cabbalæ ſcripſerint, quam ipſarum fata expoſuerint; ex ipſorum tamen monimentis multa peti poſſunt, quæ hiſtoriæ harum litterarum non mediocrem adferunt lucem. nec defuerunt, qui ſcriptores logicarum ex gente Ebræorum collegerunt eosque enarrarunt, id quod præſtiterunt auctores bibliothecarum Ebræorum, quos diligenter IO. CHRISTOPH. WOLFIVS præfatione bibliothecæ Ebrææ recenſet.

THOMAS STANLEIVS, qui hiſtoriam philoſophiæ, cuius elegantem interpretationem latinam GOTTFRIED OLEARIO debemus, edidit eaque ex antiquis monimentis multa collegit, quæ ad hiſtoriam logicæ apud veteres græciæ philoſophos pertinent. etenim exhibet p. 326. *doctrinæ Platonis lineamenta autore* ALCINOO, qui capite

pite

pite IV. V. VI. dialecticam Platonis exponit; p. 443. sqq. differit de logica *Aristotelis;* p. 554. de dialectica *Stoicorum* p. 1952. de canonica *Epicuri.*

ADAMVS BVRSIVS, cuius opus extat, quod inscribitur: *Ciceronis dialectica*, quam ex Stoicorum maxime sententia in scriptis dispersae reliquit, Samosciii MDCIIII.4. quod opus dicit I. ALB. FABRICIVS biblioth. latin. lib. I. c. 8. p. 148. *praeclarum ac raro certe obuium*, eiusque mentionem faciunt IVSTVS LIPSIVS centur. V. epist. 57. miscell. SCHILTERVS manuduct. philos. moral. ad iurisprud. cap. I. §. 9. & GERH. IO. VOSSIVS de logices natura & constitutione cap. VIII. §. 29. p. 40. de eo ita iudicat: *iccirco bonam operam nauauit* Adamus Bursius *Samosciensis academiae professor opere eo, quod dialecticam Ciceronis inscripsit. nam tres in eo personas inducit, Stoicum, Peripateticum, academicum; proque tribus istis trium sectarum logicam exposuit. interque caetera hoc commodi praestat, quod melius ex eo Cicero, & alii intelligantur.*

IO. ALBERTVS FABRICIVS, qui Lipsiae MDCXCII. edidit disputationem de *cauillationibus Stoicorum*; anno MDCXCIX. Hamburgi *specimen historiae logicae elenchticum*; etiam *bibliotheca graeca*, qua de antiquis philosophis atque illorum scriptis copiose & solide differit, haud coteminendam fecit facultatem, historiam logicae accuratius scribendi atque ornandi. idem argumentum de *cauillationibus Stoicorum*, libro quodam se ex-

posuisse, testatur VOSSIVS de sectis philosophorum cap. XI. §. 6. p. 66.

IO. ANDREAS SCHMIDIVS, cuius disputatio de *Chrysippea brutorum logica* Ienæ MDCLXXXIX. prodiit.

IO. PETR. LVDOVICVS, Hal. Saxon. MDCXCIX. disputatione quadam inaugurali exposuit *historiam rationalis philosophiæ apud Turcas*. de cetero inprimis adhuc sunt tres, qui nostra ætate de Turcarum philosophia quædam tradiderunt: BAPTISTA DONATVS *della letteratura de Turchi* Venet. MDCLXXXVIII. 12. SAMVEL SCHELWIGIVS oratione *de philosophia Turcarum* Gedan. MDCLXXXVI. ABRAHAM HINCKELMANNVS præfatione ad *Alcoranum* MDCXCIV. a se editum, qua ostendit, omnia philosophiæ studia florere in Arabia; artem logicæ autem silentio dimittit.

(b) *ratione variarum ad logicam spectantium doctrinarum.*

IACOBVS BRVCKERVS, auctor dissertationis, quæ inscribitur: *tentamen introductionis in historiam doctrinæ logicæ de ideis*, Ienæ MDCCXVIII.

IO. FRIDEMANNVS SCHNEIDERVS, qui Halæ protulit in lucem *dissertationem de variis argumentandi methodis veterum & recentiorum*, qua disputat de methodis argumentandi generatim; de oratione continua; de dialogis; de inductione; de sorite; de methodo hypothetica; de variis veterum sophismatibus nostra ætate incognitis; de argumentatione activa Diogenis Cynici; de argumentatione ab invidia; de methodo

Ra-

Ramiſtica; de methodo mathematica; de methodo ſyllogiſtica.

10. ANDREAS SCHMIDIVS, qui conſcripſit *breuem diſquiſitionem de diuerſis diſputandi proceſſibus*; inprimis apud Iudæos & græcos, ac ſpeciatim de modo per dialogos Megarico, per ſyllogismos Cynico, mathematico. opere hoc auctor *logicam Ebræorum* & *logicam nou-antiquam* promittere videtur.

10. CASPAR GVNTHER, cuius diſſertationem de *modo diſputandi Megarico* Ien. MDCCVII. habemus.

(c) *ratione diuerſorum logicam tractandi modorum.*

IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, qui anno MDCCXII. Ienæ edidit diſſertationem de *variis modis logicam tradendi, ſpeciatim de logica ſymbolica*, vbi capite primo §.4. obſeruat, logicam tradi poſſe vel ornate; vel nude ſine ornamento quodam; ornatum autem peti vel ex loco ſimilium; vel ex loco exemplorum; vel teſtimoniorum; ad logicam ex loco ſimilium transferri *ſymbola, emblemata, hieroglyphica.* anno eodem Lipſiæ aliam ſcripſit de *logica hieroglyphica*; & anno MDCCXV. Altdorfii programma de logicis *paradigmaticis theologicis, iuridicis aliisque.*

§. VI. Auctores hosce commemorare, e re noſtra omnino fuit, vt pateat, qua cura quoue ſtudio culta atque ornata fuerit hiſtoria logices, quamuis hanc recenſionem ita elaboratam eſſe, vt nulla fieri poſſet acceſſio, adfirmare nolim. ſufficiat enim, principes huius-

 modi

modi scriptores annotasse, eosque inprimis, quos adhuc ipsi ad vsus nostros contulimus, ex quo animum ad artis logicæ fata exponenda convertendi. cepimus consilium. fuerunt quoque, qui idem propositum mente sua conceperunt, vt argumentum hoc explanandum sibi sumerent; sed modo per necessitatem mortis; modo per alias occupationes promissis ipsique voluntati suæ ac desideriis aliorum haud satisfecerunt. quo spectant

VINCENTIVS PLACCIVS, qui in catalogo librorum edendorum præter *bibliographiam logicam* etiam promisit orbi erudito *historiam logicæ*.

IO. PETR. LVDOVICVS, qui extremo dissertationis *de philosophia rationali apud Turcas* supra commemoratæ *polyhistorem logicum* se meditari, significat, eiusque nouem libros constituit, ita vt liber primus disserat *de inuentione artis ratiocinandi vniuersim*; secundus *de inuentione dialecticæ græcorum*; tertius *de sectis logicorum apud græcos*; quartus *de logica Aristotelis*; quintus *de logicæ emendatoribus aut inuentoribus nouarum*; sextus *de logicis practicis*; septimus *de logicis aliarum gentium*; octauus *de bibliotheca logica*; nonus *de iudicibus logicarum*.

SEVERINVS LINTRVPIVS, qui in *reliquiis incendii Bergensis* p. 47. pollicitus est *historiæ logicæ breuiarium* & *schediasma historicum de fatis metaphysicæ*.

IACOBVS FRIDERICVS REIMANNVS, qui *introductione ad historiam litterar. gener.* p. 59. testatur, se conscripsisse opus latinum

tinum *de artis ratiocinandi primis auctoribus.*

§. VII. Quod ad noſtram operam adtinet, quam hiſtoriæ artis huius deſcribendæ conſecrabimus, per ordinis rationem exercitationem hanc diſtribuamus in tres libros:

LIBRI I. de origine artis logicæ.
Caput 1. *de falſa ipſius origine.*
2. *de vera eius origine.*

LIBRI II. de progreſſu ac fatis logicæ.
Capitis 1. *de progreſſu ac fatis artis logicæ generatim per varios auctores.*
Sect. (1) tempore vetuſtiori.
Sect. (2) tempore medio.
Sect. (3) tempore recentiori.
Caput 2. *de origine, progreſſu & fatis doctrinarum logicæ ſpeciatim.*
Caput 3. *de variis modis logicam tradendi ſpeciàtim.*

LIBRI III. de varia exiſtimationis logicæ fortuna.
Caput 1. *de fortuna proſperiori.*
2. *de fortuna aduerſa.*

qua ratione, quam nobis præſcripſimus, quæuis momenta eaque præſtantiſſima, quæ obſeruatione digna ſunt, attingere elaborabimus, ita vt non ſolum reſpiciamus auctores ac doctrinas logicæ; ſed & vſum illius ac deprauationem, quæ fuit multiplex. atqui hæc omnia nunc diſtincte ac breuiter explanabimus.

bræi modo *ſapientiam* חכמה Deo adtribuant; ſed philoſophi quoque græci ipſum dicant *mentem*, id quod THALES, PYTHAGORAS, ANAXAGORAS, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES fecerint, item λόγον *rationem*, prout Stoici ſummum Deum aperte ita vocauerint; nec non *veritatem*, qua appellatione vſi ſint PYTHAGORAS, SOCRATES, PLATO. quam excellentiam quum in Deo cognouerint, non mirum ſit, quod PLATO philoſophiam dixerit *donum* & CICERO inuentum Dei, etiam BARTHOLOMAEVS VIOTTVS exiſtimauerit, omnis demonſtrationis prima initia nobis Dei beneficio ineſſe, & MALEBRANCHIVS declarauerit, non eſſe aliam viam ad veritatem inueniendam, quam ſi homo Deo penitus addictus ideas rerum, veri omnis origines in ipſo Deo ſecum & cum ſua mente arctiſſime coniuncto intueretur, quem & ſecutus fuerit PETRVS POIRETVS.

§. II. Sed pace clariſſimi huius viri fiat, vt ea qua decet modeſtia accuratius in hanc ſententiam inquiramus. quæſtio igitur ponitur: num origo logicæ a Deo ſit petenda, nec ne? quam neque adfirmare, neque negare poſſumus, niſi antea compertum ſit, qua ſignificatione vox *logicæ* valeat. etenim illi duplex vis ineſſe poteſt, ita vt partim tantum reſpiciat ſanam & rectam rationem, per quam cognoſcimus veritatem; partim vero formam logicæ, qua eſt diſciplina ad artis regulas accommodata. priori ratione dici poteſt, Deum eſſe autorem logicæ, omnesque veritates, quas ope intellectus noſtri cognoſcimus, eſſe diuinas, quia Deus rationem ſiue intellectum

humanum veluti principium cognoſcendi conſtituit, iisque viribus, quæ ad huiusmodi cognitionem ſunt neceſſariæ, ornavit. ſed tamen plane aliud fundamentum diuinæ originis logicæ ponimus, quam clariſſimus KOCHIVS, qui id ex diuina mente, ratione, ſapientia deducit, quæ niſi mitiori ſententia intelligantur, facile quemdam in errorem haud mediocrem coniicere poſſunt, præſertim quum MALEBRANCHIVM & POIRETVM ſententiæ ſuæ fauentes in medium proferat. nam quæ viri hi celeberrimi hac de re diſputarunt, quam proxime accedunt ad enthuſiaſmum, vt ex illis, quæ infra dicemus, patebit clarius. nec teſtimonia philoſophorum paganorum quoddam robur aut lumen adferre poſſunt, qui grauiſſimis erroribus de Deo eiusque mente diuina ſeſe implicuerant, id quod inprimis de Stoicis apertum eſt, qui Deum & naturam idem eſſe putarunt. quod ſi autem logica conſideratur veluti diſciplina quædam philoſophica, neutiquam eius ortum ad Deum referre debemus, ſiquidem nititur regulis artis inuentæ ab hominibus & ab iisdem excultæ & perpolitæ. reſpicit logica morbos & imbecillitates intellectus humani, quibus mederi princeps logici munus eſſe debet; quis autem ſibi perſuadeat, huiusmodi logicam ex diuina ſapientia, ratione ac mente deriuandam eſſe?

§. III. Adhæc clariſſimus KOCHIVS capite ſecundo dictæ diſſertationis de *initiis polyhiſtoris logici* diſputat de *logica angelica*, atque ex THOMA HYDE [1] obſeruat, angelos

1 *de religione veter. Perſarum cap.* 20.

in-

inter se instituere disputationes, etiam ex eodem commemorat exempla disputantium angelorum, *Michaëlis* quippe Iudæorum & *Raphaëlis* Persarum angeli tutelaris; [1] item *Vsfielis* & *Schamchasai*, quo & spectet disputatio *Michaëlis* & *diaboli* de Mosis corpore. nec desint, qui angelis magnam scientiam vindicent, etiam librorum, quos de cælo hominibus miserint, dona ferant accepta, quæ omnia quum copiose & erudite cl. KOCHIVS illustrauerit, concludit, quod angeli logica forte non nisi naturali vtantur, præsertim si omnia iam sciant nec discendo proficiant. sic ipse de logica angelorum quidquam definire haud sibi sumit; rectiorem autem sequamur viam, si ne quidem de logica angelorum quidquam cogitamus. nam primum magna est differentia inter rationem cogitandi apud angelos & apud homines, quum nos omnes ideas siue imagines rerum hauriamus ex sensione, quæ apud angelos a corporibus plane separatos aliter fieri debet. præter quam discrepantiam adhuc nobis haud compertum est, qua ratione in intellectu angelorum cogitationes oriantur fiantque, ita vt si quid de illorum logica a nobis sit dicendum, nihil præter nomen retinere possimus. nec tertium disputationes, quarum mentionem faciunt, quidquam habent ponderis, quoniam aliæ sunt fictæ & commentitiæ; aliæ vero, quæ fidem præ se ferunt, ab illis, quum corpora adsumserint, sint institutæ, adeo vt istæ sententiam hanc minus possint confirmare. quid multa? logica ea significatione, quæ a plerisque, etiam

1 *Daniel.* X, 13.

a no-

a nobis adhibetur, de angelis neutiquam dici potest.

§. IIII. Tandem cl. KOCHIVS capite tertio disserit de *logica heroica* siue *mythica*, quo ex monimentis antiquae fabulosae aetatis exempla & nomina heroum singulari industria collegit, quibus veteres modo scientiam, modo inuentionem logicae adtribuerunt. sic constat, quod PROMETHEVS *Iapeti* filius, pater *Deucalionis* Thessalorum regis tradatur, inuenisse plures artes & in his quoque logicam, vti refert PLATO, [1] per illum diuinum munus hominibus adlatum esse *inueniendi, definiendi & diuidendi scientiam.* sic fingitur HERCVLES Iouis filius vinctum in Caucaso Prometheum soluisse, id est interprete PLVTARCHO, ab eo accepisse *dialecticam.* sic proditur PROTEVS, Iouis vel Neptuni filius, se vertisse in quas vellet figuras, vt modo aqua, modo ignis, piscis, auis, leo, serpens, arbor fieret pro sua voluntate, quam fabulam SOCRATES apud PLATONEM ad sophistam adcommodat, qui quamuis formas argumentorum varias efficiat; ope tamen sapientiae diuinitus comprehendatur aliquando, vt de aliis taceamus. sed tamen ne operam nostram collocemus in re maxime obscura ac dubia, hasce fabulas dimittamus silentio, quae a poëtis ideo sunt fictae, vt hominibus diuinitatem & singularem antiquitatem artium scientiarumque persuaderent.

§. V. Alii originem logicae deducunt a primis hominibus, & scientiam huius artis vetustissimis mortalibus, quorum notitia per sa-

1 *Phileb.*

crum

crum codicem ad nos peruenit, adtribuunt. primum igitur differunt de logica ADAMI, vtque taceamus de EVSEBIO, [1] BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [2] dicit: *primos generis humani parentes & patriarchas non dubito cum reliquis disciplinis etiam hanc suis posteris tradidisse, praesertim quum origini omnium rerum propiores tanto praestantiorem intellectum habuerint nostro ingenio atque intellectu, quanto & vitae diuturnitate & valetudinis firmitate & denique aeris, victus ac rerum omnium e terra nascentium praestantia nobis, supra quam credi potest, fuerunt feliciores*; & IO. IVLIVS STRVVIVS; [3] *nemo autem*, inquit, *a me expectabit, vt nunc logicam protoplastorum tradere sustineam. nam quamquam eam in statu integritatis perfectissimam fuisse, tuto asseuerare possimus; nihil tamen de ea memoriae proditum superest, nisi forte accuratissimam nominum impositionem, quam Platо in Cratylo dialectico propriam esse dicit, cum Eusebio huc referre velis.* eiusdem sententiae est REIMANNVS, [4] qui & putat, primam disputationem habitam fuisse inter Euam & pessimum spiritum atque auctorem malitiae; inprimis autem istam corroborare, summa ope adnititur CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS, [5] qui in illius gratiam varias collegit rationes. obseruat quippe, quod Adamus animalibus imposuerit nomina, id quod ex sententia PLATONIS munus atque opus esset

1 *lib. XI. cap. 6. praeparat. euang.* 2 *praecogn. logicor. tr. II. cap. 2. p. 10. opp.* 3 *rudimentis logicae Ebraeor. p. 10.* 4 *critisir. geschichs-Calender der logic, p. 1. sqq.* 5 *de incremento polyhist. logic. §. 1. 2.*

dia-

dialectici; quod ad imaginem Dei fuerit conditus, ex quo merito quis possit colligere, cognitam ipsum tenuisse artem ratiocinandi; quod & ingenio, & vitae diuturnitate, & aëris salubritate praestiterit reliquis mortalibus, quae omnia magnam habeant vim ad culturam doctrinarum; quod auctor extiterit litterarum atque ipsius sermonis; artem autem inueniendi vindicet sibi logica; quod Adamus atque alii humani generis principes adparatum librorum, scholas ac societates litterarias habuisse legantur; quod sine dubio de virtute, atque illius exercitiis disseruerit solidaque adhibuerit argumenta, quod Euam אשה a viro denominans vsus sit loco, quem dialectici dicunt *topicum* & quidem *notationis*, [1] & aduersus Cainum dilemmate quodam, [2] quae praeter alia auctor fuse exposuit & per testimoniorum auctoritatem confirmare elaborauit.

§. VI. Post ADAMVM refert KOCHIVS inter logicae auctores CAINVM atque ABELEM, qui instituissent colloquium de extremo iudicio, quo Cain muniere opponentis, Abel autem officio respondentis fuissent perfuncti. scilicet MOSES [3] scribit: ויאמר קין אל-הבל אחיו *& dixit Cain ad Hebel fratrem suum*, quae verba, si ita latine explicantur, interpretes multum exercent, quoniam videtur aliquid a Mose esse omissum. hinc versio LXX. καὶ εἶπε Καΐν πρὸς Ἄβελ, διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, quod supplementum vulgatus interpres, codex samaritanus, targum IONATAN ben Vziel exhibent. targum autem Hierosoly-

1 Gen. II, 23. 2 Gen. IIII, 6. 7. 3 Gen. IIII, 7.

mita-

mitanum hanc disputationem verbosius ita refert: *& dixit Cain ad Habel fratrem suum, veni & exeamus in agri superficiem. accidit itaque, quum exiissent ambo ipsi ad agri superficiem, respondit Cain & dixit ad Abelem fratrem suum: non est iudicium, nec iudex, nec est aliud seculum nec dabitur merces bona iustis, nec vltio sumetur de improbis, neque per miserationem creatus est mundus, neque per miserationem gubernatur. quare recepta est oblatio tua a te cum beneplacito, a me autem non est accepta cum beneplacito? respondit Abel & dixit Caino: est iudicium & est iudex & est aliud seculum & est donum mercedis bonae iustis & vltio sumi debet ab improbis & cum miseratione creatus est mundus, & cum miseratione gubernatur, verum iuxta fructus bonorum operum gubernatur, eo quod opera mea tuis sunt concinniora, recepta est oblatio mea a me cum beneplacito; a te vero non est recepta cum beneplacito. fueruntque ambo isti contendentes in superficie agri*: confer IO. SELDENVM [1] AVGVST. PFEIFFERVM [2] IO. ALBERTVM FABRICIVM. [3] ex hisce igitur colligit KOCHIVS, Cainum fuisse primum sophistam, & adversus illum disputasse Abelem; id quod omnino ad incrementum logicae pertinere existimat.

§. VII. Praeter alios patriarchas, quorum mentionem facit KOCHIVS, imprimis NOACHVS a nonnullis huc refertur, qui credunt, quod *Prometheus* fabulosis poëtarum monimentis celebratus idem sit ac *Noachus*;

1 *de iure nat. & gentium iuxta disciplin. Ebr. lib. VII. cap.* 4.
2 *exerc. de colloq. Cains & Abelis t.* 1. *opp. philolog. p.* 513.
3 *codic. Pseudepigraph. V. T. p.* 104.

quum-

quumque illi origo logices adtribuatur, exinde consequi putant, Noachum quoque scientiæ huius minus fuisse rudem. qua in opinione versatur BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS, [1] quando dicit: *Prometheus ille, cui Plato in Philebo maximam inventorum & cælitus delatorum præceptorum logicorum laudem tribuit, vix dubito, quin Noachus, vel alius quis ex patriarchis fuerit: dicitur enim vixisse anno post conditum mundum* 1600. confer PETRVM RAMVM. [2] PETRVS DANIEL HVETIVS [3] autem existimat, Prometheum significare Mosen. Noachum sequitur ABRAHAMVS, qui ex sententia sæpius dicti Kochii ideo laudem logicæ inprimis meretur, quod superstitionem a vera religione discernere instituerit, ac scientiarum cognitione extiterit maxime ornatus, præsertim si testimoniis Iudæorum habenda sit fides. omnium autem fere princeps hoc in genere habetur IOBVS, de quo iam HIERONYMVS [4] ita sensit: *omnes leges dialecticæ, propositione, assumtione, conclusione, determinat. quin & rationem soluendi vitiosa argumenta ostendit*; & AMBROSIVS: [5] *quanto antiquior illis dialecticis græcorum Iob, qui hæc primus reperit*; & CASSIODORVS: [6] *vbi sunt, qui dicunt: artem dialecticam a scripturis sanctissimis non cœpisse? singula in Iobo plena sunt ænigmatibus, propositionibus & quæstionibus sacris.* id quod etiam adprobant auctores

1 *citat. loc.* 2 *scholus dialect. lib. I. cap.* 1. 3 *demonstrat. euangel. propos. IIII. cap.* 8. §. 7. 4 *epistola ad Paullinum.* 5 *de officiis lib. I. cap.* 11. 6 *libro diuinarum lectionum cap.* 6. *p.* 452.

ætatis

ætatis recentioris, ſiquidem THEOPHILVS GALEVS [1] dicit: *Iobum profundum ac acutum philoſophum fuiſſe, ſatis liquet; diſſerit enim acutiſſime.* item: [2] *probe notum eſt, disputationes inter Iobum & ejus amicos dialogis peractas fuiſſe*; THOMAS STANLEIVS [3] autem: *apud Arabes fuiſſe diſciplinarum peritos liquet, præſertim ex Iobi amicorumque eius diſceptationibus*; & PETRVS GASSENDVS: [4] *deprehendere licet vel in una Iobi hiſtoria, homines in ea colloquenteis ita fuiſſe philoſophatos, ut inuicem ſibi obiecerint, quam quisque vellet præ ceteris videri callere diſputandi artem*: confer RAPH. VOLATERRANVM [5] & IO. PETRVM LVDOVICVM. [6] quum autem per varia argumenta ſatis ſit perſpicuum, Iobum fuiſſe Arabem, cujus ſententiæ SPANHEMIVS [7] multos commemorat teſtes; inde concluſionem efficiunt, nationem hanc coluiſſe quoque litteras philoſophiæ.

§. VIII. Quod ſi Noachum, Abrahamum, Iobum inter eos referant, qui laudem logicæ artis mereantur, quid mirum, quando etiam in illis numerant MOSEN, id quod per varias rationes probare contendunt. Primum provocant ad verba STEPHANI [8] ad Judæos dicentis de Moſe: *& eruditus eſt omni ſapientia Aegyptiorum & erat potens in verbis & operibus ſuis*; præter hæc autem obſervant, quod Moſi XIII. *regulæ logicæ hermeneuticæ* veluti auctori adſcribantur, quippe quæ ar-

1 *de progreſſu philoſophiæ lib* 1. *cap.* 1. §. 9. 2 *ibid. lib. III. cap.* 5. §. 1. 3 *lib. III. cap.* 2. *philoſoph. oriental.* 4 *de logica origine & varietate cap* 1 5. *lib. X. anthropol. p.* 370. 6 *de philoſophia ration. apud Turcas & de philoſophis caute legendis p.* 18. 7 *hiſtoria Jobi cap. IV.* 8 *Actor. VII.* 22.

tem ſacras litteras interpretandi ac ex principiis deducendi conſequentias contineant. Credunt quippe Iudæi, quod Deus has regulas Moſi legem explicanti, dederit in monte Sinai, quæ poſt hæc ſenſim ac ſenſim peruenerint ad notitiam Iudæorum, etiam a R. ISMAELE collectæ, vnde & dicantur *Regulæ R. Iſmaëlis*, de quibus videre poſſumus præter alios LEIDEKKERVM [1] & IO. IVLIVM STRVVIVM. [2] ex his argumentis putant nonnulli conſequi, Moſen quoque præditum fuiſſe cognitione logicæ artis, prout DAN. GVILIELMVS MOLLERVS [3] dicit: *præter adductas hactenus ſcientias & artes, Moſen logica quoque imbutum fuiſſe, vero videtur eſſe ſimile*: item: *atque ut paucis multa complectar, Moſen diſciplina logica fuiſſe imbutum, ex Aegyptiorum, apud quos Moſes ſtuduit, artes tractandi ratione non poteſt non liquere, quippe qui crebriore cœli contemplatione, ad leges quaſdam de obſeruationibus cœleſtibus faciendas inſtigati, modum in ratiocinando ſeruandum certis regulis comprehenderunt, talique modo dialecticæ ſtudium introductum diligenter excoluerunt.* Quin etiam nonnulli ſibi perſuadent, logicam fuiſſe Iudæis *Vrim* & *thummim*, quoniam has hebraicas voces expoſuerint auctores per λόγιον. Hinc PETRVS RAMVS [4] dicit: *quid aliud profitetur illud pectorale in ſacerdotis pectore, non ſolum auro & gemmis, ſed duabus illuſtribus notis Vrim & thummim diſtinctum & ornatum? Vrim enim ſignificat ſplendorem mentis lucemque ad cogitandum & perſpiciendum?*

1 *de republica Ebræor. lib. XI. cap I.* 2 *rudiment. logic. hebraor cap. I.* 3 *de Moſe philoſopho* §. 9. p. 21. 4 *Schol. dialect. lib. I. cap. I.*

dum?

dum? thummim ordinis accurationem & perfectionem ad integre incorrupteque iudicandum: vnde & pectorale ipsum a Mose iudicii λογεῖον appellatur, tanquam inullis hominum sophismatis inquinata, sed perfecta & omnibus numeris absoluta considerandi iudicandique logica λογεῖον illud esset: confer BARTHOLOMAEVM KECKERMANNVM, [1] qui etiam SALOMONEM huc pertinere censet. Quum enim ipsius tempestate in more positum fuit, ænigmatum propositione & solutione dictisque argutis demonstrare ingenium; hac quoque Salomon arte excelluit ita, ut omnes in admirationem sui converteret. [2] ex quo consequi putant, Salomonem quoque præclarum fuisse logicæ auctorem, eiusque ex conjectura REIMANNI [3] conscripsisse præcepta, siquidem ipse de se testetur, [4] quod de Sapientia שלישים *triplici ratione* egerit, quæ verba nonnulli de ipsius scriptis philosophiæ rationalis, moralis & naturalis interpretantur, confer PETRVM DANIELEM HVETIVM. [5]

§. VIIII. Sed tamen quidquid alii de logica Adami, Caini, Abelis, Noachi, Abrahami, Jobi, Mosis, Salomonis dicant; nos ab illorum opinione plane esse alienos profitemur, existimantes, viros hosce in logices aut auctoribus, aut cultoribus haud posse numerari. Quam sententiam eo majori studio amplectimur, quo leuiores sunt rationes eorum, qui logicæ artis in hisce hominibus commendant maxime, etiam grauiora extant argumenta, quæ contrarium plane nobis persuadent. Alii enim ig-

1 *præcognit. logic. tr. II. cap. 2. §. 5. 6.* 2 *1. Reg. X. 2. Paral. IX.* 3 *im Calender der logic. p. 6.* 4 *Prov. XXII. v. 10.* 5 *demonstrat. evangel. p. 415. edit. Lips.*

norant, quid ſit logica, & ſiue intelligant naturalem, ſive artificialem, vti dicuntur, vtrinque a vero aberrant. Quod ſi intelligunt logicam ad artem conformatam, nunquam ſane probari poteſt, quod illa tempeſtate litterarum ſtudia eam faciem præ ſe habuerint, quam poſthac acceperunt, quum inuenta doctrina logices, ad certam formam fuerint compoſita, id quod cum ex perſonarum, tum temporis illius indole ſatis clarum eſt. Nam quamuis negari non poſſit, quod multarum rerum veritates ſint aſſecuti, illæ tamen generales erant, quas adhuc per ſolam naturæ vim, minus autem ſecundum regulas artis cognouerunt. Immo quum præter lumen naturæ, quod tam grauiſſimis morbis haud corruptum erat, fruerentur reuelationibus diuinis, duplici hac luce omnia, quæ ad ſalutem erant neceſſaria, poterant cognoſcere, vt adeo haud neceſſe fuerit, artes litterarias adhibere. Nec perſpicere poſſumus, quo modo cauſſas ſuas defendant, ſi logicam tantum naturalem reſpiciant, quippe quæ nomen logicæ haud poteſt tueri: quin etiam hac ratione omnes homines, quibus facultas benignitate naturæ ineſt, cogitandi, propoſitiones formandi & ex illis efficiendi concluſiones, inter logicæ cultores debent referri. Quid? quod ruſtici, quum inter ſe faciant contentiones, hanc gloriam, hanc logicæ laudem poſſunt ſibi vindicare; ſed quis quæſo hujusmodi logicæ hiſtoriam conſcribere inſtituat? ſæpius mirari ſolemus, quod patroni logicæ primorum parentum ac patriarcharum ſibi non ſumant definire, quales ſtruxerint ſyllogiſmos, num fuerint ex primæ figuræ modis

dis *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*; an ex ſecundæ *Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco*, aut tertiæ; quale ſophiſma fecerit Cain aduerſus fratrem Abelem, num fuerit *petitio principii*, an *ignoratio elenchi*; aut *fallacia non cauſſæ vt cauſſæ?*

§. X. Prout autem hi ignorant, quid ſit logica; ita alii in hoc verſantur errore, quod antiquiſſimis temporibus litterarum ſcientiæ ea ratione, qua nunc vigent, floruerint. Sic credunt, Adamum inueniſſe litteras, & PETRVS LAMBECIVS [1] eo vsque progreditur, vt non tantum litterarum, ſed etiam punctorum vocalium originem Adamo diſerte adtribuat, quam in cauſſam prouocant ad libros, quos ille ſcripſiſſe dicitur, cuius generis ſunt *liber reuelationis Adæ, liber de filiabus Adæ, liber de pœnitentia Adæ*; item *prophetiæ Euæ, euangelium Adæ*, de quibus legi poſſunt PETRVS LAMBECIVS, [2] SCIPIO SGAMBATVS, [3] IO. ANDREAS SCHMIDIVS, [4] PETRVS BAELIVS, [5] PAVLVS CHRISTIANVS HILSCHERVS [6] IO. ALBERTVS FABRICIVS. [7] ſed hæc omnia ſunt aperte ficta & commentitia, quibus nemo ſanæ mentis adiungit fidem. Nec decet, patriarchis, qui poſt Adamum vixerunt, talem philoſophiam, qualem hodie colimus, adſcribere, quoniam plane alio modo, quam nos ad cognitionem rerum naturalium & moralium peruenerunt. Etenim ipſis erat ſapientia, per quam cogno-

1 *prodr. hiſtor litter. lib. 1. cap. 2.* 2 *cit. loc. cap. 3.* 3 *arch. vet. teſtam. lib. 1. tit. 6.* 4 *pſeud. teſtam. veteri p. 6.* 5 *dictionar hiſtor. voc. Adam.* 6 *ſched. de biblioth. Adami.* 7 *codic. pſeud. epigr. V. T. p. 1. ſqq.*

cebant non ſolum bonum & malum; ſed ſtudio quoque tenebantur, bonum amplectendi; malum autem fugiendi. Quumue duplicem felicitatem hujus & alterius vitæ ſibi haberent propoſitam; viam ad ſalutem æternam perueniendi cognoſcebant ex reuelatione; modus autem in hac vita ſe felicem reddendi nitebatur benignitate ingenii naturalis, experientia atque traditione, per quas adquirebant ſibi notitiam rerum naturalium, qualis ad felicitatem in hac vita ſtabiliendam ſufficiebat. Sic erant viri ſapientes, ac tenebant ſcientiam variarum rerum cum per ſingularem dei gratiam, tum per naturæ atque ingenii vires, cuius rei cauſſa dici poſſunt philoſophi, ſi modo vox hæc non ea ſignificatione, qua nunc valet, ſumatur. Qua propter recte dicit IO. FRANCISCVS BVDDEVS: [1] *quilibet facile intelligit, aliter hanc vocem* (philoſophiæ) *capiendam eſſe, cum de recentiorum, aliter cum de veterum patriarcharum maxime, immo & generatim orientalium gentium philoſophia loquimur: ſimul vero patet, in veterum Sapientia & philoſophia delineanda ſedulo cauendum, ne ex iſta, quæ recentiorum eſt, notione illam æſtimemus, adeoque talia iis tribuamus, quæ a temporum iſtorum conditione plane ſunt aliena.* Quæ omnia quum ita ſeſe habent, ea quæ de Noachi, Abrahami, Iſaaci, Iacobi aliorumque logica diſſerunt, aut ita debent intelligi, quod per vires naturales intellectus veritates cognouerint, aut, ſi iſta ad logicam artificialem referantur, nequaquam ſunt admittenda. Ipſa enim cognitio veri & falſi, aut res, ad quas ſpe-

1 *not. ad intr. ad phil. Ebraer, p. 3. ed. 2.*

ctant

ctant veritates, nondum conſtituunt logicum; ſed modus, quo veritates cognoſcuntur partim inueniendo, partim diiudicando. Ruſtici quoque atque alii homines omnium litterarum plane expertes, ad notitiam perueniunt veritatum; ſed quum iſta gignatur per ſenſus tantum externos ac per memoriam; talis cognitio vulgaris eſt, a philoſophica ac logica plane diuerſa, quippe quæ ope iudicii dirigitur, ad cuius culturam præcipue ſpectat logica. De cetero non eſt mirum, quod propter errorem de præclara litterarum conditione tempore antiquiſſimo de logica diſputent patriarcharum.

§. XI. At vero deducuntur in huiusmodi erroneam opinionem de re litteraria Adami, patriarcharum ac aliorum ex gente Ebræorum antiqua, partim per peruerſam ſcripturas diuinas interpretandi applicandique rationem; partim per faciliorem fidem, quam fabulis Iudæorum adhibent. Quod ad prius momentum adtinet; multi fingunt ſibi nimiam ampliſſimamque Moſis eruditionem, ac verba Stephani, quod inſtitutus fuerit in ſapientia Aegyptiorum ad conditionem rei litterariæ noſtra ætate adcommodant, quum tamen de iis eruditionis partibus, quæ tum apud Agyptios floruerunt, ſint intelligenda: confer IO. PRIDEAVX, [1] CORNELIVM ADAMI, [2] IO. FRANCISCVM BVDDEVM [3] quo poſito, omnino debet ante demonſtrari, quod ars logicæ ab Aegyptiis fuerit culta; quam per verba hæc Stephani adfirmari, Moſen quoque

1 *oper. Theol. p. 441.* 2 *exerc. exegetic. exerc. II. p. 92.* 3 *hiſtor. eccl. V. T. tom. 2. p. 458.*

 diſci-

diſciplina arteque cogitandi fuiſſe excellentem. Sed quamuis NICOLAVS CAVSSINVS [1] exiſtimet, dialecticæ quoque ſtudia in gente Aegyptiorum floruiſſe; nullo tamen fide digno documento id poteſt probare, adeo ut de logica Moſis ne verbum quidem ſacer codex nobis prodat. Nec aliter res ſe habet cum logica Caini & Abelis. Nam quum interpretes verba Moſis: ויאמר קין אל אבל אחיו expoſuerint: *& dixit Cain ad Abel fratrem*, deducti ſunt in opinionem, quod heic aliquid deſit, quum id, quod dixerit, non ſequatur; quæ ſententia peperit colloquium: & hæc fabula effecit, vt hi fratres adhuc recentiori ætate locum teneant inter logicæ auctores. At vero quid impedit, quo minus vocem: ויאמר vertamus: *& locutus eſt Cain*, qua interpretatione omnis illa difficultas tollitur? immo, ſiue deſit aliquid, ſiue minus, quin etiam ſi ponamus, colloquium, quod refert Targum Hieroſolymitanum, probatam præ ſe ferre auctoritatem, quis autem ſanæ mentis inde conflare concluſionem inſtituat, hoſce fratres exercuiſſe artem logicæ. Quid multa? quum in eam ingreſſi ſint ſententiam, vetuſtiſſimos Ebræos coluiſſe atque exercuiſſe logicam; omnes eorum fere cogitationes ac ſermones, diſputationes, doctrinas, veluti fructus diſciplinæ huius cognitæ conſiderant. Sic Adamus dicitur inueniſſe multa, docuiſſe liberos, propoſuiſſe argumenta & propter hæc, vt & alia creditur logicus; quaſi iſta ex facultate naturali non potuiſſent gigni. Sic in Abrahamo laudatur peritia logices, quoniam falſam religionem a ve-

[1] *de ſymbolica Aegyptiorum diſciplina p. 107.*

ra ſe-

ra seiunxerit, quod omnino ope ratiocinationum fieri debuisset; quae argumentandi ratio si quidquam ponderis haberet, sequeretur omnino, ut omnes pagani homines, ac Iudaei, qui puriorem doctrinam diuina luce illuminati amplexi sunt, eodem iure locum quemdam inter logicae cultores possint sibi vindicare. Sic Iobus ob disputationes cum amicis institutas laude dialecticae adficitur, quae tamen ita sunt comparatae, vt a solis naturae viribus, si earum formam spectamus, potuerint proficisci, quamquam negare nolumus, varia philosophiae capita, etiam physica atque astronomica libro ipsius contineri. Hinc patet, quid sentiendum sit de RIVETO, [1] qui opus hoc omni doctrina adeo plenum esse iudicat; *ut frustra in eius dictis omnibus explicandis sit operam positurus, qui poetices, dialectices, rhetorices, astronomiae, physices denique non sit bene peritus.* Id quod etiam de Salomone pronuntiamus, cuius incredibilem sapientiam merito miramur; ipsi autem propter aenigmatum interpretationem logicae vel inuentionem, vel incrementum adtribuere non possumus, quia ea tempestate multis solemne fuit, in hisce rebus ingenia demonstrare, nec praecepta logices ad illorum vsum explicationemque adhibere, necesse habuerunt, confer THOMAM BVRNETIVM. [2] prout ieiunas aridasque ex sacro codice deducunt conclusiones de logica Adami & aliorum virorum, qui prima aetate in coetu viuentium versati sunt; ita quoque leuioribus omnino argumentis muniti alias

1 *isagog. ad scripturam sacr. cap. 37.* 2 *archaeol. philosoph p. 89.*

philosophiæ partes in illis commendant. Ita dicunt, quod Adamus in arte physicæ fuerit versatissimus, quia animalibus ad ipsorum naturam dederit nomina; quod extiterit auctor mechanices, quia sibi effecerit vestes; quod habendus sit princeps experimentorum atque artis chemicæ, dum ignem excitauit ex silice; quod dicendus architectus, quia exstruxerit casam; eloquentiæ summus magister, dum liberos docuit præcepta religionis; astronomus, quoniam cœlum intuitus; œconomus, quia Cainum & Abelem agris colendis & pecoribus alendis adsuefecerit, & quæ alia huius generis deliramenta sunt, aduersus quæ merito disputat NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS.[1]

§. XII. Alterum momentum, quod obseruauimus, est, multos quamlibet fere fidem fabulis Iudæorum adiungere, quo fieri solet, vt tantis erroribus implicentur, sibique subtilem ac ætati nostræ consentaneam philosophiam veterum Ebræorum persuadeant. multa enim isti ficta produnt de libris, scholis, societatibus litterariis Adami & patriarcharum, quæ si quis habet vera, saltim plane reiicere veluti fabulosa dubitat, sane non mirum est, quod incrementa logicæ in gente hac antiquissima quærat. Sic KOCHIVS[2] commemorat ex GEDALIA historiam de Abrahamo, quod quum a patre Theracho præfectus fuerit vendendis idolis; ira commotus ista idola confregerit, ac de cultu illorum habuerit disputationem, qua historia copiose recitata,

1 *hist. philos. moral. cap. VII. p. 50.* 2. *increm. polyhist. logic. §. XIIII. p. 55.*

addit:

addit: *fabulosa forte hæc quidem disputatio; sed quæ tamen veri aliquid admixtum habeat*; immo istam ea de caussa recenset, vt exemplum atque documentum logicæ Abrahami proferat, siquidem antea dixerat: *hic* (Abrahamus) *in Chaldæa ex superstitiosis parentibus natus mature cœpit veram religionem a falsa dignoscere, & hanc argumentis infirmare ac confutare.* regulæ illæ logicæ hermeneuticæ XIII, ex quibus scientiam logicæ Mosis demonstrari posse nonnulli existimant, sola Iudæorum auctoritate nituntur, quæ si esset summa, quamuis leuior sit & lubrica, minime tamen huiusmodi regulæ constituunt logicam, præcipue quum ipsi Iudæi profiteantur, Mosen illas a Deo accepisse in monte Sinai. nugæ, quas prodidit ATHANASIVS KIRCHERVS, [1] quod Adamus fuerit theologus, philosophus, medicus, astrologus, chymicus, mathematicus, ex fabulis rabbinorum dimanarunt, quos vt etiam samaritanum paraphrasten consuluit, quibus si addidisset adhuc SALIANVM [2] & eos, qui adhuc de academiis, eloquentiæ sacræ arte Adami disserunt; major nugarum, quin etiam stultitiæ cumulus apparuisset.

§. XIII. Vt in summam redigamus, quæ iam copiose disseruimus; existimamus, quod Adamus, patriarchæ ac veteres Ebræi fuerint sapientes, id est omnia bona, quæ ad ipsorum felicitatem tum ciuilem, tum æternam promouendam spectabant, non solum diuina atque humana luce cognouerint; sed & studio ista

1 *Oedip. Aegypt. tom. II. part. I. class. I. p.* 48. 2 *annal. tom.* I. *p.* 107.

sint

ſint complexi. lumen illis erat ac cognitio veritatum, ſed plane ſimplex, nuda, haud ſubtilis, erudita aut ad præcepta logicæ conformata; id quod indoli harum perſonarum, etiam illius temporis conſentaneum. perſpiciebant mente ſua, ſuo iudicio quoque naturali verum & falſum, quum duces ſequerentur ſenſus externos, experientiam atque traditionem, ac per bonitatem intellectus adſequerentur multas conſequentias. ad qualem veritatis ſenſum peruenire, omnino in viribus ingenii naturalis poſitum eſt, quamuis ope logicæ ac cultura philoſophica haud politum ſit atque ornatum, vt adeo duplicem veritates cognoſcendi modum, alium vulgarem, alium eruditum ſiue logicum eſſe cenſeamus. philoſophus enim cognoſcit verum, certum ac probabile modo inueniendo illud, modo diiudicando: quum exempli cauſa id inuenire inſtituat, ſollicitus eſt de principiis, quæ in veritate certa deducit a definitionibus & diuiſionibus, ex quibus format propoſitiones, vt inde concluſiones varia ratione efficiat. ſic obſeruat vbique præcepta artis, quæ quod veteres patriarchæ & Ebræi ſint ſecuti, haud adfirmari, nec probari poteſt.

§. XIIII. In illis, qui logicas Adami, patriarcharum atque antiquorum Ebræorum commendant, magis intellectus, quam animus reprehendendus videtur. bona enim mente interdum origines litterarum e ſacro codice deriuant, quod præcipue de doctoribus eccleſiæ chriſtianæ conſtat, quibus princeps fuit propoſitum, dignitatem oraculorum diuinorum illuſtrare, atque ambitioni paganorum obuiam

obuiam ire. hinc oftendere elaborabant, omnia litterarum, de quibus pagani gloriabantur, magis pulcriora ac veriora contineri facris fcripturis, quin etiam afferebant, omnia quæ vtilia ac vera tradebant veteres philofophi, haufta fuiffe ex litteris diuinis. TERTVLLIANVS: [1] *quis poëtarum, quis fophiftarum, qui non omnino de prophetarum fonte potauerit? inde igitur philofophi fitim ingenii fui rigauerunt*; qua in re ipfum fequuntur TATIANVS [2] & EVSEBIVS. [3] quanquam doctores hi longius interdum, quam par erat, funt progreffi; ipfis tamen per temporis rationem facile poffumus ignofcere, fed quod recentiori ætate, qua hiftoria litteraria maxime culta eft, multi eodem vtantur inftituto, id eft, cujus nos occupat admiratio. Deus nobis aperuit fontes oraculorum diuinorum, vt inde viam ad falutem fempiternam perueniendi cognofcamus; minus autem, vt ex illis origines eruditionis humanæ deriuemus. hæc oracula continent effata diuina & Spiritus Sancti fermones, propter quam cauffam omnino maieftate cœlefti horum librorum indignum effe cenfemus, fcientias ope hominum inuentas ac propagatas ad eos accommodare, aut fpeciatim feruatoris noftri orationes ad logicæ Ariftotelicæ præcepta ac fyllogifmorum doctrinam examinare. hæc, quæ generatim monuimus, fufficiant, vt adeo haud neceffe effe exiftimemus, ad fingulas rationes, quas in gratiam logicæ Adami aliorumque Ebræorum veterum ftabiliendæ proferunt, refpondere.

1 *apologetic. cap. 47.* 2 *orat. contra græcos.* 3 *preparat. euang.*

LIBRI I.

LIBRI I. DE ORIGINE ARTIS LOGICAE.

CAPVT II. DE VERA ILLIVS ORIGINE ET PRIMA AETATE.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

De studio logices apud gentes barbaras §. I. *de logica veterum graecorum, ac speciatim : num philosophi Ionici ac Pythagoras hanc artem coluerint.* §. II. *quid occasionem illam colendi dederit.* §. III. *num Parmenides, an Zeno Eleates illius sit auctor.* §. IIII. V. *de sophismatibus, inprimis Protagorae.* §. VI. *de logica Democriti & Hippocratis* §. VII. *Socratis* §. VIII. *de praedicamentis Archytae Tarentini* §. IX. *de dialectica schola Megaricae, speciatim Euclidis* §. X. *de logica sophistica Eubulidis & aliorum huius sectae* §. XI. XII. XIII.

§. I. Confutauimus itaque illorum opinionem, qui logicam diuinam, angelorum mythicam, Adami, patriarcharum, veterum Ebræorum in historiis suis produnt, adeoque artis huius originem a prima, saltim antiquissima repetunt ætate. Quibus expositis, paganorum philosophiam ejusque monimenta contemplari necesse est, atque in eo quoque operam nostram collocare, vt veram ac genuinam disciplinæ huius philosophorum originem

nem deprehendamus. diuiditur autem philosophia gentium in barbaricam & græcam; illa iterum in *Asiaticam*, quæ est vel Chaldæorum, vel Persarum, vel Phœnicum, vel Sabæorum, vel Indorum; *Europaeam*, & *Africanam*, ad quam pertinent Aegyptii, Lybii & Aethiopes. quæ nationes, a Græcis in censu barbarorum habitæ philosophiæ quidem studia coluerunt; sed inprimis vires naturæ perquirere, ac res obscuras absconditasque scrutari elaborarunt, experientia ac traditione muniti, nec de sublimi & logicæ consentanea ratione, ad verum perueniendi solliciti. Simplex fuit modus philosophiam tractandi apud has gentes, a qua indole ratio, quam sequebantur græci, plane abhorrebat. equidem IO. PETRVS LVDOVICVS [1] censet, veteres Arabes artis huius fuisse studiosos, in cuius sententiæ argumentum adfert testimonium ABVLFARAII, [2] qui de antiquis Arabiæ incolis ita disserat: *eruditio autem Arabum, cuius gloriæ præcipue studiosi erant, hæc erat: linguæ suæ peritia; sermonis proprietas; carminum textura; orationum compositio; stellarum notitia.* ex quibus verbis clarissimus vir colligit, quod vetus Arabum gens se excoluerit dialectica, quæ *proprietate sermonis*, quam ABVLFARAIIVS a grammatica & rhetorica distinguat, sit intelligenda. atqui inde IO. COTOVICVS [3] tradat, hodieque Arabes, qui a pristino viuendi ac docendi more haud discesserint, reliquis litterarum studiis neglectis attingere dialecticam & rhetoricam. sed minus

1 *de philosoph. ration. apud Turcas* §. 5. *p.* 12. 2 *dynast. IX. p.* 101. 3 *lib. IIII. itinerarii Syriaci cap. XIIII. p.* 473.

inde

inde ſequi putamus, quod exiſtimauit LVDOVICVS, Arabibus fuiſſe ſtudium dialectices. potuit enim linguæ proprietas pertinere ad accuratiorem illius ſcientiam, quam explanare philologi munus eſt. quod ſi etiam heic ſignificari dialecticam, concedamus; leuius tamen eſſet argumentum, quod vnico teſtimonio, eoque obſcuro, cuius ſenſum coniectura tantum aſſequi liceat, niteretur. namque exemplum IOBI Arabis, quod adhuc a LVDOVICO vrgetur, probationi huic nullum pondus adiicere videtur, quoniam in ipſius libro nulla artis logicæ veſtigia adparent, vt iam ſuperoribus a nobis fuit obſeruatum.

§. II. Magna fuerunt ſtudia græcorum, quibus philoſophiæ litteris clarum lumen protulerunt, easque ſectati ſunt. nonnullis ſolemne eſt, duas philoſophiæ huius claſſes conſtituere, quarum altera eſt ſecta *Ionica*; altera vero *Eleatica*, quibus alii tertiam, *Italicam* quippe addunt, vide GERH. IO. VOSSIVM.[a] philoſophi ſcholæ Ionicæ, auctor illius THALES *Mileſius*, ANAXIMANDER *Mileſius*, ANAXIMENES *Mileſius*, ANAXAGORAS *Clazomenius* rebus naturalibus cognoſcendis, operas ſuas traditione adiuti conſecrarunt, in quibus philoſophiæ ſtudiis per ſolas naturalis ingenii vires ac traditionem ſeſe exercuerunt. ſectam *Italicam* condidit PYTHAGORAS, qui ambitioſus grauiſſimam auctoritatem ſibi conflare elaborabat, atque eiusmodi docendi rationem habebat, qua vera cogitandi libertas non poterat non opprimi; etiam artis logicæ remoueri fundamentum. etenim omnis ipſi-

a *de ſectis philoſophorum cap. 5.*

us di-

us disciplina, quam informanda atque instituenda iuuentute obseruabat, ad propriam auctoritatem erat composita, vide SCHILTERVM [1] & IO. SCHEFFERVM. [2] sic discipuli eius necesse habebant, duplex silentium, quod dicebatur ἐχεμυθία, obseruare sancte; quorum alterum erat perpetuum, ne arcanas praeceptoris doctrinas illis, qui philosophiam eius haud sectarentur, facerent manifestas ac notas; alterum certo temporis spatio, ac quidem, vt plures censent, quinque annorum definitum. quamquam A. GELLIVS [3] dicit: *eum, qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat & tempus certum tacere; non omnes idem, sed aliud aliis tempus pro aestimato captu solertiae.* hisce institutis animos discipulorum sensim ac sensim commouebat ad praua auctoritatis studia, vt effata praeceptoris veluti oracula diuina colerent, omnia propter summam eius existimationem crederent & loco rationum, quibus aliquid erat probandum, adferrent αὐτὸς ἔφα. atqui hoc αὐτὸς ἔφα illo aeuo erat logica, quum paruus numerus excellentium in philosophia virorum tantam ipsis conciliaret auctoritatem, vt vix errare posse viderentur. PETRVS RAMVS [4] *Pythagoras*, inquit, *circa sexagesimam olympiadem Italicae philosophiae princeps, mathematicas, physicas, medicas artes docuisse quidem dicitur; logicas (quod legisse meminerim) docuisse non dicitur: magnumque ejus rei indicium est, de logicis artibus ab eo nil esse*

1 *de disciplina Pythagorica.* 2 *de natur. & constitut. philosoph. Italic. cap. XII. XIII XIV.* 3 *noct. Attic. lib. 1. cap. 9.* 4 *schol. dialect. lib. 1. cap. 2. p. 513.*

institutum, quod quinquennii silentium discipulis suis imperauit, & ex omnibus logicae argumentis, vnicum illud expers artis tantum apud eius discipulos valuerit αὐτὸς ἔφα, ipse dixit: ipse vero Pythagoras erat. equidem sunt qui multa ad defensionem Pythagorae, in quo exemplum singularis modestiae atque humanitatis fuerit conspicuum, adferunt, prout quoque DIOGENES LAERTIVS [1] illud αὐτὸς ἔφα alii cuidam Pythagorae adtribuat. sed haec leuiora sunt, quibus multa alia, haud contemnenda testimonia repugnant, quae collegerunt AEGIDIVS MENAGIVS [2] & IO. ALBERTVS FABRICIVS. [3]

§. III. In secta *Eleatica* extitit ZENO, qui ex plurium sententia primus animum adpulit ad praecepta artis logicae tradenda, de cuius incunabulis antequam dicamus, non alienum erit, quid occasionem dederit hanc philosophiae disciplinam colendi, attingere. atqui hanc in caussam bene obseruat PETRVS GASSENDVS, [4] *quod quum viri quidam habiti sapientes aliquid egregie fuissent meditati, ratiocinatique, idque aut pronuntiassent aut scriptis mandassent: tum ipsimet, vel alii, imitationis studio, quale id fuisset, expenderint; qui vnaquaeque res cogitata, enunciata, deducta foret, attenderint, parem sibi esse in ceteris rebus procedendi modum seruandum censuerint: re succedente regulas & confecerint & conscripserint, quae sibi quidem monumenta, ceteris vero documenta forent, vt quum luberet, apposite,*

1 *lib. VIII. segm.* 46 2 *obseru. a Laertium d. l.* 3 *bibliotheca graec. lib. II, cap.* 12. *p.* 459. 4 *de logicae origine & variet. cap.* 1.

recte

recteque philosopharentur. namque quum philosophi instituerent iuuentutem, aut doctrinas consignarent litteris, sequebantur quidem primum solas naturalis ingenii vires, successu autem temporis obseruabant, quum adcuratius ad ipsas meditationes aduerterent animum, quod certo modo gignatur veritas, quod quadam in re ista sit posita, quodue inter se cohæreant cogitationes, atque his obseruationibus aut potius experientia incitabantur, vt de arte logices conscribenda cogitare inciperent. neque vero tantum experientia ista adtulit occasionem; sed posthac quoque scepticismus, cui quum alii philosophi sese obiicerent, recte beneque existimantes, esse certitudinem quamdam in veritate cognoscenda; necesse omnino habebant, modum ac fundamentum demonstrare, quo ad certam veri & falsi notitiam peruenire quis possit, quoue certitudo ista nitatur; atqui hæc est caussa, cur sensim ac sensim philosophi maiori studio ac cura artem hanc perpolire, ornare ac propagare elaborauerint.

§. IIII. Rudimenta igitur ac prima initia logicæ ad artem compositæ multi adtribuerunt ZENONI *Eleati.* sic apud DIOGENEM LAERTIVM [1] ARISTOLES auctor est, Zenonem hunc inuenisse dialecticam, quod & ipse LAERTIVS [2] testatur; & SVIDAS: *τῦτόν φασιν εὑρετὴν εἶναι διαλεκτικῆς, ὡς Ἐμπεδοκλέα τῆς ῥητορικῆς*, quum disserat de Zenone. quibus veterum testimoniis nonnulli ex recentiori æuo sunt commoti, vt merita inuentæ

1 *lib. IX. segm. 25. add. Sextum Empiric. aduersus mathem. lib. VII. p. 193.* 2 *proemio.*

dialectices vindicauerint quoque Zenoni, PETRVS RAMVS, [1] GERHARDVS IO. VOSSIVS, [2] PERVS GASSENDVS. [3] fuit autem ZENO *Eleates*, *Parmenidis* auditor & *Melissi*, praeceptor *Leucippi* ac *Periclis*, clarus circa olympiad. LXXIX. de cuius vita & scriptis quae olim ferebantur, videri possunt interpretes DIOGENIS LAERTII, [4] THOMAS STANLEIVS, [5] PETRVS BAELIVS, [6] IO. ALBERTVS FABRICIVS. [7] quod speciatim ad ipsius logicam adtinet, obseruat PETRVS GASSENDVS, [8] illius tres partes fuisse, *consequutionum*, *dialogorum*, & *contentionum*. prima ars erat *consequutionum*, qua tradidit regulas ac varios modos consequutionum deducendarum, quorum XXIV. numerat PROCLVS. [9] haec prima dicitur a nonnullis *dianoetica*, siue bene cogitandi ars; secunda fuit ars *dialogorum*, qua scite rogandi respondendique dedit praecepta, ad colloquia bene instituenda apta atque vtilia, quae a quibusdam adpellatur *dialectica*, quasi *dialogica* siue dialogistica. nam, vt DIOGENES LAERTIVS [10] obseruat, *διαλόγους φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην*, *dialogos primum Zenonem Eleatem scripsisse feruunt*, id quod LAERTIVS in vita huius Zenonis haud adnotauit nisi quum ex Aristotelis testimonio referat, Zenonem inuenisse artem dialectices, ad hanc *dialectices* vocem etiam dialogos refer-

1 *Schol. dialect. lib. 1. cap. 3.* 2 *de nat. & constitut. log. cap. VIII. § 2.* 3 *de origine & variet. logic. cap. 1.* 4 *lib. IX. segm. 25.* 5 *histor. philos. p. 881. edit. latin.* 6 *dictionar. hist. crit. voc. Zen.* 7 *bibl. graec. lib. II. c. 23. §. 29. p. 824.* 8 *cit. loc. cap. 2.* 9 *in Platon. Parmenid.* 10 *lib. III. segm. 47.*

re velimus. ex quibus patet, quod pretium ponendum sit illorum opinioni, quibus PLATO primus dialogos introduxisse visus est, quod scribendi genus eum ornasse ac maiori cura sectatum esse, nemo dubitabit, confer CAROLVM SIGONIVM [1] & GEORGIVM PASCHIVM. [2] tertia Zenonis ars dicitur ἐριστική, quam ipsi AELIANVS aliique adtribuunt; quamuis LAERTIVS autorem *eristices* esse PROTAGORAM adfirmet, vt paullo post pluribus obseruabimus.

§. V. Sic ZENO *Eleates* creditur auctor logicæ artis. Sed tamen legimus apud DIOGENEM LAERTIVM [3] de PARMENIDE, quem audiuit ZENO, quod existimauerit, duplicem esse philosophiam, alteram ex veritate; alteram ex opinione, cuius rei ALDOBRANDINVS [4] collegit testimonia alia; item quod PHAVORINVS testetur, Parmenidem inuenisse argumentationem, quæ adpellatur *Achilles*. inprimis autem doctrina, qua maxime clarus extitit, ea est, quam de ideis proposuit, a PLATONE explicata dialogo, quem inscripsit *Parmenidem*, cujus summam exhibet THOMAS STANLEIVS. [5] quæ si quis expendat diligenter, facile in dubitationem adduci potest, num in ZENONIS meritis inuenta dialectica debeat numerari, nec ne? quin etiam, si BESSARIONI, [6] qui opus Parmenidis de veritate & opinione commemorat, fides habenda sit, sine vlla dubitatione Parmenidi laus hæc de prima dialectices cura vindi-

1 *libr de dialogo.* 2 *diatrib. de vsitata veterum exemplo ratione tradendi per dialogos.* 3 *lib. IX. segm. 22.* 4 *not. ad Laertium p. 561.* 5 *histor. philos. p. 877. edit. latin.* 6 *contra calumniatorem Platonis lib. II. cap. II.*

canda erit. at vero quum veteres scripta eius physica tantum laudent, etiam probabile sit, quod philosophus hic de diuersitate veritatis atque opinionis modo differuerit; minus autem praecepta quaedam hoc de argumento consignauerit litteris; saltim Zeno primus haberi potest, qui de doctrina logicae cogitare, eiusque quaedam dare praecepta instituerit. quidquid sit, satis apertum esse putamus, quod in schola Eleatica philosophi primam curam ad artem hanc contulerint, siue Parmenides, siue Zeno operi huic primus admouerit manus. sunt quidem, qui inuentionem logicae tribuere videntur PLATONI, VT PHAVORINVS apud LAERTIVM, [1] quoniam antiquissimi philosophi a Pythagora ac Thalete vsque ad Socratem naturae tantum inquisitioni fuerint dediti; Socrates autem primus adiecerit doctrinam de moribus; ac post hunc Plato dialecticen, qui & ipse multa argumenta ad artem hanc spectantia explanauerit. sed si verba LAERTII inspiciamus diligenter, deprehendimus, quod Plato verius doctrinam hanc maiori cura expolire, eam ad partes philosophiae referre, ac quae ex disciplina atque institutione Socratis hauserat, ad publicum transferre usum instituerit, quod ex ipso Platone potest confirmari, qui inuentionem artis huius Zenoni, aut si velis, etiam Parmenidi tribuit. nec ad illorum opinionem accedere possumus, qui Socratem, auctorem logicae adferunt, quippe quem a definiendi & diuidendi gloria commendet ARISTOTELES; [2] si-

[1] lib. III. segm. 24. [2] methaphys. lib. XIII. cap. 4.

quidem

quidem CHRISTIANVS THOMASIVS, recte dicit: *Socrates videtur initia iecisse logica vtendi ad inquisitionem veritatis & Aristoteli commendatur tanquam gnarus definiendi & diuidendi.*

§. VI. Rudimenta hæc erant logicæ, cuius præcepta, quæ philosophi hi tradebant, neque integro operi de veritate cognoscenda sufficiebant, neque singularem adferebant vtilitatem. facile quidem successu temporis doctrina hæc ad maiorem elegantiam ac perfectionem peruenire potuisset; nisi praui adfectus & malitia hominum feliciori progressui intulissent moram atque impedimentum, quo minus prosperiora cœperit incrementa. nam vix philosophi cogitauerant de ratione cogitationes dirigendi, ac via ad cognitionem veri at falsi monstranda, quum logica, quæ fallaciis struendis inseruit, hominum ingenia ac mentes occuparet. ante PROTAGORAM nota erat argumentatio dicta *Achilles*, & eo respiciebat, vt negaretur motus; cuius adpellationem multi inde deriuant, quod vt Achilles, non possit superari aut solui, id quod veritati repugnat. nam nomen hoc ortum est a tali adsumtione: *num Achilles currendo testudinem adsequi potest? ad modum. atqui si motus est, Achilles testudinem non adsequetur: non est igitur motus.* argumentum hoc ab ARISTOTELE [2] & DIOGENE LAERTIO Zenoni; [3] a PHAVORINO vero apud LAERTIVM [4] Parmenidi adtribuitur, vide AEGIDIVM MENAGIVM [5] & PETRVM GAS-

1 *philos. aulic. cap. IV. § 6.* 2 *physicor. libr. VI. cap. 14.* 3 *lib. IX. 29.* 4 *lib. IX. segm. 23.* 5 *not. ad Laert. II. segm. 108. p. 123. lib. IX. segm. 23. p. 402.*

SENDVM. [1] PROTAGORAS *Abderites*, σοφία dictus & λόγος, quum & philosophiæ & eloquentiæ operam dedisset, viam paravit sophismatibus, siquidem non solum scripsit teste LAERTIO [2] τέχνην ἐριστικῶν *artem contentionis*, item duos libros ἀντιλογικῶν, *contradictionum*, quum profiteretur primus, duas esse rationes de quacumque re oppositas sibi, iuxta quas etiam instituit quæstiones; sed & ipse huiusmodi fallacias adhibuit easque proposuit. in primis notum est ipsius argumentum, a græcis dictum ἀντιστρέφον, quo visus aduersus discipulum Euathlum fertur, id quod pluribus commemorant A. GELLIVS, [3] APVLEIVS, [4] LAERTIVS; [5] simile autem quid refert SEXTVS EMPIRICVS [6] de *Corace*, qui rhetor fuit Siculus & Protagora antiquior, vt patet ex QVINCTILIANO. [7]

§. VII. Magnum splendorem scholæ Eleaticæ effecit DEMOCRITVS, qui teste Aristotele [8] primus ostendisse traditur, quod rerum naturæ dari possint definitiones, ideoque a nonnullis inter logices cultores refertur, præcipue a IACOBO FRIDERICO REIMMANNO. [9] sed testimonia illa, quæ hanc in caussam proferuntur, & apud PETRVM RAMVM [10] legi possunt, admodum leuia sunt, hinc & BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [11] ea de re adhuc dubitat, quum dicit: *Democritus, anno maior Socrate, etiam forte*

1 *de origin. & variet. logic. cap. 2. p. 39.* 2 *lib. IX. segm. 55.* 3 *noct. Attic. lib V. cap. 10.* 4 *florid.* 5 *lib. IX. segm. 56.* 6 *aduersus mathemat. p. 81.* 7 *lib. III. cap. I.* 8 *de partib. anim lib. 1. cap. 1.* 9 *critis. geschichts-Calender der logic. p. 8.* 10 *schol dialect. lib. 1. cap. 3. p. 316.* 11 *praecognit. logic. tr. II. cap. 2. §. 9.*

aliquid

aliquid logicum dedit, si ita ex titulis librorum, quos Laërtius recenset, coniectare velimus. nam quamuis DEMOCRITVS dixerit, quid sit frigidum, quid sit calidum, quod de eo obseruauit ARISTOTELES, id tamen nondum probat, DEMOCRITVM versatum fuisse in disciplina logicæ. inter discipulos eius a quibusdam refertur HIPPOCRATES, quamuis alii hoc dubium esse censent, & obseruant, quod non prius cognitus Hippocrati videatur fuisse Democritus, quam quum ad illum curandum vocaretur Abderam, præcipue si vera sint, quæ habeat AELIANVS [1] de cetero HIPPOCRATIS merita celebrantur in logicam, quæ refert PETRVS RAMVS: [2] *Hippocrates medicus, horum ætate paullo inferior & inuentionis & dispositionis partes proposuit: similitudinem & dissimilitudinem commendauit: vitia diuisionis in veteribus, (vt Galenus ait) studiose reprehendit: immo vero effectorum, adiunctorum, una cum methodica & artificiosa dispositionis forma locum comprehendit.*

§. VIII. Nunc conuertimus nos ad SOCRATEM, cui genuina & germana logicæ disciplina multum debet. nam quamuis ipse nullam habuerit scholam, nec quidquam scripserit, quod adfirmant CICERO, PLVTARCHVS, ARISTIDES, DIO *Chrysostomus*, LAERTIVS & alii, & ex recentioribus GOTTFRIED OLEARIVS [3] aduersus LEONEM ALLATIVM [4] solide probauit; singulari tamen iudicii virtute præditus erat, quam etiam

1 *var. histor. lib. IIII. cap. 20.* 2 *citat. loc.* 3 *de scriptis Socratis p. 198. edit. lat. Stanlei histor. philos.* 4 *de scriptis Socratis.*

ad eruendam veritatem adhibuit, forti animo disputauit contra sophistas hisque exercitiis viam monstrauit ad maiorem logicæ culturam philosophisque vehementiores admouit stimulos. CICERO magnificis laudibus ornat SOCRATEM, quando dicit; [1] *Socrates primum philosophiam deuocauit de cælo & in urbibus collocauit, & in domos etiam introduxit & coëgit de vita, & moribus rebusque bonis & malis quærere*: *item* [2] *quorum princeps Socrates fuit, is qui omnium eruditorum testimonio, totiusque iudicio Græciæ cum prudentia, & acumine, & venustate & subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps.* nec desunt, qui adfirmant, Socratem artem quoque logicæ habuisse explanatam ac cognitam, quoniam per temporis rationem audire potuerit Zenonem, & ex ipsius disciplina hæc adiumenta colligere; quin etiam de eo testetur ARISTOTELES, [3] ipsi deberi artificium *definiendi*, siue vt alii interpretantur, *inductionis*; cuius cognitionis documenta ad hæc Platonis dialogi exhibeant. quapropter PETRVS RAMVS [4] dicit; *Socrates vniuersos vnus non tantum ethica, sed hac logica philosophia longissime superauit; qui tametsi magister in schola nunquam fuit, nunquam artis cuiusquam professor ac doctor videri voluit, immo litteram nullam scriptam reliquit: e discipulorum tamen atque inprimis Platonis sermonibus, satis constat, omnium philosophorum*

1 *Tuscul. quaest. lib. V. cap* 4. 2 *de oratore lib. III cap.* 16. 3 *lib. XIII. cap.* 4. *metaphys.* 4 *scholis dialecticis libr.* 2. *cap.* 4.

superio-

superiorum non solum natura, sed arte & vsu λογικώτατον fuisse.

§. IX In hanc ætatem ARCHYTAS *Tarentinus* incidit, cuius seruus fuit Plato, emtus a Polide navarcho, cui ipsum vendidit Dionysius tyrannus, vt TZETZES [1] tradit. sub ipsius nomine adhuc exstat περὶ τῶ παντὸς φύσιος libellus, dorice scriptus, quo primus vniuersa in decem classes, quas vulgo *categorias* siue *prædicamenta* vocamus, Archytas distribuit: prodiit græce, & latine Venetiis MDLXXI 8. & græce cura IOACHIMI CAMERARII Lipsiæ sine temporis nota 8. librum hunc commemorant SYRIANVS, [2] SIMPLICIVS, [3] BOETHIVS, [4] AMMONIVS [5] DEXIPPVS [6] qui Iamblichi discipulus, litteris consignauit libros quæstionum in categorias. THEMISTIVS vero negat, Architam, qui de decem prædicamentis scripsit, fuisse Pythagoricum illum antiquum; sed quemdam iuniorem Peripateticum, qui veteri nomine nouo operi conciliare voluerit auctoritatem, vbi & obseruandum esse putamus, quod ea, quæ SIMPLICIVS ex Archyta affert, in libello, qui eius nomen præ se habet, haud reperiantur. est adhuc alius liber Archytæ περὶ τῆς δεκάδος, quem eundem esse cum libro περὶ τῶ παντὸς censet IO. ANDREAS SCHMIDIVS, [7] sed præter veritatis speciem. nam in illo de natura & proprietatibus numeri egerat, quod in hoc περὶ παντὸς minime facit, confer GERH. IO. VOSSIVM [8] & IO. ALBERTVM FA-

1 XI. *hist.* 362, X, *hist.* 359. 2 *in Hermogenem* 3 *in categorias.* 4 *arith. II.* 41. 5 *in quinque voces Porphyrii.* 6 *lib.* 1. *cap.* 6. *lib.* III. *cap.* 1. 7 *differt. de Archyta Tarent.* 8 *de nat. & constitut. logic. cap. VIII.* §. 3. *p.* 28.

BRICI-

BRICIVM.[1] quod si Archytas hic fuerit Pythagoricus ille, capere possumus coniecturam, quod hac doctrina explanare voluerit *denarium Pythagoricum*, nisi potius eo respiciat liber περὶ τῆς δεκάδος. at vero siue Archytas Pythagoricus; siue alius quidam Peripateticus exposuerit decem categorias, genuina tamen ars cogitandi per hanc doctrinam haud accepit incrementa, quoniam istæ tantum notiones sunt mente separatæ, nec accuratius in suas distributæ classes.

§. X. Discipulus Socratis fuit EVCLIDES *Megareus*, conditor disciplinæ Megaricorum, qui postea ἐριστικοὶ, siue contentiosi, ac exinde a nonnullis διαλεκτικοὶ, quia se se in dialecticis exercerent, dicti sunt, quos ita primus Dionysius Carthaginiensis ideo adpellauit, quod interrogando ac respondendo sermones librosque componerent, vt habet DIOGENES LAERTIVS.[2] ZENO quidem *Eleates* a quibusdam dicitur auctor eristicæ disciplinæ, vt ex libro historiæ philosophicæ, qui inter GALENI scripta legitur, iam obseruarunt viri docti; sed GERH. IO. VOSSIVS[3] recte dicit: *facile hæc conciliantur. primi enim Parmenides eiusque discipulus Zeno Eleates quædam mouere circa dialecticen. Euclides autem Megaricus, Parmenidis librorum inprimis erat studiosus, vt Laërtius est auctor. quare credibile est, in dialecticis secutum esse Parmenidem eiusque discipulum Zenonem. alii igitur Zenonem fecere auctorem sectæ eristicæ, quia is primus contentiones dialecticas mouit; alii Eu-*

1 *bibl. græc. lib* II. *c.* 13. *p.* 394. 2 *lib.* II. *segm.* 106. 3 *de sectis philos. cap.* XL. §. 3. *p.* 65.

clidem

clidem, quia is promouit atque auxit. quod ad EVCLIDEM speciatim adtinet, DIOGENES LAERTIVS [1] de eo scribit: Ταῖς ἀποδείξεσιν ἐνίστατο, οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ καθ' ἐπιφοράν, quæ verba plerumque latine ita transferuntur: *vtebatur probationibus non his, quæ per assumtiones, sed quæ per conclusiones fiunt*; item: *insistebat demonstrationibus non his, quæ per propositiones, sed quæ per conclusiones fiunt*. sed si iudicium atque auctoritatem CICERONIS sequi velimus, ἀπόδειξις significat *argumenti conclusionem*; & λήμματα *sumtiones*, quando dicit: [2] *sed demus tibi istas duas sumtiones: ea quæ* λήμματα *appellant dialectici: sed nos latine loqui malumus*; item: [3] *itaque argumenti conclusio, quæ est græce.* ἀπόδειξις *ita definitur: ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* qua propter existimamus, DIOGENEM LAERTIVM significare, quod moris fuerit apud Euclidem, aliorum sententias ac conclusiones confutare non per contraria principia; sed per conclusiones, quæ continebant varia incommoda. adhæc de eo tradit LAERTIVS, quod disputationem, quæ fiat per similitudinem, sustulerit, dicens: illam aut ex similibus consistere, aut ex dissimilibus. si ex similibus consistat, circa ipsa potius, quam quibus sint similia, versari rationem debere; sin autem ex dissimilibus, superuacaneam esse comparationem.

§. XI. EVCLIDEM audiuit EVBVLIDES, præceptor Alexini & rhetoris Demosthenis, qui reprehendit Aristotelem, vt IO. IONSIVS

1 *citat. loc.* 2 *de diuinatione lib. II. cap. 53.* 3 *quæst. acad. lib. II. c. 8.*

obser-

i obseruauit. hic varia argumenta captiosa adhibuit, quæ commemorat DIOGENES LAERTIVS,[2] illustrant autem PETRVS GASSENDVS,[3] AEGIDIVS MENAGIVS,[4] THOMAS STANLEIVS.[5] non ab re erit, heic quoque ista argumenta adtingere breuiter:

I. ΨΕΥΔΟΜΕΝΟΣ; *mentiens*, vt vocatur a CICERONE,[6] quæ argumentatio a materia hanc adpellationem habet, quoniam exempli causa sumitur is, qui *mentitur*, hac ratione: *num mentitur is, qui mentiri se dicit?* cui si respondeas *mentiri*; colligitur, *non mentiri, quoniam vere dixerit, se mentiri.* quod sophisma tanti habitum fuisse, testatur SENECA,[7] vt haud pauci libri de eo sint conscripti, id quod LAERTIVS[8] de Chrysippo commemorat; ATHENAEVS[9] autem & SVIDAS[10] produnt memoriæ, Philetum Coum propter nimium studium in eo soluendo positum contraxisse phthisin & illius vi correptum, excessisse e vita. mentionem illius facit quoque ARISTOTELES.[11]

II. ΔΙΑΛΑΝΘΑΝΩΝ, *fallens*, quod sophisma hoc modo struitur: *nosti patrem tuum? noui. nosti hominem illum, qui latet? non noui. ergo patrem tuum non nosti: nam ille pater tuus est.*

III. ΗΛΕΚΤΡΑ, *Electra*, quod argumentum nomen habuit ab Electra, Orestis sorore, quæ in tragœdia Sophoclis Orestem fratrem

1 *de scriptoribus hist philos passim.* 2 *lib.* II. *segm.* 108. 3 *de origin. & variet logic. cap.* III. 4 *not. ad Diog Laërt. p.* 132. 5 *histor. philos. p.* 265. 6 *de diuinat lib.* II. *cap.* 4. *acad. quæstion.* IV. 30. 7 *epist.* 45. 8 *lib.* VII. 196. 9 *lib.* IX. *p.* 401. 10 *voc.* φιλητ. 11 *lib.* VII. *cap.* 3. *ad Nicom.*

suum

suum nouit & non nouit. scilicet Electra cognitum habebat quod Orestes sit frater; sed ipsi erat incognitum, quod ille, cum quo disserebat, sit frater Orestes, quod sophisma commemorat LVCIANVS.[1]

IV. ΕΓΚΕΚΑΛΥΜΜΕΝΟΣ, *coopertus*, quæ argumentatio etiam hanc adpellationem accepit a materia. exemplum illius exhibet LVCIANVS[2] hac ratione; CHRYSIPP. *responde mihi. nostine patrem tuum?* MERCATOR, *maxime*, CHRYSIPP. *quid igitur, si prope te statuerem opertum quempiam atque interrogarem, nostine hunc? quid diceres?* MERC. *scilicet me non nosse.* CHRYS. *atque hic tuus erat pater, itaque si istum non nosti, palam est, patrem tuum non nosse.* ex quo patet, quod sophisma hoc cum superiore, quod dicebatur διαλανθάνων, conueniat.

V. SORITES, quem CICERO[3] adpellat *aceruale*m, quoniam per hoc sophisma quis cogatur fateri, quod aceruus, græce σωρὸς efficiatur vno addito grano, aut nunquam aceruus sit futurus. quæritur enim: *num vnum vel duo grana sint aceruus, nec ne.* si hoc negatur, additur vnum: *num tria sint aceruus?* quæ multiplicatio semper fit, donec quis fateatur, esse aceruum; quo facto, alter inde colligit conclusionem: *ergo aceruus efficitur vno grano addito.* præter CICERONEM huius argumentationis etiam mentionem faciunt LAERTIVS, LVCIANVS, SENECA, QVINCTILIANVS, VLPIANVS.

VI. ΚΕΡΑΤΙΝΗ, siue ΚΕΡΑΤΙΣ, id est *cor-*

1 *vitar. auction.* 2 *cit. loc.* 3 *de diuinat. lib. II. cap. 4.*

nutus

nutus, quod ſophiſma etiam nomen ſortitum eſt ab exemplo, hac ratione: *habes, quod non amiſiſti; non amiſiſti cornua, ergo habes cornua.* SENECA [1] recte iudicat: *ceterum qui interrogatur, an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, vt frontem ſuam tentet, nec rurſus tam ineptus aut hebes, vt non habere ſe neſciat, quod tu illi ſubtilisſima collectione perſuaſeris. ſic iſta ſine noxa decipiunt; quomodo præſtigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipſa delectat*: adde A. GELLIVM [2].

VII. ΦΑΛΑΚΡΟΣ, cuius etiam DIOGENES in EVBVLIDE meminit. MENAGIVS [3] autem hæc obſeruat: *exemplum huius argumentationis non memini me legere: neque vnde dicta ſit, noui. forte ab hoc exemplo: qui non habet pilos in capite, caluus eſt. raſus non habet pilos in capite. ergo raſus caluus eſt.*

Atqui hæc ſunt ſophiſmata, quæ LAERTIVS notat in EVBLIDE.

§. XII. Quodſi heic reliquos philoſophos diſciplinæ Megaricæ perſequi liceret, nihil aliud de illis commemorare poſſemus, quam quod logicam ſophiſticam ſingulari ſtudio propagauerint. Euclidem quoque audiuerat CLINOMACHVS THVRIVS, de quo refert LAERTIVS, [4] quod primus ſcripſerit περὶ ἀξιωμάτων καὶ κατηγορημάτων καὶ τῶν τοιούτων; item STILPO *Megarenſis*, de quo idem LAERTIVS [5] tradit: ἀνῄρει καὶ τὰ εἴδη, καὶ ἔλεγε τὸν λέγοντα ἄνθρωπον εἶναι, μηδένα. οὔτε γὰρ τόνδε λέγειν, οὔτε τόνδε. τί γὰρ μᾶλλον τόνδε ἢ τόνδε; οὔτε ἄρα τόνδε, *ſpecies quoque*

1 epiſt. 45. 2 libr. XVI. cap. 2. 3 ad Laërt. p. 123. 4 lib. II. ſegm. 112. 5 lib. II. ſegm. 119.

tolle-

tollebat, dicebatque qui hominem diceret, neminem dicere. non enim hunc aut illum dicere. quid enim hunc magis, quam illum? non igitur hunc; quae verba maxime sunt obscura. quod si autem per τὰ εἴδη intelligamus illa vniuersalia, siue praedicabilia, quae in scholis traduntur, & post verbum εἶναι, addamus εἰπεῖν aut λέγειν, videtur STILPO hoc significasse, quod illa vniuersalia re ipsa haud reperiantur, sed quaecumque sensibus nostris percipiamus, sint singularia, qua interpretatione sententia haec haud reiicienda erit. legi autem adhuc potest liber PLVTARCHI πρὸς Κολώτην, quo opinionem Stilponis adfert, eamque contra Colotem tuetur. nihilominus deditus erat cauillationibus, quarum exempla suppeditat LAERTIVS. [1] Eubulidis institutione vsi sunt ALEXINVS, APOLLONIVS CRONVS, cuius auditor fuit DIODORVS CRONVS, de quo LAERTIVS: [2] ἦν καὶ οὗτος διαλεκτικὸς, πρῶτος δόξας εὑρηκέναι τὸν ἐγκεκαλυμμένον καὶ κερατίνην λόγον κατά τινας, *erat & iste dialecticus, primusque inuenisse a quibusdam existimatus est inuolutum & cornutum disserendi genus.*

§. XIII. Cognoscimus igitur ex his, quae iam disseruimus, quam rudiora fuerint artis huius initia; & quam frequens ab ipsius incunabulis extiterit eius deprauatio. nam plerique, praesertim in schola Megarica dialecticae litteris eum in finem operabantur, vt promte disserere, ingenia ostentare, & per malitiam mentis incitati, aliis fraudes ac fallacias facere possent. sed videamus de progressu huius disciplinae, quum maior & splendidior philosophiae lux in graecorum gente exoriretur.

1 *lib. 2. segm. 116.* 2 *lib. 2. segm. 111.*

LIBRI II.
DE
PROGRESSV AC FATIS LOGICAE.

CAPITIS I.
DE
PROGRESSV AC FATIS ARTIS LOGICAE GENERATIM PER VARIOS AVCTORES.

SECTIO I.
TEMPORE ANTIQVO.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *de dialectica veterum* (1) ante natum Christum, *ac quidem* α) paganorum, primum *graecorum, vbi differitur de dialectica Platonis* §. II. III. IV. *Platonicorum* §. V. *de logica Aristotelis* §. VI. VII. VIII. IX. *ejus discipulorum* §. X. *de dialectica Stoicorum* XI. XII. XIII. XIV. XV. *de canonica Epicuri* §. XVI. XVII. XVIII. deinde *romanorum* §. XIX. XX. β) iudaeorum §. XXI. (2) post natum Christum, *vbi differitur de interpretibus Aristotelis graecis* §. XXII. latinis §. XXIII. *de logica Galeni* §. XIV. *Porphyrii* §. XXV. *quorumdam patrum ecclesiae:* §. XXVI.

§. I. HActenus de origine ac prima aetate artis huius, cuius progressus ac fata iam contemplabimur, ordinem temporis obseruantes. quapropter primum vetustiora tem-

tempora ab ætate Platonis vsque ad seculum sextum post natam generis humani salutem illustranda nobis proponamus, ita vt quid effecerint philosophi pagani, iudæi ac Christiani, videamus. ex gentibus græci inprimis clarissima nomina a se dederunt propter philosophiæ litteras, apud quos post Socratem quatuor præcipue sectæ, *Platonica*, *Aristotelica*, *Stoica* & *Epicurea*, excelse floruerunt, quarum studia in artem hanc, accuratius commemorare operæ pretium esse ducimus. quæ si exposuerimus, transeamus ad gentem romanorum, vt quæ fortuna logicæ apud illos fuerit, cognoscamus.

§. II. Secta Platonica originem ac nomen suum debet PLATONI, cuius dialecticam perspicue exponere, res omnino difficilis est atque ardua. ipse enim nunquam integram logicæ doctrinam ex instituto tradidit; sed quæ hac in re sensit, in ipsius dialogis, Sophista, Phædone, Menone Phædro, item de republica Cratylo fusa deprehendimus. nec APVLEIVS atque ALCINOVS, qui operam suam in recensendis philosophiæ Platonicæ argumentis posuerunt, nobis satisfacere possunt. namque ille animum quidem induxerat, triplicem Platonis philosophiam explanare, quod etiam ratione doctrinarum de natura ac moribus præstitit; rationalem vero disciplinam minus attigit, id quod etiam fere de ALCINOO adfirmare licet. dialecticam quippe Platonis ad rationem formamque logicæ Aristotelicæ adcommodauit, ac eiusmodi tradidit momenta, quæ ipsi partim minus sunt propria; partim vero cum eius philosophia

haud cohærent. quantum ex dialogis Platonis cognoscimus, vocem *dialecticæ* duplici significatione adhibuisse videtur. primum intellexit per dialecticam ipsam sapientiam, siue eiusmodi cognitionem rerum diuinarum ac spirituum, inprimis summi boni, per quam ingenia feliciora & multa scientia exercitatione que exculta satis istas res cognoscant vere & pure, sine imaginibus. scilicet quatuor cognitionis nostræ gradus statuit PLATO, quorum primus sit ἐπιστήμη, *scientia*, secundus διάνοια, *ratiocinatio*, tertius πίστις, *fides*, quartus εἰκασία, *assimilatio*. primum & vltimum vindicat dialecticæ: [1] confer IO. IACOBVM SYRBIVM. [2] versabatur Plato in summo errore, quod animæ rerum singularum adeoque hominum haustæ sint ac tractæ ex anima mundi, quæ quum esset essentiæ diuinæ, credebat quoque, mentem humanam emanasse ex Deo, vt supra [3] pluribus id a nobis expositum est. quo errore, qua veræ mentis nostræ indolis ignoratione ductus, porro sibi persuadebat, intellectum nostrum esse scientem omnium rerum, quarum ideas illum continere, veluti ipsam ideam siue typum omnium formarum, quæ imprimantur rebus. at vero quum crederet, materiam fontem esse omnis mali, inde efficiebat conclusionem, quod anima cum corpore coniuncta, fuerit deprauata, ac speciatim intellectus contraxerit sibi tenebras & venerit in obliuionem rerum omnium, quas antea, quum adhuc animo mundi, siue suo

1 *lib. VI. de republ. p. 511. lib. VII. p. 533.* 2 *de philosophia prima in locum & honorem suum restituenda* §. *XV. p. 19. adde Votsium de natur. & constit. logic. cap. XII.* §. 1. 3 *pag. 308.*

prin-

principio fuerit iuncta, habuerit cognitas. quapropter existimabat Plato, mentem humanam, veluti in specum tenebrarum plenam detrusam excitari per formas seu species rerum, quæ sensibus percipiuntur, vt sensum ac sensim per varios reminiscentiæ gradus pristinum lumen recuperet, ac ad ipsius solis, id est, primi entis, primi principii, nec non formarum, specierumue intellectu tantum percipiendarum, hoc est idearum notitiam perueniat. atqui in eo positum esse finem dialecticæ censebat, vt illius ope mens purgetur a prauis opinionibus, ac germanam scientiam primi entis, rerum materiæ expertium, formarum, quæ per intellectum tantum cognoscuntur, recuperet. nam tradit, quod illarum rerum, quæ in sensus cadant, cognitio in opinione consistat, siquidem non solum sensus sint fallaces, sed res ipsæ quoque fragiles & caducæ. antequam vero connitamur ad hanc scientiam, iubet Plato, mentem præparare litteris mathematicis, vt conceptus ac rationes a rebus ipsis separatas capere, deque illis cogitare adsuescat.

§. III. Deinde Plato nomine *dialectices* complexus est scientiam de via ad ipsum finem perueniendi, vt hac significatione muneris sit dialectici, viam monstrare, qua mens ex obliuione ad priorem notitiam & lucem deduci possit. hinc dialecticæ officium esse docet, analysi quadam dirigere mentem ad primum verum, quæ quum ad hoc fuerit euecta, possit se iterum conuertere ad res sensibus cognoscendas, illasque diligenter expendere, ita tamen vt ad ipsum primum reuertatur & in eo denique conquiescat. ALCINOVS tres *ana-*

lyſeos ſpecies obſeruat ex Platone. prima eſt quæ conſiderat res ſingulares ſiue ſenſuum, & inde aſcendit ad res, quas ratione atque animo videmus, vt ſi a pulcro, quod corporibus ineſt, ad id, quod animorum eſt, ab hoc ad aliud in vitæ officiis, ab hoc rurſus ad aliud, quod continetur legibus & ad ipſum tandem mare illius immenſum adſcendimus, adeo ut quod reliquum eſt, ipſum pulcrum per ſe denique adſequamur. ſecunda analyſis eſt, qua ex demonſtratis primas & quæ medio carent, propoſitiones colligimus, quod hoc modo fit. quæſtione poſita: *num animus ſit immortalis?* quæritur: *num idem ſemper moueatur?* quo demonſtrato, alia quæſtio inſtituitur: *num id quod mouetur ſemper, per ſe moueatur?* iterumque hoc demonſtrato: *num quod per ſe ipſum mouetur, motus principium ſit?* & poſt hoc: *num origine careat principium*, quod vt certiſſimum ab omnibus admittitur, ita quoque hoc: *quod ingenitum eſt, interitus quoque eſſe expers.* a quo, quum ſit perſpicuum, demonſtratio hac ratione colligitur; *ſi principium originis expers, erit & interitus: at quod per ſe mouetur, motus eſt principium: per ſe autem anima mouetur: expers ergo & interitus & originis, & immortalis eſt anima.* tertia analyſis eſt, quæ ex ſuppoſitione ad ea, quæ ſine ſuppoſitione ſumuntur, pergit principia, hac ratione. qui aliquid quærit, illud primo ipſum ſupponit, deinde quid ex ſuppoſito ſequatur, aduertit; tum vero ſi ipſius ſuppoſitionis reddenda ſit ratio, alio ſuppoſito, quærit, num id, quod prius fuerat ſuppoſitum, rurſus ad aliam ſequatur ſuppoſitionem, idemque ſem-

ſemper obſeruat, donec ad illud, quod non ex ſuppoſitione ſumitur, peruenerit principium, vti has ſpecies explicat ALCINOVS. [1] vt autem mens rectius his reſolutionis generibus vtatur, neceſſariam eſſe exiſtimat Plato *diuiſionem*, quo genera in ſpecies & totum in partes diſtribuat, ac cum diuiſione etiam *definitionem*, vt illius ope rei cuiusdam indoles cognoſcatur. tandem commendauit *inductionem*, diſputandi viam & rationem, quæ vel a ſimili ad ſimile, vel a ſingulis tranſeat ad vniuerſa, vt idem ALCINOVS habet: confer PETRVM GASSENDVM, [2] qui hæc philoſophiæ Platonicæ momenta inter omnes clariſſime expoſuit, quem & ſecuti ſumus, adhibentes ſimul ALCINOVM. DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [3] dicit: *Plato ad dialecticam omnem reuocauit methaphyſicam*, & commemorat ad hanc rationem conſcriptam *dialecticam Platonicam, Ludou. de Morainuillier de Orgueuille*, qui liber editus ſit anno MDCL. 8. Macloüii, hac inſcriptione: *examen philoſophiæ Platonicæ.*

§. IV. Prior dialectica Platonis ipſius ingenio ac philoſophiæ conſentanea eſt, quæ quum erroneis atque impiis opinionibus nitatur, ac conſequentias contineat abſurdas, quisque ſanæ mentis plane ab iſta abhorret. ad hæc viam parauit ad ſcepticiſmum, quod ſibi ſenſus fallaces eſſe perſuaſerit, quorum certitudo ſi remouetur, non poteſt non continua oriri dubitatio. atqui hæc ipſa ſententia for-

1 *lineament. doctr. Platon. cap. V.* 2 *de origin & variet. logic. cap. IV.* 3 *polyh. tom. II. lib. V. §. 7. p. 515. add. Fabricium bibl. græc. lib. III, cap. 1. p. 41.*

fan dedit occaſionem diſſenſus, qui inter ipſos Platonis ſectatores fuit de certitudine noſtræ cognitionis, inprimis ſi adhuc obſeruamus, quod Socrates profeſſus ſit, ſe nihil ſcire, ipſique fuerit familiare magis interrogare, quam reſpondere. quo inſtituto quum Socrates vteretur, factum eſt, vt effatum eius minus intelligentes, omnia haberent promiſcue dubia, ſaltim dari certitudinem cognitionis negarent. Poſterior Platonis dialectica prodit varia momenta, quæ ad meditationem analyticam, vti dicitur, ſpectant: ac quamuis turbatim ſint propoſita, nec rei ipſi ſufficiant; maiorem tamen artis huius lucem, quam iſta antea in ſcholis philoſophorum fuit, præ ſe habent. Plato auditor fuit Socratis, qui acer veritatum inueſtigator atque amator erat; vt inde capiamus coniecturam, quod hæc dialecticæ doctrina hauſta ex diſciplina Socratis. apertum enim eſt, quod ingenii vis fuerit maior in Platone, quam iudicii, quo ſi quis deſtitutus, haud aptus erit ad genuinam vtilemque logicæ artem ornandam.

§. V. Qui Platonicam ſecuti ſunt philoſophiam ex paganis, illorum variæ claſſes conſtituuntur. quum de certitudine cognitionis noſtræ diſcreparent ſententiis, erit nobis occaſio, de ſcepticiſmo, eius variis ætatibus, generibus, cultoribus diſſerendi, qua ſimul in philoſophiam ac placita academicorum breuiter inquiramus. quapropter tantum heic mentionem facimus XENOCRATIS *chalcedonii*. qui poſt *Speuſippum* academiæ præfuit per annos quinque & viginti. CICERO [1]

[1] *acad. quaſt. lib. 1. cap. 4. ſqq.*

quau-

quando diſputat de ſchola Platonica, in primis laudat hunc Xenocratem & Ariſtotelem & paulo poſt dicit: *fuit ergo iam accepta a Platone philoſophandi ratio triplex: vna de vita & moribus; altera de natura & rebus occultis; tertia de diſſerendo & quid verum & quid falſum; quid rectum in oratione prauumue; quid conſentiens; quid repugnet, iudicando.* ſcripta ipſius multa refert LAERTIVS, [1] inter quæ ſunt nonnulla argumenti dialectici, quod quum tractaret, initium fecit a φωνῆς, ſiue vocis conſideratione, quo nomine reprehenſum narrat PORPHYRIVS. [2]

§. VI. Peruenimus ad ARISTOTELEM, principem philoſophorum, quos vetus græcia habuit, in primis laude ac meritis logicæ. natus eſt Stagiris Macedoniæ olympiad. XCIX. I. ante natum Seruatorem noſtrum CCCLXXXIIII. ac patrem habuit Nicomachum, medicum Amyntæ regis; præceptorem vero Platonem, a quo diſceſſit & ipſe condidit ſcholam. quod ad ipſius ſcripta logica, quæ exſtant, adtinet, iſta diligenter recenſent GERH. IO. VOSSIVS [3] & IO. ALBERTVS FABRICIVS. [4] atqui huc ſpectant.

I. ΚΑΤΗΓΟΡΙΑΙ, *Categoriæ* ſiue *prædicamenta*. non deſunt, qui librum hunc ab Ariſtotele haud ſcriptum eſſe putant; ſed ab *Andronico*, vt cum CAELIO SECVNDO CVRIONE exiſtimat auctor Snellio-Ramæi philoſophiæ ſyntagmatis a GOCLENIO [5] editi: *Simplicius cum categorias explicat, Andronici*

1 *lib IIII ſegm II ſqq.* 2 *ad muſica Ptolemai p 193.* 3 *de natur. & conſtitut logicæ cap. 10. ſqq.* 4 *bibliotheca græca lib. III. cap. 6. p. 109.* 5 *pag. 110.*

paraphrasin citat multis locis: quæ vbique fere cum his, quas habemus, categoriis congruit: vt nulli iam dubium esse possit, hasce nostras categorias ad Andronicum, non ad Aristotelem pertinere. IO. IONSIVS [1] dicit: *auctor libri de categoriis, quicumque Platonicorum vel Pythagoricorum is demum fuerit*; & ante eum LVDOVICVS VIVES [2] fatetur, librum illum sibi videri esse vel Pythagorici vel Megarensis. ac quamuis Archytas Tarentinus, Pythagoricus etiam de decem scripserit prædicamentis, vt supra a nobis fuit obseruatum; veterum tamen clara testimonia SIMPLICII, AMMONII, LVCIANI, quæ collegit VOSSIVS, [3] pro Aristotele pugnant.

II. ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ, *de interpretatione*, qua voce intelligitur λόγος ἀποφαντὸς *oratio enunciata.* librum hunc ex veteribus Aristoteli abiudicauit *Andronicus Rhodius*, testibus AMMONIO & BOETHIO; sed illum vindicant ei contra Andronicum *Alexander Aphrodiseus*, *Ammonius*, *Boëthius*, atque alii Peripatetici. dicitur opus hoc a RAPINO [4] *vne espece de gramaire raisonnée.*

III. ΑΝΑΛΥΤΙΚΩΝ προτέρων βιβλία β', ὑστέρων βιβλία β', *analyticorum priorum libri duo, & posteriorum libri duo.* prioribus agit de syllogismo; posterioribus vero de demonstratione. hinc GALENVS [5] innuit, veram & antiquam inscriptionem analyticorum priorum fuisse περὶ συλλογισμοῦ, quod etiam confirmat BOETHIVS; [6] posteriorum autem

1 *de scriptorib. histor. philosoph. lib. 1. cap. 1. p. 5.* 2 *de caussis. corruptarum artium lib. 3. p. 99.* 3 *cit. loc. cap. X. §. 3. p. 56.* 4 *reflex. sur la logique p. 735.* 5 *de libris propriis tom. IIII. p. 253.* 6 *II. de interpretat. edit. prima p. 253.*

analy-

analyticorum antiquum titulum fuisse περὶ ἀποδείξεως, *de demonstratione*, idem GALENVS indicat. ἀπολύειν enim est resoluere quæstionem ad propriam caussam. quod colligimus ex THEMISTIO, [1] vt adeo ἀναλυτικὴ sit ars probandi quæstionem per rationes rei subiectæ proprias.

IV. ΤΟΠΙΚΩΝ βιβλία η΄. *de locis*, vnde argumenta probabilia petuntur libri VIII. atqui hæc est *dialectica*, quæ opponitur *analyticæ*, vbi obseruamus, quod vox *dialectica*, varia sumatur significatione. sic PLATO, vt ex superioribus constat, per dialecticam intelligebat ipsam sapientiam; Stoici, Cicero & alii hoc nomine comprehendebant integram logicam. Peripatetici autem opponunt analyticæ, quæ ad demonstrationem spectet, dialecticam vt sit ars ex probabilibus disserens. at vero adhuc monent, quod dialectica quum sit ars disputandi ex probabilibus, ac aliquid vel vere sit probabile, vel eiusmodi adpareat; laxe dialectica vtramque partem comprehendat; Stricte autem ac κατ᾽ ἐξοχὴν sic dicatur, quæ vere probabilia tractet adeoque doceat, de rebus vere probabilibus disserere, bene interrogando apteque ad interrogata respondendo, vsque dum eliciatur, quod verum vel vero proximum sit.

V. ΠΕΡΙ ΣΟΦΙΣΤΙΚΩΝ ΕΛΕΓΧΩΝ, βιβλία β΄, de *sophisticis Elenchis*, siue argumentationibus lib. II. σοφιστικὴ apud Peripateticos est altera pars dialecticæ, ac tractat de fallaciis, siue eo, quod probabile videtur, nec est.

[1] *lib. 1. poster. analyt.*

obser-

obseruant, quod hæc pars discatur non ad insidias struendas, sed vitandas, vt adeo sophista aliquis sit προαιρέσει, sed dialecticus δυνάμει. hi libri a LAERTIO haud commemorantur; quod autem ab Aristotele libris topicis sint subiecti, colligit SAMVEL PETITVS [1] ex capite ultimo libri posterior. elenchor.

§. VII. Hæc scripta Aristotelis logica, quæ commemorauimus, juncta edi solent sub titulo ORGANI, cuius inscriptionis ratio hæc est, quod Aristoteles logicam suam vocauerit ὄργανον καὶ χεῖρα φιλοσοφίας, *instrumentum & manum philosophiæ*, vide IO. NELDELIVM [2] & GERH. IO. VOSSIVM. [3] vnde & in quibusdam academiis, ut Lipsiensi, qui rationalem profitentur disciplinam, dicuntur *professores organi*. quodsi autem accuratius de hoc organo velimus iudicare, obseruandum est *primum*, quod opus hoc non omnia Aristotelis scripta, ad logicam spectantia complectatur, siquidem plures libri, argumenti logici perierunt iniuria temporum, qua de re præter alios videre possumus IO. ALBERTVM FABRICIVM, [4] qui scripta Aristotelis deperdita digesta secundum ordinem litterarum enarrat diligenter. quin etiam monimenta illa, quæ continet organum, non satis integra esse videntur. etenim LAERTIVS [5] memorat priorum analyticorum libros octo, vel nouem, vt PATRICIVS, vel decem denique, vt HENR. STEPHANVS in codice suo reperit, & ἀναλυτικῶν ὑστέρων μεγάλων libros duos. quid

1 *obseru. lib. II. cap. 2.* 2 *de vsu organ. Aristotelic. part. 1. cap. 3.* 3 *de natur. & constitut. logic. cap. VI. §. 4.* 4 *bibl. græc. lib. III. cap. 7. p. 185.* 5 *lib. V. segm. 23.*

quod

quod AMMONIVS [1] teſtatur, tempore Ptolemæi Philadelphi repertos fuiſſe in bibliotheca Alexandrina quadraginta libros analyticorum. *deinde* adnotare e re eſt, quod libri, ex quibus organum compoſitum eſt, neque eo ordine, neque eo fine conſcripti ab Ariſtotele videantur, quo nunc adparent, quemue iam præ ſe ferunt, id quod vel ex eo colligere poſſumus, quod Ariſtoteles ipſe prioribus analyticis [2] mentionem faciat τοπικῶν. ex quo nihilominus ANDRONICVS *Rhodius* illos in eum ordinem, qui poſthac a Peripateticis probatus eſt, digeſſit, græci omnes interpretes vsque ad AMMONIVM, & PHILOPONVM SIMPLICIVM que ipſius diſcipulos eam ordinis cauſſam dixerunt, quod quum logica ſit philoſophiæ adeoque veritatis inueniendæ inſtrumentum, ac ſubiectum eius argumentum ſit ipſa demonſtratio, cuius ope ad veritatem poſſimus peruenire, ideo *poſterioribus analyticis* agatur de *demonſtratione*. quoniam autem demonſtratio ſit *ſyllogiſmus*, nec qualis ſit ſyllogiſmus, intelligi poſſit, niſi generatim de ipſius indole tradantur præcepta, ea de cauſa de iſto agatur *prioribus analyticis*. omnis ſyllogiſmus conſtet ex *propoſitionibus*; & omnis propoſitio ex *ſimplicibus vocibus*, quæ ſit ratio, cur libris ἀναλυτικῶν præmittatur opus de *interpretatione*, ſiue de enunciatione; & huic illud de *decem categoriis*. denique quia demonſtratio vna ſit ſyllogiſmi ſpecies, quæ nitatur principiis ac propoſitionibus neceſſariis, ac ſint præter hanc duæ aliæ, quarum altera fiat ex probabilibus, dicta ab Ariſtotele *ſyl-*

[1] *in categor. p. 13.* [2] *lib. I. cap. I.*

logiſ-

logismus dialecticus; altera ex fallacibus adpellata *sophisticus*, ea de caussa vt demonstratio intelligatur perfectius, posterioribus analyticis *topici*, libri subiiciantur, quibus de syllogismo dialectico; & istis libri elenchorum, quibus de sophistico dissseratur: confer PETRVM GASSENDVM.[1] equidem THOMAS STANLEIVS[2] praeter alios diuersa est sententia, quando dicit: *omnium interpretum consensu primum categoriae locum occupant, neque dubito, reliquos etiam secundum genuinam Aristotelis methodum dispositos esse*; & prouocat ad ipsius Aristotelis testimonia, qui initio analyticorum priorum[3] scribat: *de syllogismo agendum, antequam ad demonstrationem accedamus, quoniam magis generalis syllogismi ratio est*: item de elenchis sophisticis:[4] *de syllogismo, qui ad docendum valeat & demonstrandum, iam dictum est in analyticis. de dialecticis vero & iis, quae ad faciendum tentamen spectant, in proxime praecedente libro; ad agonisticum itaque genus atque eristicum nobis iam erit accedendum.* sed ex testimoniis hisce tantum sequitur, vt Aristoteles prius scripserit analytica priora, quam posteriora; quodue libris τοπικῶν subiecerit illos de elenchis sophisticis, id quod genuinum ab Aristotele constitutum ordinem omnium librorum organi nondum probat. quid multa? nemo poterit firmis rationibus confirmare, quod Aristoteli fuerit in animo, integrum logicae opus eo ordine, quem ipsa argumenta huius disciplinae naturali nexu inter se cohaerentia postulant,

1 *de origine & varietate logic. cap. V. p. 44.* 2 *histor. philos. p. 443. edit. latin.* 3. *lib. I. cap. 3.* 4 *lib. I. cap. 2.*

con-

conſcribere. *tertium* obſeruamus, quod facile in dubitationem deduci poſſimus, num genuini Ariſtotelis libri ad nos ſint propagati, præcipue ſi duriora fata, quæ iſti ſubierunt, diligenter expendamus mente. nam Ariſtoteles apparatum librorum, quem conparauerat ſibi, etiam illorum, quos ſuo ingenio excluſerat ſuaque manu exarauerat, Theophraſto reliquit, a quo poſthac theſaurus hic peruenit ad Neleum, Ariſtotelis diſcipulum, qui hanc bibliothecam, Alexandriam transferendam vendidit Ptolemæo Philadelpho, conſeruato ſibi exemplo quodam illorum librorum, quorum auctor erat Ariſtoteles. hos transmiſit poſteris ſuis, hominibus litterarum cognitione haud ornatis, qui quum ſenſiſſent Attalicorum regum ſtudia, bibliothecam Pergami ampliſſimam ſtruendi, iſtos in foſſa quadam occultauerunt; tandem vero tineis & ſitu corruptos Apelliconi Teio magno pretio vendiderunt. erat autem Apellicon librorum magis cupidus, quam ſapientiæ. itaque quum exempla noua horum librorum deſcribenda curaret, nec ipſe philoſophiæ eſſet peritus; factum eſt, vt prodirent iſti corrupti atque vitiorum pleni. quo defuncto Sylla Athenis potitus, illos Romam tranſtulit, vbi eorum copia Tyrannioni grammatico, qui Ariſtotelis erat ſtudioſus, facta, a quo nactus eſt illos Andronicus Rhodius, ac primus in publicam lucem emittendos curauit, quæ fata STRABO [1] & PLVTARCHVS [2] prodiderunt memoriæ.

1 *lib. XIII. p. 609.* 2 *Sylla p. 468. adde. Ammonium vita Ariſtotel. Suidam in τυραννίων de quo egit quoque BAELIVS.*

hinc

hinc PETRVS RAMVS [1] dicit: *de peripateticis philosophis iam e Laërtio nihil habemus, immo de tam multis artis logicæ peripateticis monimentis nihil habemus, præter Porphyrium & septendecim libros Aristotelis, si tamen sunt Aristotelis. nec enim fluminis illius aurei in tot libris vlla gutta cernitur; nec vetus ille singulorum librorum & titulus & numerus a Laërtio propositus præsenti titulo numeroque conuenit, vt ex comparatione potest intelligi. & e Strabone & Plutarcho planum est, eos sicuti reliquos eiusdem philosophi libros valde corruptos & deprauatos esse.* quod ad interpretes Aristotelis, eosque veteres græcos adtinet, illorum mentionem facit PHILIPPVS LABBEVS; [2] prout quoque indices interpretum deprehendimus in editionibus græcolatinis Aristotelis, præcipue *du Valliana*; POSSEVINO, [3] PAVLLO BOLDVANO, [4] MARTINO LIPENIO, [5] HENDREICHIO, [6] quamuis haud accurate nec distincte sint conscripti, quorum principes & nos paullo post commemorabimus. optima editio organi est græcolatina, quæ ex IVLII PACII a Beriga recensione cum ipsius versione & scholiis prodiit Francofurti apud hæredes A. Wecheli anno MDXCVIII. 8. ad quam ornandam vsus est quinque codicibus Palatinis, vide IO. ALBERTVM FABRICIVM. [7] organo huic præmittitur PORPHYRII isagoge in categorias.

1 scholis dialectic. lib. I. cap. 7. 2 breui conspectu Aristotelis & Platonis græcorum interpretum typis editorum Paris. 1657. 4 3 bibliothec. select XII. 4. 4 biblioth. philos. p. 440. 5 bibl. philos 6 pandectis Brandenburg. 7 bibl. græc. lib. 3. cap. 6. p. 117.

§. VIII.

§. VIII. Quod si ex veritate de meritis philosophi huius in artem ac disciplinam rationalem velimus iudicare, omnia prauorum adfectuum studia, siue sint amoris, siue odii, remouere debemus, vt neque nimis præclare, neque abiecte de eo sentiamus. quod vt faciamus, necesse est, Aristotelis logicam duplici ratione considerare, partim ratione ætatis vetustioris, partim recentioris, qua disciplina hæc purgata, culta ac prout ipsius indoli consentaneum est, proposita. si respiciamus tempora antiquiora, atque Aristotelem cum aliis philosophis, qui tempestate illa artem hanc tradiderunt, velimus comparare, magna omnino in doctrinam hanc merita contulit. ante eum cultus artis huius haud nitidus aut elegans fuit, siquidem ea, quæ philosophi scholæ Eleaticæ proposuerunt, breuia erant præcepta, minus inter se cohærentia; nec Plato tam feliciori successu, tam singulari studio opus hoc adgrediebatur, quam Aristoteles. etenim primus logices σύςημα molitus est eamque redegit in formam artis, etiam plurima scripsit inter antiquos philosophos, quæ ad rationalem hanc disciplinam pertinent, prout magis elucerent ipsius merita, si quæcunque composuit, adhuc seruata essent. deprehendimus vbique vestigia grauioris iudicandi facultatis, qua Aristoteles valuit maxime, atque obseruamus, quod ipse instituerit meditationes, haud tantum in magistrorum præceptis adquiescens, ac quod omnino admiratione dignum censemus per temporis illius rationem, non solum de meliore ac pulcriore logicæ cultura fuerit sollicitus; sed alias quo-

que philoſophiæ partes explanauerit, cogitationesque ſuas ad certum ordinem adcommodauerit. multi quidem ipſum iis de cauſis reprehendunt, quod ſecutus ſit in organo genus ſcribendi obſcurius; quam cenſuram autem leuiorem eſſe arbitramur, ſi expendamus, quod in multis argumentis atque exemplis habenda fuerit ratio græcæ linguæ: confer GEORGIVM PASCHIVM.[1] poſt Ariſtotelem vsque ad felicem illam ætatem, qua litteræ philoſophicæ meliorem induebant faciem, illo nemo fuit ſuperior, ſiquidem omnem logicæ doctrinam ex ipſius monimentis hauriebant; quid quod interdum ea, quæ magiſter hic tradiderat, corrumpebant, ac diſputationibus inutilibus efficiebant, vt hæc Ariſtotelica ars multum de dignitate ſua amitteret. cuiusmodi duriore ſorte iſta nobiliſſima diſciplina adflicta fuit tempore ſcholaſticorum, qui meliorem philoſophiæ viam fuiſſent ingreſſi, etiam bonis litteris maiora incuiliſſent incrementa, ſi genuinum ac purum Ariſtotelis fontem vidiſſent eumque fuiſſent ſectati. ſic philoſophus hic ſummus logicæ magiſter extitit, ſi merita eius certo temporis ſpatio determinamus.

§ VIIII. At vero tantum abeſt, vt operi huic ſatisfecerit, atque iſti expoliendo ſupremam addiderit limam; vt multa adhuc recentioribus philoſophis emendanda atque augenda reliquerit, id quod generatim indicabimus. etenim obſeruamus *primum*, quod maxime neceſſaria atque vtilia momenta, ſine quibus genuina ars logicæ haud conſiſtere

[1] *de inventis nov-antiquis cap. II. §. 7.*

poteſt,

poteſt, minus attigerit atque explanauerit, quo ſpectat

(1) quod metaphyſica ratione logicam ſcripſerit, id eſt ſubſidia ratiocinandi nimis generalia dederit, id quod vitium commune eſt Peripateticis. quo ſpecialiores regulæ diſciplinarum eſſe poſſunt, eo maiorem adferunt utilitatem.

(2) tradidit quidem modum quemdam, verum & falſum diiudicandi; ſed quomodo veritas poſſit inueniri, id minus attigit. logica igitur ipſius eſt analytica, minus autem ſynthetica, vti philoſophi dicunt. ſyllogiſmum enim haud uſurpauit veluti medium inueniendi verum; ſed diiudicando illud.

(3) prætermiſit præſtantiſſimam doctrinam de vera indole deque variis ſpeciebus probabilitatis. nam quamuis libris τοπικῶν argumentum hoc explicandum ſibi propoſuerit; miſere tamen illud tradidit. exiſtimat quippe, quod probabilitas poſita ſit in opinione aliorum, quæ tamen in ipſa re quærenda eſt, adeoque iſtam confundit cum fuco oratorio, cumque eo, quod fieri poteſt.

(4) doctrinam de definitione ac diuiſione non ea ratione, prout decebat, propoſuit nec oſtendit fundamenta artis, qua definitiones ac diuiſiones, quibus inter alia nititur demonſtratio, ſint ſtruendæ.

(5) copioſe diſſerit de ſyllogiſmo; alios autem modos, qui varii adhuc ſunt, concluſiones ex principiis deducendi, ac

certo verum inueniendi minus obseruauit.

ſecundum generatim obſeruamus, quod multa admiſerit inutilia, quæ cum bona logica nullum habent commercium, nec merentur præcepta, quo pertinet doctrina de fallacibus argumentationibus; de prædicamentis, quæ adhæc minus accurate in ſuos ordines diſtributa ſunt; de propoſitionibus, quum iſtas veluti grammaticus propoſuit, nec verum oſtendit fundamentum affirmationis ac negationis, quod in indole idearum ſiue notionum mentis quærere debemus. ac quam multa ipſius diſciplina de definitione ac demonſtratione continet, quæ ad nullum vſum poſſunt transferri?

§. X. Sed dimittamus ARISTOTELEM. diſcipuli ipſius numero tam multi, fama adeo illuſtres fuerunt, vt NICANDER Alexander integrum librum περὶ τῶν Ἀριστοτέλους μαθητῶν memoriæ eorum conſecrauerit, cujus copia ſi adhuc nobis eſſet, ſine dubio accuratius Peripateticos poſſemus recenſere. de cetero hoc in negotio diligentiam ſuam probarunt IO. IONSIVS,[1] FRANCISCVS PATRICIVS,[2] THOMAS STANLEIVS,[3] & inprimis IO. ALBERTVS FABRICIVS.[4] primus ex illis commemoratur THEOPHRASTVS, qui addiderit doctrinam de ſyllogiſmis hypotheticis, teſte BOETHIO[5] *nam quum categoricorum ſyllogiſmorum ampliſſime notitiam percepiſſes, de hypotheticis ſyllogiſmis ſæpe quærebas, in*

1 *de ſcriptorib. hiſt. philoſ. lib. IIII. §. 38.* 2 *diſcuſſ. Peripat. tom. I. lib 10.* 3 *hiſtor. philoſ. p. 430.* 4 *bibl. græca lib. III. cap. II.* 5 *de ſyllogiſmis hypothetic. ad Symmachum p. 606.*

qui-

quibus ab Aristotele nihil est conscriptum. Theophrastus vero omnis doctrinæ capax rerum tantum summas exequitur. AMMONIVS tradit, quod discipuli Aristotelis EVDEMVS, PHANIAS, & THEOPHRASTVS æmulatione præceptoris scripserint categorias, & de interpretatione & analyticam: confer GERH. IO. VOSSIVM.[1]

§. XI. Conuertamus nos ad sectam *Stoicam*, cuius auctor extitit ZENO *Cittieius*, in qua logicæ studia floruerunt maxime. arbitrabantur Stoici, sine hac arte neminem esse sapientem, teste LAERTIO[2] qui & alio loco[3] dicit: καὶ τοιοῦτοι μὲν ἐν τοῖς λογικοῖς οἱ Στοϊκοί, ἵνα μάλιστα κρατύνωσι διαλεκτικὸν ἀεὶ εἶναι τὸν σοφόν, *ac huiusmodi sunt in logicis Stoici, vt maxime afferant dialecticum solum esse sapientem*; quamuis & dicerent, solum poëtam, oratorem, iurisconsultum esse sapientem: confer IVSTVM LIPSIVM.[4] Stoici posuerunt etiam dialecticam inter virtutes, vt est apud CICERONEM,[5] PLVTARCHVM,[6] STOBAEVM:[7] quin etiam *dialectici* sunt vocati, quam adpellationem ab Euclideis acceperunt, quare eos ad differentiam Stoicorum *veteres dialecticos* SENECA[8] videtur adpellare: confer AEGIDIVM MENAGIVM.[9] ZENO, qui hanc scholam condidit, multos libros reliquit, etiam nonnullos argumenti logici, quibus iudice LAERTIO,[9] ita disseruit, vt

1 *de natura & constit logic. cap. XI § 3 p. 70.* 2 *lib VII. segm. 46. sqq.* 3 *lib. VII. se m. 83.* 4 *manuduct. ad phil. Stoic. lib II. diss. 11. 12. 13. 14.* 5 *lib III. de finib.* 6 *lib. I. de placitis philosoph.* 7 *collect. Stoicorum dogmatum.* 8 *epist. 117.* 9 *ad Laërt. II. segm. 108. p. 122. lib. VII. segm. 83. p. 296.* 10 *lib. VII. segm. 4.*

nemo post eum Stoicorum. successor ipsius in porticu Atheniensi erat CLEANTES, magister Chrysippi, qui argutis disputationibus indulsit, vt ex SENECA atque aliis patet, vnde *spinas Cleanthis & contorta Chrysippi* coniunxit HIERONYMVS. [1] scripta ipsius recensent interpretes LAERTII, MEVRSIVS, [2] THOMAS STANLEIVS, [3] IO. ALERTVS FABRICIVS. [4] CHRYSIPPVS successit Cleanthi, cuius acumen non satis admirati sunt, vnde nonnulli dixerunt, Deos ipsos si dialectica vterentur, vsuros haud alia esse, quam Chrysippea. atqui apud veteres auctores traditur princeps huius scholae. CICERO: [5] *Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum*; AGELLIO [6] dicitur *Stoicae princeps philosophiae*; ab ATHENAEO [7] *τῆς Στοᾶς ἡγημών*, vt de aliis taceamus. quod ad ipsius dialecticam adtinet, testatur LAERTIVS, [8] quod conscripserit dialectica volumina CCCXI, quo in numero a veritate aberrauit BARTHOLOMAEVS KECKERMANN, [9] dum existimat Chrysippum scripsisse libros logicos CCCLXXI, quo errore etiam REIMANNVS [10] forsan KECKERMANNVM secutus sese implicuit. ipsa philosophi huius dialectica composita erat ad faciendas fallacias ac fraudes, nihilque continebat, quod vim quamdam ad veritatem cognoscendam haberet, vt paullo post demonstrauimus. quapropter iam veteres, quorum mens ab huiusmodi nugis abhorrebat, de

1 *I. in Ruffin.* 2 *bibl graec.* 3 *hist. philos. p. 645.* 4 *lib. III. cap. XV. p. 395. bibl. graeca.* 5 *quaest. acad. lib. IV.* 6 *lib. VI. cap. 2.* 7 *lib. VIII.* 8 *lib. VII. segm. 198.* 9 *praec. log. tr. II. cap. I. §. 14.* 10 *geschichts-calender der logic. p. 17.*

eo

eo senserunt sinistre: quid quod IVPITER apud LVCIANVM [1] syllogismos Chrysippi pronuntiat esse frigidos. Chrysippi auditor fuit DIOGENES *Babylonius*, qui & ipse extitit dialecticus, item ipsius discipulus ANTIPATER *Sidonius*, conf. GERH. IO. VOSSIVM [2]. sed tamen quamuis Stoici summa studia, summamque gloriam in dialecticæ cultura posuerint; nihilominus fuerunt, qui artem hanc nulla cultura dignam esse. arbitrati sunt. sic ARISTO *Chius*, Zenonis Citiei discipulus, philosophiam ac logicam e philosophorum scholis eiiciebat, censens, physicam esse supra nos; logicam vero ad nos nihil pertinere. dialecticas argumentationes dicebat similes esse aranearum telis, quæ quamuis videantur præ se ferre emolumentum quoddam; reipsa tamen omni careant vtilitate, vide DIOGENEM LAERTIVM, [3] STOBAEVM. [4] sic quoque celeberrimi Stoici SENECA, EPICTETVS, M. ANTONINVS imperator haud singulare pretium statuerunt dialecticæ, quod autem inprimis de dialectica stoica intelligendum est.

§ XII. Videamus nunc breuiter de præcipuis momentis dialecticæ stoicæ, in quibus exponendis diligenter versati sunt PETRVS GASSENDVS [5] & THOMAS STANLEIVS. [6] Stoici existimabant, logicam partem esse philosophiæ, peculiarem a reliquis distinctam, qua sententia discrepabant a Peripateticis, qui censebant, logicam esse instrumen-

1 *tom. II. opp. p. 205.* 2 *de natur. & constitut. logic cap. VIII. §. 12. sqq.* 3 *lib VII. segm. 160.* 4 *serm. LXXX.* 5 *de origine & variet. logic. cap. VI. p. 49.* 6 *histor. philos. p. 554.*

tum, quamuis reipsa hæc nulla fuerit opinionum diuersitas, siquidem aliquid potest esse & pars & instrumentum, vide GERH. IO. VOSSIVM. [1] plerique statuebant, tres esse partes philosophiæ, & tribuebant primum locum *logicæ*; secundum *physicæ*; & tertium *ethicæ*. CLEANTHES putabat logicam sex partibus absolui: *dialectica*, *rhetorica*, *morum doctrina*, *ciuili scientia*, *naturali* & denique *theologica*, teste LAERTIO. [2] alii vero obseruant, has partes non esse logicæ; sed ipsius philosophiæ, quæ controuersia in eo est posita, quomodo sumatur vox logicæ? quapropter plerique censent, logicam diuidi posse in duas disciplinas, quarum altera sit *rhetorica*; altera vero *dialectica*, quibus nonnulli adiiciunt partem tertiam *definientem*, quæ agat de regulis ac iudiciis. rhetorica apud Stoicos fuit ars bene dicendi de iis, quæ copiosam requirant orationem, ad persuasionem apta. *rhetoricæ* constituerunt tres partes, ut alia sit *deliberatiua*; alia *iuridicialis*; alia *demonstratiua*, ad quas singulas pertineant *inuentio*, *elocutio*, *dispositio* & *pronunciatio*; orationis autem rhetoricæ partes sint *exordium*, *narratio*, *confutatio*, *epilogus*, vide LAERTIVM. [3] quod ad Stoicorum dialecticam adtinet, qua voce plerique etiam partem *definientem* complectuntur, inprimis obseruamus, quod philosophi hi, quum duo syllogismorum genera, alterum *absolutorum*, alterum *hypotheticorum* traduntur; maximam temporis partem in posteriore specie consumserint,

1 *de natura & constitut. logic. cap. VI.* 2 *lib. VII. segm. 41.*
3 *lib. VII. segm. 42. 43.*

prout

prout Ariſtoteles tantum de priore diſſeruit. SIMPLICIVS [1] dicit: *τῶν ὑποθετικῶν συλλογισμῶν οἱ Στωϊκοὶ τὴν τεχνολογίαν ἐξεπλεξεύγησαν. hypotheticorum ſyllogiſmorum artificium Stoici vsque ad minutias ſunt perſecuti.* perſuadebant enim ſibi, ſyllogiſmos abſolutos concludere ſine via atque ordine, vt teſtis eſt ALEXANDER *Aphrodiſæus*, [2] quam diſciplinam GERH. IO. VOSSIVS [3] deducit a ZENONE *Eleate*. equidem PETRVS GASSENDVS [4] putat, illos forte ideo poſſe excuſari, *quod vt nullus eſt ſyllogiſmus abſolutus, qui hypothetice proponi non valeat, ita nullus ſit hypotheticus, qui abſolute efferri non poſſit, ac regulæ adeo de his traditæ accommodari illis valeant. quo pacto excuſari Ariſtoteles etiam poſſet, qui cum de illis tradiderit, de iſtis tamen ne verbum quidem.* ſed heic GASSENDVS duo momenta confundit: num propoſitio categorica & hypothetica ſint eiusdem indolis & eodem modo ſeſe habeant ad veritatem? quod nunquam poteſt adfirmari; ac num exercendi ingenii cauſſa propoſitio categorica hypothetice; & hypothetica categorice efferri poſſit? id quod minime negamus, exiſtimantes autem, quod hoc ſalua veritate eiusque ratione minime fieri poſſit. antequam vero Stoici diſſerant de ſyllogiſmis, duos locos, vti dicunt, præmittunt, alterum de *voce ſignificante*; alterum vero de *re ſignificata*, quod ex LAERTIO, EMPIRICO, SENECA patet. occaſione *vocis* tradunt doctrinam grammaticæ atque ediſſerunt, quid ſit vox, quid dictio, quid oratio;

1 *in Epicteti enchiridion.* 2 *in lib. I. analyt. prior.* 3 *de natura & conſtitut. logic. cap. VIII. §. 14.* 4 *cit. loc.*

quæ & quotuplices litteræ, quæ orationis partes; ſimul tamen agunt de definitione, de diuiſione, de genere, de ſpecie, de ambiguis. quod ad *res ſignificatas* adtinet, intelligunt res prout ſunt in anima, ac ab iſta ope ſenſuum percipiuntur. docent quippe, quidquid ſit in mente, per ſenſus tranſire, aut *incurſione ſui*, vt Socratem, qui viſui occurrat; aut *ſimilitudine*, vt Platonem ex effigie; aut *proportione*, vel amplificando, vt gigantem; vel extenuando, vt pygmæum; aut *translatione*, vt humeroculos; aut *compoſitione*, vt hippocentaurum; aut *contrario*, vt mortem; aut *priuatione*, vt mutilum. deinde res in anima exiſtentes duplici ratione conſiderarunt: altera quatenus ſint impreſſiones quædam in principe parte, hoc eſt ipſa mente atque intellectu factæ, quas dicebant *phantaſias*; altera vero quatenus mente efferantur, vnde copioſe agunt de *dictis*.

§. XIII. Dicta diuidebant in *perfecta*, in quibus principem locum teneant *axiomata* & argumenta; & in *imperfecta*, quo pertineant prædicata. axioma dicitur, quod vel verum ſit, vel falſum, & iterum in varias ſpecies diuiditur. argumentum autem, quod adpellatur λόγος, *ratio*, etiam *argumentatio*, conſiſtit ex ſumtione, aſſumtione & illatione v. g.

ſi dies eſt lux eſt,	ſumtio
ſed eſt dies	aſſumtio
Ergo eſt lux	illatio

differt autem Stoicorum λόγος a ſyllogiſmo Ariſtotelis tribus modis: primum ſyllogiſmus Ariſtotelis ſaltem duas præmiſſas requirit: λόγος

γος vero vnica contentus est: e. g. *viuis E. respiras*; secundum in syllogismis aliud quid conceditur in conclusione, quam in praemissis erat; sed in λόγῳ Stoicorum conclusio eadem esse potest cum praemissarum vel vtraque, vel vna: e. g.

si dies est, dies est
atqui dies est
E. dies est
vel dies est, vel nox est
sed dies non est
E. dies non est

denique in syllogismis conclusio sequitur rationem praemissarum: contra Stoici tria habent genera λόγων, in quibus tale non accidit. argumentorum autem duo ponuntur genera, *concludentia* & *non concludentia*. concludentia considerantur ratione materiae, & sunt vel vera, vel falsa; ac ratione formae, qua concludunt vel syllogistice; vel minus. syllogismi, quo nomine comprehendunt Stoici tantum hypotheticos, sunt trium generum, vel *connexi*, vel *disiuncti*, vel *coniuncti*, quae omnia pluribus exposuit THOMAS STANLEIVS. [1]

§. XIIII. Tandem quaedam dicamus de sophismatibus, quae vsurparunt Stoici philosophi. appellarunt ista *ἀπόρους λόγους*, *inexplicabiles rationes*. argumentationum harum varia erant genera, quarum nonnullas communes habebant cum Megaricis, *mentientem*, *fallentem*, *electram*, *conuelatum*, *Soritem*, *cornutum*, de quibus supra diximus; quaedam vero ipsis erant propriae, quas breuiter explicabimus.

1 *histor. philos. p. 583.*

I. ΚΡΟ-

I. ΚΡΟΚΟΔΕΙΛΟΣ, *crocodilus*: quæ argumentatio nomen accepit ab hac fabula Ægyptia. mulier quædam quum ſentiret puerum circa Nili ripas ambulantem ablatum eſſe a crocodilo, rogat, ut ſibi rederet filium. crocodilus reſpondet, ſe redditurum, ſi diceret verum, illa igitur dixit: *non mihi reddes*; crocodilus autem: *ſiue verum dixiſti, ſiue falſum, non reddo tibi puerum.* nam ſi verum dixiſti, quomodo poſſum reddere? ſi falſum, legi meæ non ſatis feciſti. mulier hæc inuertit: *ſiue verum dixi, ſiue falſum, puer mihi a te reddatur.* ſi enim verum dixi, ſane ex pacto mihi debes; falſum autem eſſe non poteſt, niſi a te mihi reddatur. huius argumentationis mentionem faciunt LVCIANVS [1] & CLEMENS *Alexandrinus.* [2]

III. ΘΕΡΙΖΩΝ, *metens*, quam argumentationem explicat AMMONIVS, [3] dum aduerſus fatum diſputans proponit illorum rationem, qua ipſum *fortaſſe*, ſiue contingentiam tollebant, atque adſtruebant, omnia ex neceſſitate euenire hoc modo: *ſi meſſurus es, non, fortaſſe metes, fortaſſe non metes; ſed metes omnino. ac pari modo, ſi non es meſſurus, non, fortaſſe metes, fortaſſe non metes; ſed prorſus non metes. atqui vt vel metas, vel non metas, ex neceſſitate euenturum eſt. quare ipſum* fortaſſe *perit tolliturue: cum neque in metendi, neque in non metendi oppoſitione locum obtineat.* atqui ſic ratio adpellationis huius patet. quapropter ALDOBRANDINVS [4]

1 *vitar. auction.* 2 *Stromat. lib. IIII.* 3 *in libr. Ariſtotelis* περὶ ἑρμηνείας *ſect. II. cap.* 10. 4 *ad Laërtium lib. VII. ſegm.* 35. *p.* 380.

errat,

errat, quando existimat, quod sophisma hoc eo nomine sit appellatum, quasi qui eo vteretur, is aduersarium videretur deiicere, quoniam θερίζειν sit καταβάλλειν, vt obseruet SVIDAS. quanto in pretio argumentum hoc apud Stoicos fuerit, ex eo colligere possumus, quod ZENO, quum vellet discere septem illius species, dialectico obtulerit ducentas minas, poscenti tantum centum, teste LAERTIO.[1] meminit illius LVCIANVS.[2]

III. ΑΡΓΟΣ ΛΟΓΟΣ, *ignaua ratio*, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. sic enim interrogant: si fatum tibi est, ex hoc morbo conualescere; siue medicum adhibueris, siue non, conualesces. item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non conualescere: siue tu medicum adhibueris, siue non, non conualesces. & alterutrum fatum est. medicum ergo adhibere, nihil adtinet. CICERO[3] hanc argumentationem commemorat ac bene dicit: *recte genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio.*

IIII. ΚΥΡΙΕΥΩΝ, *dominans*, quod argumentum ideo hac ratione nominatum videtur, quoniam ibi mentio fiat dominii, veluti si quis e. g. arguat Themistoclis filium, & non dominari, & dominari græcis. non dominari enim, quia neque illis imperat, neque de imperando cogitat; dominari vero, quia imperat matri, quæ imperat Themistocli qui imperat græcis: quamuis apud veteres auctores nullum huius argumenti deprehendatur exemplum, vide PETRVM GASSEN-

1 *lib. VII. segm.* 25. 2 *vitar. auctione.* 3 *de fato cap.* 12.

DVM.

DVM. [1] mentionem faciunt illus PLVTARCHVS, [2] ARRIANVS [3] THEMISTIVS [4] quorum teſtimonia collegit AEGIDIVS MENAGIVS. [5]

V. OΥΤΙΣ, *nullus*, quod fallaciarum genus nomen habuit ab HOMERI [6] verſibus, vbi interrogatus Polyphemus, cui Vlyſſes antequam ei effoderet oculum, perſuaſerit quod ipſe nominetur OΥΤΙΣ, reſpondet: οὖτις με κτείνει δόλῳ, οὐδὲ βίηφι. quæ verba dubiæ ſunt ſignificationis, ſiquidem οὖτις ſignificare poteſt & *nemo* & nomen quoddam proprium. LAERTIVS adhuc alia harum argumentationum genera recenſet, quæ omnia heic diſtincte exponere, ſpatii ac temporis ratio haud permittit.

§. XV. Ex his colligere poſſumus, quid ſentiendum ſit de dialectica Stoicorum. ſcilicet philoſophi hi hanc doctrinam neque ſolide, neque diſtincte tradiderunt, quid quod inutilia atque aliena, inter ſe perturbata ipſos delectarunt, quumue vinculis prauorum adfectuum capti tenerentur, vnice operam ſuam in ſtruendis fallaciis conſumſerunt. ſic illuſtris hæcce ars in Stoicorum ſcholis a proſperiori ſorte remota, nulla accepit incrementa; quin etiam malo fato factum eſt, vt fere data fuerit obliuioni. BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS [7] hæc vitia in dialectica Stoicorum notauit:

(1) *quod nullum certum logicæ finem definiuerunt,*

1 *cit. loc.* 2 *de ſanitate tuenda & lib. I. ſympoſ.* 3 *ad Epictetum lib. II. cap. 19.* 4 *orat. II.* 5 *ad Laërtium lib. II. ſegm. 108. p. 123.* 6 *odyſſ. IX.* 7 *praec. logic. tr. II. cap. 2. §. 15.*

runt, idcirco omnia ad oſtentandum diſputando ingenium contulerunt.

(2) *præter præcepta quædam de ſyllogiſticis formis ac captionibus pauca habuerunt. vnde Cicero, Stoicorum alias ſectator aperte dicat, Stoicos iudicandi partem diligentius perſecutos; de inuentione non multa docuiſſe.*

(3) *methodice artem non conſtruxerunt vllam.*

(4) *inſignes & pueriles ſophiſtæ circa vocabula fuerunt, & vt a reliquis ſectis, inprimis Peripateticis differre viderentur, nouos excogitarunt terminos.*

(5) *Stoicorum logica chaos fuit confuſum ex ſyllogiſticis formis & mirificis argumentandi ſpeciebus.*

§. XVI. Nunc dicamus de EPICVRO eiusque dialectica ſiue potius *canonica*. natus traditur anno tertio olympiad. CVIII. & vita defunctus anno ſecundo olympiad. CXXCII. qui magno ſtudio philoſophiæ ſeſe tradidit, quamuis nonnulli ſint, qui Epicurum dialecticam parui feciſſe credunt. ſic de eo dixit CICERO: [1] *iam in altera philoſophiæ parte, quæ eſt quærendi ac diſſerendi, quæ* λογικὴ *dicitur, iſte veſter, plane, vt mihi quidem videtur, inermis ac nudus eſt. tollit definitiones, nihil de diuidendo ac partiendo docet: non quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit: non, qua via captioſa ſoluantur, ambigua diſtinguantur, oſtendit. iudicia rerum in ſenſibus ponit: quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne iudicium veri & falſi putat*: item: *dum dialecticam*, inquit,

1 *lib. I. cap. 7. de finib.*

con-

contemnit Epicurus, quæ vna continet omnem & perſpiciendi quid in quaque re ſit, ſcientiam, & iudicandi quale quidque ſit, ac ratione ac via diſputandi, ruit in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea, quæ docere vult, vlla arte diſtinguit, vt de aliis locis [1] taceamus, quibus Epicurum hac de cauſſa perſtringit. DIOGENES LAERTIVS, [2] quum de Epicureis loquitur, dicit: *τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσαν, dialecticam, vt ſuperuacaneam repudiant.* PLVTARCHVS apud A. GELLIVM [3] pronuntiat, *imperfecte atque præpoſtere atque inſcite ſyllogiſmo eſſe vſum Epicurum.* ſed tales cenſuræ omnino æquo ac iuſto ſunt grauiores. quod Epicurus non plane a ſtudio logicæ fuerit alienus, quin etiam meliora hac in arte tradiderit, quam alii philoſophi, qui ſingularem dialectices gloriam adfectabant, ex dicendis paullo poſt patebit. quapropter merito cenſemus, quod Epicurus dialecticam Stoicorum, quæ tantum fraudibus ac vanis diſputationibus inſeruiebat, reiecerit; etiam quum magiſtri huius ſectæ nomen *dialecticorum* ac *dialecticæ* veluti iure quodam proprio ſibi vindicarent, ipſam hanc adpellationem remotam eſſe voluerit. id quod ſatis confirmat SEXTVS EMPIRICVS, [4] & HIERONYMVS [5] dicit: *quoniam Stoici dialecticam ſibi vendicant, & tu huius ſcientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es*, quæ verba ſatis fauere cauſſæ Epicuri videntur; A. GELLIVS autem [6] ipſum

1 *lib II. de finib. lib. IV. acad quæſt. lib III & V. Tuſcul.*
2 *lib. X ſegm* 31. 3 *noct. Attic. lib. II cap.* 8. 4 *aduerſus mathematic. p.* 140. 5 *aduerſus Rufinum.* 6 *cit. loc.*

defen-

defendit aduersus PLVTARCHVM. existimabat quippe, naturam veritatis cognoscendæ optimam esse magistram, quæ si vlla arte esset adiuuanda, indigere paucis regulis atque obseruationibus: confer PETRVM GASSENDVM. [1]

§. XVII. Iam dispiciamus de ipsa logica Epicuri, qui istam dixit *canonicam*, teste LAERTIO, [2] quoniam paucis canonibus siue regulis rationem declarabat, qua mortalium intellectus possit conformari ad cognoscendum verum, vt quamuis artem suam neque dialecticam, neque logicam adpellauerit, rem ipsam tamen retinuerit. at vero existimauit, omnem quæstionem in philosophia posse institui aut *de re*, aut *de voce*. in quæstionibus *de re* duo momenta, partim ipsa *veritas*, partim *criterium* eius, essent obseruanda. veritatem aliam esse dicebat *existentiæ* siue exstantiæ; aliam vero *enunciationis*, siue iudicii. veritas *existentiæ* sit ea, qua unaquæque res in ipsa rerum natura exsistens sit id ipsum, quod sit, nihil aliud, cui veritati nulla opponatur falsitas. veritas autem *enunciationis* siue iudicii sit conformitas enunciationis ore factæ aut iudicii mente peracti cum ipsa enunciata seu iudicata re, cui opponi possit falsitas. quod ad *criterium veritatis* adtinet, obseruauit, quod res, cuius veritas quæratur, aut ad solam speculationem; aut ad vitæ actionem spectet. res naturæ percipiantur aut sensu aut mente; & res morales ipso affectu siue adpetitu; sic tria veritatis criteria constituit;

1 *de vita & moribus Epicuri lib. VIII cap. 4. & 10.* 2 *lib. X. segm. 30.*

ex parte sensus *sensionem*; ex parte mentis *praenotionem* siue *anticipationem*; & ex parte affectus *affectionem* siue passionem. singulis criteriis posuit canones, etiam quaestionibus de voce institutis.

I. *Canones ad quaestiones de re spectantes.*

(1) primi criterii siue sensionis.

α) *sensus nunquam fallitur; ac proinde omnis sensio, omnisque phantasiae seu apparentiae perceptio vera.*

β) *opinio est consequens sensum, sensionique superadiecta, in quam veritas aut falsitas cadit.*

γ) *opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensus euidentia.*

δ) *opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus euidentia.*

(2) secundi criterii, siue praenotionis, anticipationis.

α) *omnis quae in mente est anticipatio, seu praenotio dependet a sensibus idque vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione.*

β) *anticipatio est ipsa rei notio, siue definitio, sine qua quidquam quaerere, dubitare, opinari, immo & nominare non licet.*

γ) *est anticipatio in omni ratiocinatione principium; quasi nempe id, ad quod attendentes inferimus, vnum esse idem aut diuersum, coniunctum, aut disiunctum ab alio.*

δ) *quod ineuidens est, ex rei euidentis anticipatione demonstrari debet.*

(3) ter-

(3) tertii criterii, siue adfectionis, passionis.

α) *ea voluptas, quæ nullam habet adnexam molestiam, amplectenda est.*

β) *ea molestia, quæ nullam habet adnexam voluptatem, fugienda.*

γ) *ea voluptas, quæ aut maiorem voluptatem impedit, aut grauiorem molestiam parit, fugienda.*

δ) *ea molestia, quæ aut maiorem auertit molestiam, aut vberiorem voluptatem creat, amplectenda.*

II. *Canones ad quæstiones de voce spectantes.*

α) *dum loqueris, delige voces communes & perspicuas, ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando tempus frustra teras.*

β) *dum audis, id enitere, vt vim subiectam vocibus teneas, ne te aut præ obscuritate lateant, aut præ ambiguitate deludant.*

in his canonibus explicandis atque illustrandis præcipue diligens fuit PETRVS GASSENDVS: [1] adde THOMAM STANLEIVM [2] & CHRISTIANVM THOMASIVM. [3]

§. XVIII. Hæc canonica Epicuri breuior quidem est, nec ad logicæ finem siue intellectum ad sensum veri & falsi aptum reddendum sufficit; continet tamen non solum vtiles; sed & solidas meditationes. quas alii philosophi, etiam æuo recentiori haud assecuti sunt, vt adeo in primis ratione temporis vetu-

1 part. I. syntagm. phil. Epicur. de origine & variet. logic. cap. VII & alibi. *2 histor. philos. p. 9'3.* *philos. aulic. cap. V. §. 18. sqq.*

ſtioris nunquam ſatis laudari poſſit. generatim laudem meretur, quod ſollicitus fuerit de criteriis veritatis, quod inter recentiores CARTESIVS quoque fecit, quamuis Epicurus, adhuc melius ac rectius hac de re ſenſerit, quam CARTESIVS. nam ſi animum aduertimus ad ipſius meditationes ac doctrinas ſpeciatim, *primum* praeclare docuit, quod ſenſus, recte ſcilicet ſe habentes, nunquam fallaces ſint, quodue ab ipſa ſenſione diſtinguenda ſit opinio hominum, quae oriatur a iudicandi facultate ac ſenſionem ſequatur. quo momento ſenſit melius, quam Plato ac Carteſius, qui quum certitudinem ſenſuum tollerent, viam planam atque expeditam aperuerunt ſcepticiſmo, cui tamen viribus genuinae logicae iure ac merito reſiſtere debemus. *deinde* canon quintus inſignem continet veritatem, quod omnis idea ortum ſuum habeat a ſenſione, quae doctrina etiam in ſcholis Peripateticorum celebris extitit, quod nihil ſit in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; recentiori autem aeuo a Carteſio iſta ſine ratione oppreſſa eſt, aduerſus quem ſolide ANDREAS RVDIGER diſputauit. [1] *tertium* canones ſextus & ſeptimus ediſſerunt eleganter de definitione, quod omnis idea, quae exſiſtat in mente, per definitionem ſit explicanda, vt inde perueniamus ad ſolidum ratiocinationis fundamentum. etenim omne argumentum deducitur ex propoſitione, ſiue aliquid adfirmet; ſiue neget; propoſitio autem componitur ex definitione & diuiſione idearum,

1 *diſputat. de eo, quod omnes ideae oriantur a ſenſione*, Lipſiae 1704.

qua-

quarum indoles si nobis perspecta est, facile cognoscere possumus, num ideae inter se cognatione quadam sint coniunctae, an diuersae, adeoque etiam pro ratione illarum aut adfirmare; aut negare. ceterum tantum abest, vt Epicurus omnia effecerit perfecte, vt multa momenta maxime necessaria atque vtilia reliquerit intacta, etiam tradiderit quaedam emendanda. sic non solum speciales regulas cognitioni veri & falsi inseruientes minus attigit; sed & veritatis metaphysicae & logicae species inter se perturbauit, quum existimet; veritatem aliam esse *existentiae*, quae spectat ad metaphysicam; aliam *enunciationis*, quae logicae propria est. nec plane probare possumus ipsius criteria veritatis tria, sensionem, anticipationem & affectionem, siquidem partim criterium primum cum secundo confundit; partim vero aliquid habet veluti criterium veritatis, quod re ipsa non est. nam id satis exploratum esse putamus, quod sensio sit primum principium & vltimum criterium omnis veritatis, quidquid alii dicant; praenotio autem, anticipatio, idea est veritatis in genere principium secundum & criterium proximum, & quod ad affectionem siue appetitum adtinet, illam inter criteria referre haud possumus. voluntatis enim, ad quam pertinet haec affectio, indoles tantum fert, vt cupiditate bonum adpetat; malum vero fugiat, siue sit vere bonum ac malum, siue speciem tantum quamdam prae se habeat; fundamentum autem cognitionis, num amplexi simus bonum verum, nec ne; aut nos a malo vero, nec ne abstineamus, haud in voluntate;

sed in intellectu quærere debemus, quippe qui sentit, qua tranquillitate fruatur mens, hacque sensione cognoscit, num bene sese habeat in desiderio rerum appetendarum; & odio fugiendarum. res moralis duplici ratione potest considerari: primum num sit bona, an mala; deinde num sit vere bona ac vere mala, nec ne? priori ratione spectat ad voluntatem; posteriore vero ad intellectum ac quidem iudicium. quod si igitur Epicurus adfirmat, adfectionem siue appetitum esse criterium veritatis, aberrat a vero, hocque modo præter caussam voluntati adtribuit sensionem. equidem ANDREAS RÜDIGER [1] obseruat, quod hæc doctrina Epicuri non solum sit vera; sed & adæquata satis, si per *sensionem* intelligamus sensionem externam, per *passionem* internam; per *anticipationem* definitionem realem ac per φανlαςικὰς ἐπιϐολὰς τῆς διανοίας siue *arbitrarias mentis impositiones*, quas posteri addiderunt, definitiones nominales. sed quamuis hæc doctrina tali interpretatione inter se cohæreat; probari tamen non potest, quod ista cum mente conueniat Epicuri.

§. XVIIII. Hactenus de studiis veterum græcorum, qui ante reparatam salutem coluerunt artem logicæ, *romani* succedunt, de quorum cultura disciplinæ huius iam dispiciamus. veteres romani minus sine philosophia fuerunt, neque tamen primis temporibus ita culta est, vt ab ætate Ciceronis, qui ipse [2] dicit: *sapientiæ studium vetus id quidem in*

1 *philosoph. synthet. p. 24. edit. 3.* 2 *Tuscul. quæst. lib. IIII. cap. 3.*

nostris

nostris: sed tamen ante Laelii aetatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim: & alio loco [1] *philosophia iacuit usque ad hanc aetatem, nec vllum habuit lumen litterarum latinarum.* quumque primas curas conferrent in eloquentiam, qua vt & poësi politiores litterae maxime concludebantur, philosophiam praecipue ad artem oratoriam adhibuerunt, ad quam ipsius studia magnam habere vim merito existimabant. quapropter etiam faciebant profectiones litterarias in Graeciam, vt non solum rhetorum; sed & philosophorum scholas frequentarent ac sapientiae colligerent opes, cui multi magnum habebant pretium. CICERO [2] *quid est enim per Deos optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur, qui expetunt, philosophi nominantur: nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. sapientia autem est, vt a veteribus philosophis definitum, rerum diuinarum & humanarum caussarumque, quibus hae res continentur, scientia. cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo quid nam sit, quod laudandum putet.* sic philosophiam graecorum intulerunt ve teri Latio atque inprimis Romae, quorum alii maxime sectati sunt Stoicos; alii Epicureos; alii academicos; alii Aristotelem. praecipue illam philosophiae partem colebant, quae agit de moribus atque officiis, cuius vsum cum in eloquentia; tum vita honeste instituenda habebant perspectum, quod argumentum

1 *lib. I. Tuscul. cap. 3.* 2 *de officiis lib. II. c. 2.*

pluribus persequitur PAGANINVS GAVDENTIVS.[1]

§. XX. Quae cultura fuerit veterum romanorum artis logicae, id accurate definire haud possumus, quamuis magna veri specie liceat adfirmari, quod artis huius a graecis acceptae non penitus rudes fuerint, eamque saltem in disputationibus vsurpauerint, etsi simile sit quoque vero, quod istam neq; in scholis, neq; scriptis tradiderint, adeoque nihil effecerint, quo illa magis potuisset ornari, ac post graecorum curas meliori studio perpoliri. colligimus id ex his TVLLII[2] verbis: *didicisti enim non posse nos Amafanii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. nos autem praeceptis dialecticorum & oratorum sic parentes, vt legibus, verbis, quamquam nouis cogimur vti.* ALEXANDER SARDVS[3] putat, quod dialectica primum a M. VARRONE latinitate donata fuerit; cuius rei fides sit penes ipsum. saltim ex recensione librorum Varronis huius deperditorum, quam diligenter fecit IO. ALBERTVS FABRICIVS,[4] haud videre possumus, quod iste scripserit logicam, nisi istam libro de *philosophia* aut libris *disciplinarum* expositam fuisse dicere velimus. BARTHOLOMAEVS KECKERMANN[5] huc refert CICERONEM, quando dicit:

1 *de philosophia apud romanos o igine ac progressu.* 2 *lib. I. cap. 2. acad. quaest* 3 *de rerum inuentoribus lib. I c. 3. p. 4.* 4 *bibl. latin. lib. I. cap. 7. §. 4. p. 79.* 5 *praecogn. logic. tr. II. c. 2 §. 18.*

ri-

primus inter latinos Cicero fuit, qui logicam ederet latinam; & paullo post: *is incidit in secula illa oratoria, idcirco rerum contemplator vsquequaque subtilis non fuit, nec potuit esse ob practicas siue politicas occupationes. non ergo logicam ad proprium finem direxit, & primarium, sed minus principalem, vsum videlicet forensem: proinde non mirum, si fine obliquo constituto præceptorum etiam systema peccet: cui tamen plurimum debemus vel hac sola de caussa, quod nobis Aristotelis reales locos & inuentionem medii realis (quam in hodiernis eius topicis ne quicquam habemus) voluit exprimere*; atqui ipsum sequitur IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS.[1] nec negamus, quod Cicero peritus fuerit dialecticæ, ac inprimis sit secutus præcepta Stoicorum, id quod obseruat GERH. IO. VOSSIVS,[2] quibus & meliora facile potuisset excogitare, si pro singulari per naturam sibi indita vi hac de re cogitasset intentius. sed tamen quod in gente romana primus logicæ auctor extiterit eiusque præcepta consignauerit litteris, id est, quod firmioribus argumentis debet muniri. nam Ciceronis elegans liber *topicorum* præcipue vsui eloquentiæ est consecratus, quem si dialecticam velimus adpellare, & aliorum rhetorum opera, quæ de inueniendis argumentis differunt, huc referre debemus. aliud est, ex proposito conscribere logicam; aliud vero, partem quamdam illius ad eloquentiæ institutiones adhibere, eiusque vtilitatem in hoc litterarum genere demon-

1 *critisirender geschichts-calender der logic p. 20.* 2 *de natura ac constit. logic. cap. VIII. §. 22, 23.*

ſtrare. ſic fata logicæ apud romanos haud proſperiora fuerunt, nec ipſius incrementorum facta eſt acceſſio.

§. XXI. Variæ fuerunt ſectæ apud Iudæos, quas IOSEPHVS [1] vt ſectas philoſophorum conſiderat, Ἰȣδαίων, inquit, φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν, quod qua ratione poſſit admitti, oſtendit IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [2] præcipue erant *Phariſæorum*, *Eſſæorum* & *Sadducæorum*, de quibus ex inſtituto SCALIGER, SERRARIVS, DRVSIVS egerunt. quod ad ipſorum philoſophiam adtinet, obſeruant multi, quod fuerit ſimilitudo morum & doctrinarum inter *Phariſæos* & Stoicos, etiam Pythagoræos in doctrina ad animarum μετεμψύχωσιν ſpectante, quamuis verba IOSEPHI, [3] quibus nituntur, aliter poſſint intelligi, vt qui μετεμψύχωσιν inter doctrinas referunt Phariſæorum, haud firmo muniti ſint argumento. *Sadducæos* autem contendit cum Epicuræis GERH. IO. VOSSIVS: [4] *ex philoſophis*, inquit, *gentium hanc Sadducæorum opinionem* (de mortalitate animæ) *amplexi ſunt Epicuræi, imo longe deteriorem*; & tandem *Eſſæos* comparant cum Pythagoræis, confer IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [5] cuiusmodi conuenientiam inter ſectas Iudæorum ac gentium oſtendere quidem poſſumus, ſi modo iuſtum teneamus modum, nec maiora ac plura philoſophiæ gentium veſtigia in Iudæorum ſcholis quæramus. quapropter ad ſententiam IA-

1 *lib. XVIII. cap. 2. antiquitat. add. lib. II. de bello Iudaico cap. 12.* 2 *hiſt. eccleſiaſt. vet. teſt. per. II. ſect. 7. §. 18. p. 1226.* 3 *de bello iudaico lib. II. c. 7.* 4 *de idololatr. gentil. lib. I. cap. 10.* 5 *introd. ad hiſt. phil. Ebr. §. 19. p. 82. ed. 2.*

COBI

COBI FRIDERICI REIMMANNI [1] haud accedere possumus, qui etiam in studio logicæ artis Pharisæos cum Stoicis; Sadducæos cum Epicuræis & Essæos cum Cynicis contendere instituit. nam neque de Sadducæorum, neque Essæorum logica quidquam legimus relatum; qua in re præcipue debet probari, quod ea tempestate in gente Iudæorum hæ litteræ floruerint, nec sufficit, caussam suam solis coniecturis munire. quid quod perspicere haud possumus, cur clarissimus REIMMANNVS ex eo, quod Sadducæi disputandi artem haud felici successu exercuerint, efficiat conclusionem, illos in dialecticæ studio sectatos esse Epicurum, quasi philosophus hic omnem abiecerit disputationem, quum tantum ab ea, quæ in scholis Stoicorum erat recepta, abhorruit; ipse autem veræ ac genuinæ logicæ extitit æstimator. quod Pharisæi more Stoicorum struxerint sophismata, ac sæpius disputando aduersus seruatorem nostrum fecerint fallacias ac fraudes, id satis clarum ex scripturis diuinis adparet. HIERONYMVS [2] obseruat, quod ad speciem argumentationum Eubuldiis dictam κεϱατίνη pertineat argumentum, quod Pharisæi obiecerant Christo: *de Galilæa*, inquit, *venerat ad Iudæam, idcirco Pharisæorum scribarumque factio interrogat eum*: vtrum licet homini dimittere vxorem suam qualibet caussa? *vt quasi cornuto teneant eum syllogismo & quodcumque responderit, captioni pateat. si dixerit*: dimittendas esse vxores qualibet ex caus-

1 *calender der logic. p.* 18, 19. 2 *lib. III. in Matth. cap.* 19. *tom. VI. opp. p.* 39.

DVM.[1] mentionem faciunt illus PLVTARCHVS,[2] ARRIANVS[3] THEMISTIVS[4] quorum testimonia collegit AEGIDIVS MENAGIVS.[5]

V. ΟΥΤΙΣ, *nullus*, quod fallaciarum genus nomen habuit ab HOMERI[6] versibus, vbi interrogatus Polyphemus, cui Vlysses antequam ei effoderet oculum, persuaserit quod ipse nominetur ΟΥΤΙΣ, respondet: οὖτις με κτείνει δόλῳ, οὐδὲ βίηφι. quæ verba dubiæ sunt significationis, siquidem οὖτις significare potest & *nemo* & nomen quoddam proprium. LAERTIVS adhuc alia harum argumentationum genera recenset, quæ omnia heic distincte exponere, spatii ac temporis ratio haud permittit.

§. XV. Ex his colligere possumus, quid sentiendum sit de dialectica Stoicorum. scilicet philosophi hi hanc doctrinam neque solide, neque distincte tradiderunt, quid quod inutilia atque aliena, inter se perturbata ipsos delectarunt, quumue vinculis prauorum adfectuum capti tenerentur, vnice operam suam in struendis fallaciis consumserunt. sic illustris hæcce ars in Stoicorum scholis a prosperiori sorte remota, nulla accepit incrementa; quin etiam malo fato factum est, vt fere data fuerit oblivioni. BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS[7] hæc vitia in dialectica Stoicorum notauit:

(1) *quod nullam certam logicæ finem definiue-*

1 *cit. loc.* 2 *de sanitate tuenda & lib. I. sympos.* 3 *ad Epictetum lib. II. cap. 19.* 4 *orat. II.* 5 *ad Laërtium lib. II. sigm. 108. p. 123.* 6 *odyss. IX.* 7 *praec. logic. tr. II. cap. 2. §. 15.*

runt,

runt, idcirco omnia ad ostentandum disputando ingenium contulerunt.

(2) *præter præcepta quædam de syllogisticis formis ac captionibus pauca habuerunt. vnde Cicero, Stoicorum alias sectator aperte dicat, Stoicos iudicandi partem diligentius persecutos; de inuentione non multa docuisse.*

(3) *methodice artem non construxerunt vllam.*

(4) *insignes & pueriles sophistæ circa vocabula fuerunt, & vt a reliquis sectis, inprimis Peripateticis differre viderentur, nouos excogitarunt terminos.*

(5) *Stoicorum logica chaos fuit confusum ex syllogisticis formis & mirificis argumentandi speciebus.*

§. XVI. Nunc dicamus de EPICVRO eiusque dialectica siue potius *canonica.* natus traditur anno tertio olympiad. CVIIII. & vita defunctus anno secundo olympiad. CXXCII. qui magno studio philosophiæ sese tradidit, quamuis nonnulli sint, qui Epicurum dialecticam parui fecisse credunt. sic de eo dixit CICERO: [1] *iam in altera philosophiæ parte, quæ est quærendi ac disserendi, quæ λογικὴ dicitur, iste vester, plane, vt mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. tollit definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docet: non quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit: non, qua via captiosa soluantur, ambigua distinguantur, ostendit. iudicia rerum in sensibus ponit: quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri & falsi putat*: item: *dum dialecticam*, inquit,

1 *lib. I. cap. 7. de finib.*

con-

contemnit Epicurus, quæ vna continet omnem & perſpiciendi quid in quaque re ſit, ſcientiam, & iudicandi quale quidque ſit, ac ratione ac via diſputandi, ruit in dicendo, vt mihi quidem videtur, nec ea, quæ docere vult, vlla arte diſtinguit, vt de aliis locis [1] taceamus, quibus Epicurum hac de cauſſa perſtringit. DIOGENES LAERTIVS, [2] quum de Epicureis loquitur, dicit: *τὴν διαλεκτικὴν ὡς παρέλκουσαν ἀποδοκιμάζουσαν, dialecticam, vt ſuperuacaneam repudiant.* PLVTARCHVS apud A. GELLIVM [3] pronuntiat, *imperfecte atque præpoſtere atque inſcite ſyllogiſmo eſſe vſum Epicurum.* ſed tales cenſuræ omnino æquo ac iuſto ſunt grauiores. quod Epicurus non plane a ſtudio logicæ fuerit alienus, quin etiam meliora hac in arte tradiderit, quam alii philoſophi, qui ſingularem dialectices gloriam adfectabant, ex dicendis paullo poſt patebit. quapropter merito cenſemus, quod Epicurus dialecticam Stoicorum, quæ tantum fraudibus ac vanis diſputationibus inſeruiebat, reiecerit; etiam quum magiſtri huius ſectæ nomen *dialecticorum* ac *dialecticæ* veluti iure quodam proprio ſibi vindicarent, ipſam hanc adpellationem remotam eſſe voluerit. id quod ſatis confirmat SEXTVS EMPIRICVS, [4] & HIERONYMVS [5] dicit: *quoniam Stoici dialecticam ſibi vendicant, & tu huius ſcientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es*, quæ verba ſatis fauere cauſſæ Epicuri videntur; A. GELLIVS autem [6] ipſum

1 *lib II. de finib. lib. IV. acad. quæſt. lib III & V. Tuſcul.*
2 *lib. X ſegm 31.* 3 *noct. Attic. lib. II cap. 8.* 4 *aduerſus mathematic. p. 140.* 5 *aduerſus Rufinum.* 6 *cit. loc.*

defen-

defendit aduersus PLVTARCHVM. existimabat quippe, naturam veritatis cognoscendæ optimam esse magistram, quæ si vlla arte esset adiuuanda, indigere paucis regulis atque obseruationibus: confer PETRVM GASSENDVM. [1]

§. XVII. Iam dispiciamus de ipsa logica Epicuri, qui istam dixit *canonicam*, teste LAERTIO, [2] quoniam paucis canonibus siue regulis rationem declarabat, qua mortalium intellectus possit conformari ad cognoscendum verum, vt quamuis artem suam neque dialecticam, neque logicam adpellauerit, rem ipsam tamen retinuerit. at vero existimauit, omnem quæstionem in philosophia posse instituì aut *de re*, aut *de voce*. in quæstionibus *de re* duo momenta, partim ipsa *veritas*, partim *criterium* eius, essent obseruanda. veritatem aliam esse dicebat *existentiæ* siue exstantiæ; aliam vero *enunciationis*, siue iudicii. veritas *existentiæ* sit ea, qua unaquæque res in ipsa rerum natura exsistens sit id ipsum, quod sit, nihil aliud, cui veritati nulla opponatur falsitas. veritas autem *enunciationis* siue iudicii sit conformitas enunciationis ore factæ aut iudicii mente peracti cum ipsa enunciata seu iudicata re, cui opponi possit falsitas. quod ad *criterium veritatis* adtinet, obseruauit, quod res, cuius veritas quæratur, aut ad solam speculationem; aut ad vitæ actionem spectet. res naturæ percipiantur aut sensu aut mente; & res morales ipso affectu siue adpetitu; sic tria veritatis criteria constituit;

1 *de vita & moribus Epicuri lib. VIII cap. 4. & 10.* 2 *lib. X. segm. 30.*

ex parte ſenſus *ſenſionem*; ex parte mentis *prænotionem* ſiue *anticipationem*; & ex parte affectus *affectionem* ſiue paſſionem. ſingulis criteriis poſuit canones, etiam quæſtionibus de voce inſtitutis.

I. *Canones ad quæſtiones de re ſpectantes.*

(1) primi criterii ſiue ſenſionis.

α) *ſenſus nunquam fallitur; ac proinde omnis ſenſio, omnisque phantaſiæ ſeu apparentiæ perceptio vera.*

β) *opinio eſt conſequens ſenſum, ſenſionique ſuperadiecta, in quam veritas aut falſitas cadit.*

γ) *opinio illa vera eſt, cui vel ſuffragatur, vel non refragatur ſenſus euidentia.*

δ) *opinio illa falſa eſt, cui vel refragatur, vel non ſuffragatur ſenſus euidentia.*

(2) ſecundi criterii, ſiue prænotionis, anticipationis.

α) *omnis quæ in mente eſt anticipatio, ſeu prænotio dependet a ſenſibus idque vel incurſione, vel proportione, vel ſimilitudine, vel compoſitione.*

β) *anticipatio eſt ipſa rei notio, ſiue definitio, ſine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, immo & nominare non licet.*

γ) *eſt anticipatio in omni ratiocinatione principium; quaſi nempe id, ad quod attendentes inferimus, vnum eſſe idem aut diuerſum, coniunctum, aut disiunctum ab alio.*

δ) *quod ineuidens eſt, ex rei euidentis anticipatione demonſtrari debet.*

(3) ter-

(3) tertii criterii, siue adfectionis, passionis.

α) ea voluptas, quæ nullam habet adnexam molestiam, amplectenda est.

β) ea molestia, quæ nullam habet adnexam voluptatem, fugienda.

γ) ea voluptas, quæ aut maiorem voluptatem impedit, aut grauiorem molestiam parit, fugienda.

δ) ea molestia, quæ aut maiorem auertit molestiam, aut vberiorem voluptatem creat, amplectenda.

II. *Canones ad quæstiones de voce spectantes.*

α) dum loqueris, delige voces communes & perspicuas, ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando tempus frustra teras.

β) dum audis, id enitere, vt vim subiectam vocibus teneas, ne te aut præ obscuritate lateant, aut præ ambiguitate deludant.

in his canonibus explicandis atque illustrandis præcipue diligens fuit PETRVS GASSENDVS: [1] adde THOMAM STANLEIVM [2] & CHRISTIANVM THOMASIVM. [3]

§. XVIII. Hæc canonica Epicuri breuior quidem est, nec ad logicæ finem siue intellectum ad sensum veri & falsi aptum reddendum sufficit; continet tamen non solum vtiles; sed & solidas meditationes. quas alii philosophi, etiam æuo recentiori haud assecuti sunt, vt adeo in primis ratione temporis vetu-

1 *part. I. syntagm. phil. Epicur. de origine & variet. logic. cap. VII & alibi.* 2 *histor. philos. p. 913.* 3 *philos. aulic. cap. V. §. 18. sqq.*

ſtioris nunquam ſatis laudari poſſit. generatim laudem mereatur, quod ſollicitus fuerit de criteriis veritatis, quod inter recentiores CARTESIVS quoque fecit, quamuis Epicurus, adhuc melius ac rectius hac de re ſenſerit, quam CARTESIVS. nam ſi animum aduertimus ad ipſius meditationes ac doctrinas ſpeciatim, *primum* præclare docuit, quod ſenſus, recte ſcilicet ſe habentes, nunquam fallaces ſint, quodue ab ipſa ſenſione diſtinguenda ſit opinio hominum, quæ oriatur a iudicandi facultate ac ſenſionem ſequatur. quo momento ſenſit melius, quam Plato ac Carteſius, qui quum certitudinem ſenſuum tollerent, viam planam atque expeditam aperuerunt ſcepticiſmo, cui tamen viribus genuinæ logicæ iure ac merito reſiſtere debemus. *deinde* canon quintus inſignem continet veritatem, quod omnis idea ortum ſuum habeat a ſenſione, quæ doctrina etiam in ſcholis Peripateticorum celebris extitit, quod nihil ſit in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; recentiori autem æuo a Carteſio iſta ſine ratione oppreſſa eſt, aduerſus quem ſolide ANDREAS RVDIGER diſputauit. [1] *tertium* canones ſextus & ſeptimus ediſſerunt eleganter de definitione, quod omnis idea, quæ exſiſtat in mente, per definitionem ſit explicanda, vt inde perueniamus ad ſolidum ratiocinationis fundamentum. etenim omne argumentum deducitur ex propoſitione, ſiue aliquid adfirmet; ſiue neget; propoſitio autem componitur ex definitione & diuiſione idearum,

1 *diſputat. de eo, quod omnes ideæ oriantur a ſenſione, Lipſiæ* 1704.

qua-

quarum indoles si nobis perspecta est, facile cognoscere possumus, num ideae inter se cognatione quadam sint consiunctae, an diuersae, adeoque etiam pro ratione illarum aut adfirmare; aut negare. ceterum tantum abest, vt Epicurus omnia effecerit perfecte, vt multa momenta maxime necessaria atque vtilia reliquerit intacta, etiam tradiderit quaedam emendanda. sic non solum speciales regulas cognitioni veri & falsi inseruientes minus attigit; sed & veritatis metaphysicae & logicae species inter se perturbauit, quum existimet; veritatem aliam esse *existentiae*, quae spectat ad metaphysicam; aliam *enunciationis*, quae logicae propria est. nec plane probare possumus ipsius criteria veritatis tria, sensionem, anticipationem & affectionem, siquidem partim criterium primum cum secundo confundit; partim vero aliquid habet veluti criterium veritatis, quod re ipsa non est. nam id satis exploratum esse putamus, quod sensio sit primum principium & vltimum criterium omnis veritatis, quidquid alii dicant; praenotio autem, anticipatio, idea est veritatis in genere principium secundum & criterium proximum, & quod ad affectionem siue appetitum adtinet, illam inter criteria referre haud possumus. voluntatis enim, ad quam pertinet haec affectio, indoles tantum fert, vt cupiditate bonum adpetat; malum vero fugiat, siue sit vere bonum ac malum, siue speciem tantum quamdam prae se habeat; fundamentum autem cognitionis, num amplexi simus bonum verum, nec ne; aut nos a malo vero, nec ne abstineamus, haud in voluntate;

ſed in intellectu quærere debemus, quippe qui ſentit, qua tranquillitate fruatur mens, hacque ſenſione cognoſcit, num bene ſeſe habeat in deſiderio rerum appetendarum; & odio fugiendarum. res moralis duplici ratione poteſt conſiderari: primum num ſit bona, an mala; deinde num ſit vere bona ac vere mala, nec ne? priori ratione ſpectat ad voluntatem; poſteriore vero ad intellectum ac quidem iudicium. quod ſi igitur Epicurus adfirmat, adfectionem ſiue appetitum eſſe criterium veritatis, aberrat a vero, hocque modo præter cauſſam voluntati adtribuit ſenſionem. equidem ANDREAS RÜDIGER [1] obſeruat, quod hæc doctrina Epicuri non ſolum ſit vera; ſed & adæquata ſatis, ſi per *ſenſionem* intelligamus ſenſionem externam, per *paſſionem* internam; per *anticipationem* definitionem realem ac per φανταςικὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας ſiue *arbitrarias mentis impoſitiones*, quas poſteri addiderunt, definitiones nominales. ſed quamuis hæc doctrina tali interpretatione inter ſe cohæreat; probari tamen non poteſt, quod iſta cum mente conueniat Epicuri.

§. XVIIII. Hactenus de ſtudiis veterum græcorum, qui ante reparatam ſalutem coluerunt artem logicæ, *romani* ſuccedunt, de quorum cultura diſciplinæ huius iam diſpiciamus. veteres romani minus ſine philoſophia fuerunt, neque tamen primis temporibus ita culta eſt, vt ab ætate Ciceronis, qui ipſe [2] dicit: *ſapientiæ ſtudium vetus id quidem in*

1 *philoſoph. ſynthet. p. 24. edit. 3.* 2 *Tuſcul. quæſt. lib. IIII. cap. 3.*

noſtris

nostris: sed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim: & alio loco [1] *philosophia iacuit usque ad hanc ætatem, nec vllum habuit lumen litterarum latinarum.* quumque primas curas conferrent in eloquentiam, qua vt & poësi politiores litteræ maxime concludebantur, philosophiam præcipue ad artem oratoriam adhibuerunt, ad quam ipsius studia magnam habere vim merito existimabant. quapropter etiam faciebant profectiones litterarias in Græciam, vt non solum rhetorum; sed & philosophorum scholas frequentarent ac sapientiæ colligerent opes, cui multi magnum habebant pretium. CICERO [2] *quid est enim per Deos optabilius sapientia? quid præstantius? quid homini melius? quid homine dignius? hanc igitur, qui expetunt, philosophi nominantur: nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiæ. sapientia autem est, vt a veteribus philosophis definitum, rerum diuinarum & humanarum caussarumque, quibus hæ res continentur, scientia. cuius studium qui vituperat, haud sane intelligo quid nam sit, quod laudandum putet.* sic philosophiam græcorum intulerunt veteri Latio atque inprimis Romæ, quorum alii maxime sectati sunt Stoicos; alii Epicureos; alii academicos; alii Aristotelem. præcipue illam philosophiæ partem colebant, quæ agit de moribus atque officiis, cuius vsum cum in eloquentia; tum vita honeste instituenda habebant perspectum, quod argumentum

1 *lib, I. Tuscul. cap.* 3. 2 *de officiis lib. II. c.* 2.

pluribus persequitur PAGANINVS GAVDENTIVS. [1]

§. XX. Quæ cultura fuerit veterum romanorum artis logicæ, id accurate definire haud possumus, quamuis magna veri specie liceat adfirmari, quod artis huius a græcis acceptæ non penitus rudes fuerint, eamque saltem in disputationibus vsurpauerint, etsi simile sit quoque vero, quod istam neq; in scholis, neq; scriptis tradiderint, adeoque nihil effecerint, quo illa magis potuisset ornari, ac post græcorum curas meliori studio perpoliri. colligimus id ex his TVLLII [2] verbis: *didicisti enim non posse nos Amafanii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita, de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi, nec disserendi putant. nos autem præceptis dialecticorum & oratorum sic parentes, vt legibus, verbis, quamquam nouis cogimur vti.* ALEXANDER SARDVS [3] putat, quod dialectica primum a M. VARRONE latinitate donata fuerit; cuius rei fides sit penes ipsum. saltim ex recensione librorum Varronis huius deperditorum, quam diligenter fecit IO. ALBERTVS FABRICIVS, [4] haud videre possumus, quod iste scripserit logicam, nisi istam libro de *philosophia* aut libris *disciplinarum* expositam fuisse dicere velimus. BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [5] huc refert CICERONEM, quando dicit:

1 *de philosophia apud romanos o igine ac progressu.* 2 *lib. I. cap. 2. acad. quæst.* 3 *de rerum inuentoribus lib. I c. 3. p. 4.* 4 *bibl. latin. lib. I. cap. 7. §. 4. p. 79.* 5 *præcogn. logic. tr. II. c. 2 §. 18.*

ri-

primus inter latinos Cicero fuit, qui logicam ederet latinam; & paullo poſt: *is incidit in ſecula illa oratoria, idcirco rerum contemplator vsquequaque ſubtilis non fuit, nec potuit eſſe ob practicas ſiue politicas occupationes. non ergo logicam ad proprium finem direxit, & primarium, ſed minus principalem, vſum videlicet forenſem: proinde non mirum, ſi ſine obliquo conſtituto præceptorum etiam ſyſtema peccet: cui tamen plurimum debemus vel hac ſola de cauſſa, quod nobis Ariſtotelis reales locos & inuentionem medii realis (quam in hodiernis eius topicis ne quicquam habemus) voluit exprimere*; atqui ipſum ſequitur IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS.[1] nec negamus, quod Cicero peritus fuerit dialecticæ, ac inprimis ſit ſecutus præcepta Stoicorum, id quod obſeruat GERH. IO. VOSSIVS,[2] quibus & meliora facile potuiſſet excogitare, ſi pro ſingulari per naturam ſibi indita vi hac de re cogitaſſet intentius. ſed tamen quod in gente romana primus logicæ auctor extiterit eiusque præcepta conſignauerit litteris, id eſt, quod firmioribus argumentis debet muniri. nam Ciceronis elegans liber *topicorum* præcipue vſui eloquentiæ eſt conſecratus, quem ſi dialecticam velimus adpellare, & aliorum rhetorum opera, quæ de inueniendis argumentis diſſerunt, huc referre debemus. aliud eſt, ex propoſito conſcribere logicam; aliud vero, partem quamdam illius ad eloquentiæ inſtitutiones adhibere, eiusque vtilitatem in hoc litterarum genere demon-

1 *critiſirender geſchichts-calender der logic p.* 20. 2 *de natura ac conſtit. logic. cap. VIII. §.* 22, 23.

COBI FRIDERICI REIMMANNI [1] haud accedere possumus, qui etiam in studio logicæ artis Pharisæos cum Stoicis; Sadducæos cum Epicuræis & Essæos cum Cynicis contendere instituit. nam neque de Sadducæorum, neque Essæorum logica quidquam legimus relatum; qua in re præcipue debet probari, quod ea tempestate in gente Iudæorum hæ litteræ floruerint, nec sufficit, caussam suam solis coniecturis munire. quid quod perspicere haud possumus, cur clarissimus REIMMANNVS ex eo, quod Sadducæi disputandi artem haud felici successu exercuerint, efficiat conclusionem, illos in dialecticæ studio sectatos esse Epicurum, quasi philosophus hic omnem abiecerit disputationem, quum tantum ab ea, quæ in scholis Stoicorum erat recepta, abhorruit; ipse autem veræ ac genuinæ logicæ extitit æstimator. quod Pharisæi more Stoicorum struxerint sophismata, ac sæpius disputando aduersus seruatorem nostrum fecerint fallacias ac fraudes, id satis clarum ex scripturis diuinis adparet. HIERONYMVS [2] obseruat, quod ad speciem argumentationum Eubuldiis dictam κερατίνη pertineat argumentum, quod Pharisæi obiecerant Christo: *de Galilæa*, inquit, *venerat ad Iudæam, idcirco Pharisæorum scribarumque factio interrogat eum*: vtrum licet homini dimittere vxorem suam qualibet caussa? *vt quasi cornuto teneant eum syllogismo & quodcumque responderit, captioni pateat. si dixerit*: dimittendas esse vxores qualibet ex caus-

1 *calender der logic. p.* 18, 19. 2 *lib. III. in Matth. cap.* 19. *tom. VI. opp. p.* 39.

sa & ducendas alias, pudicitiæ prædicator sibi videbitur docere contraria. *si autem responderit*: non omnem ob caussam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur & aduersus doctrinam Moysis ac per Mosen Dei, facere iudicabitur. *igitur Dominus sic responsionem temperat, vt decipulam eorum transeat scripturam sacram adducens in testimonium & naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est.* sed illi, qui fallaces argumentationes proferre vult, non opus est arte quadam, si modo ingenii quadam vi valet, quam per prauam mentis indolem ad talia argumenta adhibere potest. quid igitur de dialectica Pharisæorum sit sentiendum, ex dictis patet.

§. XXII. His explanatis, fata quoque logicæ a nato seruatore generis humani vsque ad seculum sextum perlustrare, ordinis ratio iubet. quo temporis tractu fortuna disciplinæ huius haud prosperior fuit, siquidem philosophi Aristotelem tantum sequebantur, ac satisfecisse operi videbantur sibi, quum ipsius scripta logica obseruationibus ac commentariis illustrarent. etenim notum est, Peripateticorum alios esse *textuales*; alios vero *methodicos*, vti vulgo dicuntur. illi sunt, qui verba Aristotelis interpretantur eaque explanant commentariis; hi autem, qui ad certam tractandi rationem Aristotelis sententias adcommodant. priores κατ' ἐξοχὴν adpellati interpretes præcipue hac tempestate floruerunt, quos quamuis BARTHOLOM. KE-

CKER-

CKERMANN,[1] GERH. IO. VOSSIVS,[2] DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS,[3] IO. ALBERTVS FABRITIVS[4] aliique[5] commemorauerint; non ab re tamen erit, principes quoque illorum heic recensere. sunt illi vel *graeci*, vel *latini*. ad græcos pertinent

I. ALEXANDER *Aphrodisiensis*, sic dictus ab Aphrodisiade Cariæ vrbe, qui audiuit Herminum & Aristoclem Messenium, peripateticos. scripsit commentarium in *primum priorum analyticorum*, qui prodiit græce Venetiis MCCCCLXXXIX. apud Aldum fol. etiam posthac sæpius; latine autem interprete IO. BERNARDO FELICIANO. porro composuit commentarium in octo *topicorum libros*, quem diserte ipsi quoque tribuit SVIDAS, quod contra FRANCISCVM PATRICIVM obseruandum, cuius obiectiones remouet IO. ALBERTVS FABRICIVS.[6] græce editus est ab Aldo Venet. MDXIII. latinam autem eius interpretationem fecerunt GVILELMVS DOROTHEVS, ac meliori cura IO. BAPTISTA RASARIVS; libri autem septimi MVRETVS. tandem scripsit commentarium in *elenchos sophisticos*, qui Venetiis MDXX. apud Aldum prodiit in lucem; latinis autem versionibus operam dederunt GVILELMVS DOROTHEVS, IO. BAPTISTA RASARIVS, GASPAR. MARCELLVS. præter hos editos commenta-

1 *pracogn. logic. tr. II. c. 2. §. 21. seqq.* 2 *de natura & constit. logic. cap. 10. seqq.* 3 *polyhistore t. II. lib. I. cap. 9. sqq.* 4 *bibl. grac. variis locis.* 5 *vid. supra §. VII.* 6 *bibl. grac. lib. IIII. cap. 25. p. 67.*

rios

rios, adhuc alios elaborauit, qui partim perierunt; partim vero adhuc extare dicuntur, scilicet commentarium in Aristotelis *κατηγορίας* in librum *περὶ ἑρμηνείας*, in librum secundum analyticorum priorum & in libros analyticorum posteriorum. magnum nomen fuit inter Peripateticos, quem posteriores plerique libenter sunt secuti, nec solum græci, THEMISTIVS, AMMONIVS, PHILOPONVS, OLYMPIODORVS, SIMPLICIVS, MICHAEL *Ephesius*; sed & latini, vt BOETHIVS, quid quod Arabes, vt AVERRHÖES. quapropter ab aliis peculiari ratione adpellatur *ἐξηγητής*, *explanator*. BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [1] dicit: *in philosophia Peripatetica magnum atq; illustre nomen habuit toto orbe terrarum vsque adeo, vt nemo olim Aristotelei nomen consequi potuit, qui Alexandræus non haberetur.*

II. AMMONIVS, præceptor Simplicii, Io. Philoponi, & aliorum. ex ipsius monimentis quædam sunt conseruata atque in lucem edita, quæ huc spectant: *ὑπόμνημα* quippe in categorias Aristotelis, item in librum *περὶ ἑρμηνείας*, quorum commentariorum editiones, vt & aliorum diligenter recenset FABRICIVS. [2] interpres hic non tam sancte adhæsit Aristoteli, vt ab eo interdum discedere, sibi duxisset religioni, si, quidem etiam probat Platonis doctrinas, quem cum Aristotele conciliare conatus est. qualem autem interpretem Aristotelis oporteat esse, his verbis, quæ latine tan-

[1] *cit. loco.* [2] *bibl. græc. lib. IIII. c. 26. p. 163.*

tum

tum adferamus, tradit: [1] *qui explicare Aristotelis libros velit, eum decet, neque beneuolentia adductum dare operam, vt falsas sententias defendat, neque eas perinde accipere, ac si ab Apollinis tripode manarent: neque vt quae vere ac recte dicta sunt pro peruersis per odium capiat, sed incorruptum esse eorum, quae dicuntur, iudicem, ac primum quidem auctoris debet explicare sententiam, & quae illi probantur interpretari, deinde de eisdem ferre iudicium*; quod monitum haud contemnendum est.

III. THEMISTIVS, magnus quoque inter Peripateticos philosophus, qui praecipue scriptis, quae obscuriora videbantur, Aristotelis operam dedit, vt ista per paraphrasim redderet clariora. inter omnia ipsius monumenta eminet paraphrasis in *posteriora analytica*, quam IACOBVS ZABARELLA omnibus aliorum operibus praefert.

IIII. SIMPLICIVS, Ammonii Hermeae & Damascii discipulus natione Cilix. extat ipsius commentarius in κατηγορίας, qui inprimis elaborauit, sententias tam Aristotelis, quam aliorum, qui ab eo discedunt, diligenter enarrare.

V. IOANNES *Philoponus*, cuius extat commentarius in *priora analytica* & *posteriora*, de quo dicit KECKERMANN [2] Simplicius *eum acerbe nimis insectatur, cum tamen certum sit, Philoponum in logicis commentariis suis Simplicio magis saepe perspicuum esse &*

1 *comment. ad categ. p. 5.* 2 *cit. loc. §. 27.*

pla-

planiorem. interim systematicum & methodicum etiam nihil in logicis reliquit. antequam vero hos graecos interpretes Aristotelis dimittamus, non possumus, quin etiam mentionem faciamus PLOTINI, qui [1] doctrinam Aristotelis de praedicamentis censurae suae subiecit, ad cuius obiectiones respondit DEXIPPVS, Iamblichi discipulus, libris tribus quaestionum in praedicamenta Aristotelis, libro maxime secundo & tertio.

§. XXIII. Inter latinos interpretes principem locum tenet ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, scriptor seculo post Christum natum sexto ineunte. scripsit in *Aristotelis categorias*; in librum de *interpretatione*; *analytica priora & posteriora*; in libros *topicorum* & *elenchorum sophisticorum*, item *introductionem ad categoricos syllogismos*, libros duos *de syllogismo categorico*; librum de *diuisione* & alium de *definitione*, nec non libros quatuor de *differentiis topicis*, qui cum aliis Boethii scriptis ad logicam disciplinam spectantibus prodierunt Venetiis MDLVIIII. fol. & Parisiis MDX. MDXI. fol. vide IO. ALBERTVM FABRICIVM. [2] ceterum heic obseruari debet, quod interpretes graeci Aristotelis omnibus sint praeferendi, quoniam graecae linguae, sine qua heic nihil praeclari effici potest, erant periti ac sententias Aristotelis percipiendi, largiorem habebant copiam; quum contra latini, posteriores praesertim, Peripateticam doctrinam corruperint vehementer, quia ob inscitiam linguae

1 *ennead. VI. lib. I.* 2 *bibl. latin. lib. III. cap. 15. p. 648.*

graecæ ipsum Aristotelem adire haud poterant.

§. XXIIII. Sic floruit logica Aristotelis, quam sunt interpretati, minus autem emendarunt nec auxerunt. equidem si multis credimus, hoc quoque temporis tractu disciplinæ hujus facta sunt incrementa. namque laudant & commendant GALENVM, qui non solum Aristotelis libros logicos explanauerit, & opere, quod composuerit ἀποδείξεως, omnes ipsius demonstrationes, quæ in libris physices exstent, examinauerit; sed etiam scripserit περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, de *optima doctrina* contra Fauorinum & alios, qui κριτήριον veritatis tollebant; & adhæc monimentis medicis demonstrauerit satis, quam peritus fuerit artis logicæ. inprimis autem creditur, quod præter tres figuras syllogismi, quas commendauit Aristoteles, quartam adhuc excogitauerit, quæ etiam ab ipsius nomine adpellatur *Galenica*, id quod tradit AVERRHOES, [1] cuius fides si pondus quoddam haberet, omnino per hoc GALENVS incrementum quoddam logicæ effecisset. nam quamuis scholastici aliique religiosi Aristotelis sectatores hanc quartam figuram reiecerint; ob ieiunas tamen rationes id factum est, quoniam modus ratiocinandi omnino distinctus est a tribus illis figuris, & producit elegantissimas conclusiones, quapropter AVCTOR artis cogitandi [2] & ANDREAS RVDIGER [3] iure ac merito ipsi priorem dignitatem restituere elaborarunt. sed tamen alii dubitant, num GALENVS medicus figuræ huius sit auctor,

1 *Lib. I. prior. analyt. c. 8.* 2 *part. III, cap. 8. p. 169.* 3 *philos. synthet. p. 127. ed. 3.*

quia in ipſius ſcriptis hac de re nihil deprehendatur, ac modo iſtam Arabi cuidam, modo Scoto adtribuunt, vide ROETENBECCIVM [1] & IO. CHRISTIANVM LANGIVM. [2] ceterum non negamus, quod GALENVS artem medendi coniunxerit cum philoſophia, prout ex inſtituto opus quoddam litteris conſignauit de eo, ὅτι ἄϱιστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος, *quod optimus medicus ſit quoque philoſophus.* nec ex ipſius monimentis patet obſcure, quod diſciplinam logicam coluerit, ac in ſcriptis Ariſtotelis verſatus ſit diligenter, vnde etiam obſeruante PETRO PETITO apud AEGIDIVM MENAGIVM [3] dicitur a THEMISTIO Ἀριστοτέλους ἐξεταστής. quid quod obſeruat PETRVS RAMVS, [4] quod GALENVS Ariſtoteli haud vnice addictus, ex omnibus optima ac rationi conſentanea collegerit atque ea probauerit, quæ ſibi viderentur meliora: *itaque*, inquit, *nulli ſectæ ſe præcipue addixit, neque academicus, neque Ariſtotelicus, neque Stoicus, neque Epicureus eſſe voluit; ſed electiuus tantum, vt e ſingulis eligeret, quæ placerent.*

§. XXV. Præter GALENVM nonnulli quoque inter eos, quibus quædam logicæ incrementa debeantur, referunt PORPHYRIVM. ſcripſit quippe librum, qui organo Ariſtotelico vbique præmittitur, περὶ γένους, καὶ εἴδους, καὶ διαφορᾶς, καὶ ἰδίου, καὶ συμβεβηκότος, vt iſtum commemorat SVIDAS; BOETHIVS autem commentariis ſuis vocat librum de *generibus, ſpeciebus, differentiis, propriis & accidentibus,*

1 *de modis ſyllogiſmorum indirectis ſect. III. §. 17.* 2 *nucleo logicæ Weiſian. p. 236.* 3 *ad Laert. lib. IIII. ſegm. 44. p. 208.* 4 *ſchol. dialect. lib. I. cap. 8. p. 331.*

vnde

vnde plerumque adpellatur εἰσαγωγή, siue libellus περὶ τῶν πέντε φωνῶν, de *quinque vocibus*, siue de *quinque prædicabilibus*, *vniuersalibus*, vti dicuntur in scholis. existimant igitur Porphyrium primum esse auctorem horum prædicabilium, qua in opinione versatur IACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS; [1] sed nullo fundamento hæc sententia nititur. nam bene obseruat LVDOVICVS VIVES, [2] quod ab Aristotele hæc prædicabilia iam tradita sint in topicis. ceterum Porphyrius scripsit quoque *in Aristotelis categorias expositionem per interrogationem & responsionem*, quæ edita est; item *commentariorum in categorias libros octo ad Gedalium*, quos commemorat SIMPLICIVS; BOETHIO autem memoriam debemus *expositionis libri Aristotelis de interpretatione*; *& commentariorum in Theophrasti librum de affirmatione & negatione*: confer LVCAM HOLSTENIVM [3] & IO. ALBERTVM FABRICIVM. [4]

§. XXVI. Sunt quoque, qui quosdam ecclesiæ doctores, quos dicunt patres, veluti cultores logicæ speciatim nominant, ac primum quidem AVGVSTINVM, qui non solum libros ad dialecticam spectantes scripserit; sed & Cresconium grammaticum logicæ hostem, & academicos confutauerit. hinc BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [5] dicit: *is ut omnium post apostolorum tempora theologorum præstantissimus habetur, ita logicus etiam (nemo enim vnquam magnus theologus, cui logica*

1 Geschichts-Calender der Logic p. 24. 2 lib. III. de corrupt. art. 3 de vita & scriptis Porphyrii cap. VII. 4 bibliothec. graeca lib. IIII. cap. 27. 5 loc. citat. §. 24.

non est magna) fuit praestans profecto & excellens. vix XX. annorum iuuenis Aristotelis categorias exposuit publice, nec vnquam tota sua vita logicam desiit magnifacere. hinc passim multa logica praecepta inspergit, passim logicam laudibus praedicat summis. cui adiungunt HIERONYMVM, qui hanc disciplinam quoque magnis adficiat laudibus, ac de se ipse testetur, quod fuerit *philosophus, rhetor, dialecticus, ebraeus, graecus, latinus, trilinguis*: [1] sic & tradit, [2] se vertisse latine commentarios ALEXANDRI *Aphrodisiensis* in scripta logica Aristotelis, cuius verba adfert etiam RVFINVS contra Hieronymum disputans: *frustra ergo Alexandri verti commentarios, ne quidquam me doctus magister per εἰσαγωγὴν duxit in logicam.* idem RVFINVS: *sic tibi Alexandri tui commentarii profuere, sic Porphyrii εἰσαγωγή?* at vero si monimenta horum ecclesiae doctorum aliorumque euoluamus diligenter, animum aduertentes ad eorum rationem tractandi proponendique materias; aliquid probandi, efficiendi conclusiones, errores confutandi, quae omnia sine ope logicae haud accurate fieri possunt; obseruabimus sane, artis cogitandi studia apud illos non adeo floruisse, quos maiori cura declamandi facultatem interdum sectatos esse, constat. ex quibus efficimus conclusionem, haec christianorum sacrorumque coetuum capita litteras logicae aut plane non coluisse, aut quod maiorem prae se habet veritatem, a magistris eiusmodi dialecticae praecepta hausisse, quae nullam

1 *apolog. adversus Ruffin.* 2 *epistol. XXXII. ad Domnionem.*

vim

vim ad cogitationes rite formandas ac proponendas habuerint. pro qua temporis illius ratione, pro qua logicæ fortuna illius ætatis haud mirum eſt, quod hi doctores non diſtincte, nec ordinate omnia diſpoſuerint; quod regulas, quibus ratiocinatio nititur, haud ſemper obſeruauerint, ac interdum ieiunas effecerint concluſiones attulerintque rationes. mirum autem eſt, quod noſtra ætate ſint, qui quum laudem in eo ponant, vt hiſce doctoribus multa errorum genera exprobrent, diſcrimen ſtudii logicæ illa & noſtra ætate menti ſuæ haud proponunt. etenim ſi viri hi noſtro vixiſſent tempore, quo ratio litterarum eſt expedita, quoue cogitandi ars præclare culta ac in maius meliusque prouecta, non dubitaremus, quin multo meliora effeciſſent, etiam errores, quos aduerſus genuinæ logicæ præcepta admiſerunt, euitaſſent. illorum quidem inſtitutum haud probare poſſumus, qui nimio erga tales doctores amore occupati, illos contra quasuis accuſationes defendere, ac veluti errorum immunes habere ſuſtinent; ſed mediam tenere viam, optimum eſſe exiſtimamus. ſic pro veritatis amplificandæ tuendæque dignitate decet, errores modeſte obſeruare; pro bona mente autem, quæ viris his inerat, illos magis excuſare, quam perſtringere. quod ſpeciatim ad AVGVSTINVM adtinet, libri dialecticæ, qui ipſi adtribuuntur, haud genuini ſunt fetus.

LIBRI II.
DE
PROGRESSV AC FATIS
LOGICAE.
CAPITIS I.
DE
PROGRESSV AC FATIS ARTIS LOGICAE GENERATIM PER VARIOS AVCTORES.
SECTIO II.
AETATE MEDIA.
ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *De Io. Damasceno, Mich. Psello, Georg. Pachymerio eorumque scriptis logicis* §. II. *De dialectica Arabum* §. III. IIII. *Iudaeorum* §. V. VI. VII. *Scholasticorum* §. VIII. VIIII. X. XI. XII. *Raymundi Lullii* §. XIII. XIIII.

§. I.

Disputauimus igitur de progressu ac fatis logicae aetate vetustiori, ita ut historiam hanc a tempore Platonis vsque ad sextum seculum post reparatam generis humani salutem perfecerimus. qua operis parte ad finem perducta, nos conuertamus ad aetatem mediam, qua inprimis doctores illi, quos dicunt scholasticos, capita sua extollebant, ac fere summam imperii tenebant philosophici.

§. II. Antequam vero ad historiam logicae

cæ ſcholaſticorum adgrediamur, breuiter ea, quæ ante illorum ætatem in hac diſciplina ſint acta, attingere, muneris noſtri eſſe cenſemus. IO. igitur DAMASCENVS ſcripſit opus de *dialectica*, quo ingenium quidem philoſophia Ariſtotelis excultum demonſtrauit; ipſam autem artem nouis bonarum meditationum acceſſionibus haud iuuit nec amplificauit. inter græcos Ariſtotelis interpretes locum quoque tenet MICHAEL PSELLVS, *iunior*, qui vt veterum philoſophorum monimenta diligenter euoluit, cuius rei documento ſunt ipſius liber περὶ ἐνεργείας Δαιμόνων, de *operatione dæmonum*; item *expoſitio in oracula chaldaica*; ſic operam quoque ſuam in doctrinarum Ariſtotelis cognitione locandam eſſe putauit. LEO ALLATIVS [1] commemorat Pſelli huius *paraphraſin in Ariſtotelis librum* περὶ ἑρμηνείας, de *interpretatione*; nec non compendium *in quinque voces Porphyrii & Ariſtotelis prædicamenta*; *introductionem in ſex philoſophiæ modos*; IO. ALBERTVS FABRICIVS autem, qui hanc diatriben LEONIS ALLATII bibliotheca ſua græca recudi curauit & animaduerſionibus illuſtrauit auxitque, obſeruat [2] adhuc Pſelli huius σύνοψιν εἰς τὴν Ἀριστοτέλους λογικήν, quam edidit græce & latine ELIAS EHINGERVS, diſtributam in quinque libros, monens, quod PETRI HISPANI ſummula ex hoc Pſelli opere ſit petita, id quod etiam BARTHOLOMAEVS KECKERMANNI [3] ſignificauit. addunt quoque GEORGIVM PACHYMERIVM, qui philoſophiæ

1 *diatr. de Pſellis §. XXXVI.* 2 *pag. 35.* 3 *citat. loco §. 29.*

Aristotelis perfecit epitomen, cuius inter alia hoc laudari solet pronunciatum: ἐδὲν συμβεβηκὸς ἐσίαν ἀπεργάζεται, quod magnam vtilitatem adferre *in disputatione de operibus artificialibus, an sint referenda ad ordines substantiarum, an vero ad qualitatum categoriam*, dicit KECKERMANNVS: confer LEONEM ALLATIVM[1] & DANIELEM GEORGIVM MORHOFIVM.[2]

§. III. Quum hac tempestate philosophiae studia apud Arabes floruisse videantur, paucis quoque attingamus, quae ratio fuerit dialecticae in hac gente, quo in momento IO. PETER LVDOVICVS[3] nobis clarissimum lumen praefert. scilicet obseruat, quod Arabes coluerint graecam linguam, ac philosophia e Graecia migrauerit in Arabiam; quibus expositis, varios commemorat dialecticae laude excellentes. atqui huc refert principem dialecticorum IACOBVM ALCENDIVM, de quo ABVLFARAIIVS:[4] *Iacobus vero medicinae, philosophiae, arithmeticae, dialecticae, musicae, geometriae & Astronomiae peritus fuit, ac in plerisque harum scientiarum libros celebres & tractatus longos composuit: nec fuit inter Muhamedanos, qui philosophiae studio adeo claruit, vt philosophus nominaretur, praeter istum Iacobum*; item eo parum inferiorem KOSTAM, THABET, scriptorem dialecticae; MATTHAEVM, filium Yunesi, adpellatum ob excellentem artis hujus scientiam *dialecticum*; ALPHARABIVM, & vt de multis aliis taceamus,

1 diatrib. de claris Georgiis p. 366. 2 polyhist. tom. II. lib. I. cap. 9. §. 9. 3 histor. ration. philos. apud Turcas. 4 dynast. VIIII. p. 179.

mus, quos recenset, etiam AVICENNAM & AVERRHOEM, notissimos scriptores. ille, cuius nomen rectius scribitur ABV ALI ALCHASIN IBN ABDALLA IBN SINA, vide NICOLAVM ANTONIVM, [1] credidit, diuinitus ipsi datam fuisse scientiam logicæ, siquidem apud ABVLFARAIIVM [2] de se ipso dicit: *deinde per sesquiannum libris legendis sedulo incubui. & quoties aliqua in quæstione perplexus essem, aut medium syllogismi terminum non inuenirem; ad templum me recepi & ad omnium creatorem preces supplex effudi, donec aperiretur mihi in eo, quod abstrusum & conditum erat. noctu domum meam reuersus, lucerna coram me posita, legendo & scribendo operam dedi; & quandocunque inuasit me somnus, aut debilitatem aliquam sensi, acceptum vini poculum bibi, donec ad me redirent vires; deinde ad legendum reuersus sum. quodsi me occuparet vel leuissimus somnus, de ipsis illis quæstionibus somniabam adeo, vt multarum ex ipsis rationes mihi per insomnia notæ factæ fuerint. nec ita facere destiti, donec solidam dialectices & physices cognitionem acquisiuissem*: de cuius scriptis, in quibus etiam logica est, videre possumus LEONEM AFRICANVM, [3] IO. HENRICVM HOTTINGERVM, [4] PETR. DANIEL. HVETIVM [5] aliosque, quos collegit clarissimus IO. CHR. WOLFIVS [6]. AVERRHOES autem, siue rectius AVENRVSHD,

1 *bibl. hispan. vet. tom. II. p. 6.* 2 *dynast. VIIII. pag. 230.* 3 *de viris quibusd. illustrib. apud Arabes p. 260. Hottinger. biblioth. quadripart.* 4 *hist. eccles. secul. XI. p. 461. & analect. p. 295.* 5 *de clar. interpret. p. 228.* 6 *bibl. Ebr. p. 11.*

Cordubensis, philosophus & medicus celebris fuit, qui vt Aristoteli maxime erat consecratus; ita quoque in ipsius scripta logica composuit commentarios, in categorias, de interpretatione, in priora & posteriora analytica, topica, item isagogen Porphyrii; nec non introductionem in logicam Aristotelis, de quo pluribus legere possumus NICOLAVM ANTONIVM, [1] PETR. BAELIVM, [2] BARTH. HERBELOTVM, [3] IO. HENRIC. HOTTINGERVM. [4] præter hos clarus est fama nominis ABV ACHMED ALGAZALI, qui scripsit etiam logicam, translatam in linguam ebræorum, item *destructionem philosophorum*, cui AVERRHOES opposuit *destructionem destructionis*, de quo videas LEONEM AFRICANVM [5] & POCOCKIVM [6] aliosque.

§. IIII. Vt autem pateat, quæ ratio logicæ fuerit apud Arabes, non ab re erit, breuiter de ipsorum philosophia edisserere generatim. erant primum inter Arabes Muhammedanos christiani, græcæ philosophiæ periti, ac quamvis plura essent impedimenta, quo minus & Arabes Muhammedani scientiæ huius & græcæ linguæ fierent participes; ista tamen sensim ac sensim fuerunt remota, ac litteræ hæ benignius sunt susceptæ. id quod inprimis sub *Al-Mamone* chalipha accidit, qui ipse litteris doctus erat, teste ELMACINO; [7] *didicerat*, inquit, *egregie astronomiam Almamon, & ventorum stationes. vnde & inter peritos huius scientiæ*

[1] *bibl. Hisp. vet. tom. II. p. 240.* [2] *dictionar. hist. p. 414.* [3] *bibl. oriental. variis locis.* [4] *bibl. quadrip. p. 272.* [5] *apud Hottinger. bibl quadr. p. 262.* [6] *ad portam Mosis p. 118.* [7] *histor. Saracen. lib. II. cap. 8.*

etiam

etiam nunc notus est ventus Almamonis; atque homines græcorum philosophiæ addictos magnis adficiebat beneficiis, vti scribit IO. GRAVIVS: [1] *Almamon septimus in Abbasidarum familia Califa inter maximos principes ob doctrinam & insignem in viros eruditos munificentiam, iure celebrandus. is fuit, qui accersitis vndique hominibus eruditione illustribus & emtis e græcorum bibliothecis libris præstantissimis, eisque in Arabicam linguam traductis, breui bonas artes apud Arabes, prius armis magis, quam litteris addictos ad summum fastigium perduxit. cuius auspiciis debemus, quod adhuc multi e priscis Græciæ sapientibus, de quibus iamdiu inter ipsos Græcos conclamatum est, inter Arabes supersint.* nec non magnum librorum adparatum ex Græcia inprimis colligendum, & multos in arabicam linguam transferendos curauit. hinc LEO AFRICANVS [2] dicit: *tunc Mamon desiderio immortali desiderabat intelligere antiquorum scientias, quoniam tunc nulla erat scientia arabice descripta; adeoque dictus Mamon congregauit ingentem numerum doctorum diuersarum linguarum & interrogauit auctorum nomina atque librorum, quæ scripta fuerunt in artibus lingua Græca, Persica, Chaldæa, atque Aegyptia, adeoque multa eorum nominata sunt volumina. misit tunc multos ex familiaribus suis in Syriam, Armeniam, atque Aegyptum, vt illos emerent libros, de quibus sarcinas infinitas & tulerunt & conduxerunt. tunc segregati sunt boni & vtiles, sicut in medicina, in physica, in astronomia, in*

1 *præfatione ad tabulas geograph. Abulfedæ Ismaëlis princip. Ham. p. 6.* 2 *apud Hottinger. biblioth. quadripartito, p. 248.*

musica,

musica, in cosmographia, & chronica descriptis & posuit supra traductionem linguæ græcæ Ioannem, filium Mesuah prædictum, quoniam in illo tempore christicolæ græcis studebant litteris. posuit etiam supra traductionem græcam alios quam plures sub eodem Ioanne, & supra linguam Persicam Mahan, dictumque Mesuah, qui traduxerunt librum Galeni in medicina; post quæ omnia opera Aristotelis arabice traduxerunt, multis etiam aliis magistris auxiliantibus. sic cognoscimus ex hisce verbis, quod in his libris fuerint quoque opera Aristotelis, quæ tum in arabicam linguam sint translata, quod quum acciderit tempore Almamonis, cuius ætas spectat ad annum Christi ɪↄccccxx. Auicenna vero & Auerrhoës post annum milesimum a nato seruatore nostro clari extiterint, inde quoque colligere possumus; quod his viris gloria translatæ græcæ philosophiæ in arabicum sermonem haud vindicanda sit. atqui hac ratione Arabes addicebant sese philosophiæ Aristotelis, in qua cognoscenda, explicanda atque illustranda summam collocabant operam, id quod simul significat nobis, quam coluerint logicam. sequi scilicet præcepta Aristotelis elaborabant, præcipue Auincenna & Auerrhoës, qui magnis quidem studiis erga philosophum hunc trahebantur, si modo veras Aristotelis sententias adsequi potuissent. etenim neque rerum philosophiæ; neque græcorum linguæ cognitionem tenebant, qua inscitia occupati in interpretationibus haud felices progressus facere poterant, quid quod genuinam Aristotelis doctrinam perturbabant maxime. CAELIVS RHODIGINVS

GINVS [1] de AVERRHOË ſcribit: *cur commentator* (Auerrhoës) *tam ſæpe ab Ariſtotelis ſui ſententia videatur deuius, inde factum volunt, quod is in Hiſpania natus & Arabum idiomate imbutus, quum græcæ litteraturæ ne apices quidem imbibiſſet, Ariſtotelis libros in barbarum ſonum non translatos quidem, ſed mutilatos, decurtatos peruerſosque quum lectitaret, in iis, quæ altioris ſunt ſcientiæ & interioris ſenſus, auctorem eminentisſimum ſtudio breuitatis ita ſæpe conciſum, vt ſenſuum acumina ſudantes philoſophos diſtineant diu multumque, minus minusque conſequi valuit*: in primis autem ſtudia hæc, quibus Arabes Ariſtotelem ſunt ſectati, ac bonas philoſophiæ litteras in diſcrimen adduxerunt, magno dolore conqueritur LVDOVICVS VIVES. [2] quum igitur Ariſtotelem ducem ſuum eligerent, illi præcipue philoſophiæ parti operam dederunt, quæ dicitur λογική, ita vt verborum ſtudioſi eſſent maxime; de cognoſcenda autem ipſarum rerum indole parum ſolliciti. quapropter *periti* ſiue *domini ſapientiæ verborum*; pasſim quoque הדברים vocantur, qua de re conferre posſumus IO. HENR. HOTTINGERVM [3] & POCOCKIVM; [4] ADAMVS TRIBBECHOVIVS [5] autem quum præcipua philoſophiæ arabicæ momenta expoſuerit, hæc addit: *ex hac philoſophandi ratione tria potisſimum conſecuta, vt ſcilicet omnia terminis & conſictis notionibus ſuis inuoluerent, tum quoque certis his conſequentiis & principiis quælibet demon-*

1 *lect. antiqu. lib. III. c. 2.* 2 *de corrupt. artib. lib. V.*
3 *hiſtor. orient. lib. II. cap 7.* 4 *not. ad Abulfarai. p. 194.*
5 *de doctoribus ſcholaſtic. cap. III. p. 124.*

ſtrarent,

ſtrarent, deinde vero hac ratiociniorum trutina in vtramque partem res ipſas expenderent. de AVERRHOË & AVICENNA adhuc legi poteſt IAC. GADDIVS. [1]

§. V. Sic logicæ fata in Arabum gente duriora fuerunt, quum Ariſtotelem, cuius doctrinam ſequi inſtituebant, haud intelligerent & adhuc multa erronea atque inutilia adderent. ceterum hoc philoſophiæ genus *Arabico-Ariſtotelicum* multis Iudæis in Africa & Hiſpania degentibus ſeſe probauit, qui excitati ad litteras philoſophiæ colendas mentes contulerunt. alii ſcribebant obſeruationes in ſcripturas diuinas; alii ſtudio talmudis ſeſe tradebant; alii inquirebant in res abſconditas artis kabbaliſticæ; alii autem in philoſophia Ariſtotelica locabant operam ſuam, vide IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [2] quam diligenter in philoſophia Ariſtotelis ſint verſati, ex multis conſtat ducumentis, ſiquidem non ſolum libros philoſophi huius, atque Arabum ad ſapientiæ huius ſtudia ſpectantes in linguam tranſtulerunt ebræam; ſed & commentariis atque adnotationibus illuſtrarunt, quorum auctorum notitiam petere poſſumus ex IVLIO BARTOLOCCIO, [3] IO. HENRICO HOTTINGERO, [4] IO. BVXTORFIO, [5] IO. IVLIO STRVVIO, [6] IO. FRANCISCO BVDDEO, [7] IO. CHR. WOLFIO. [8] vt & hæc momenta attingamus, ac fata logicæ inter ebræos hac tempeſtate illuſtremus, libros ac

1 *de ſcriptoribus non eccleſiaſtic. tom. I. p. 50. ſeqq.* 2 *introd. ad hiſtor. phil. Ebr. p. 169. ed. 2.* 3 *bibl. rabbinic. tom. I. p. 480. ſq.* 4 *bibl. orient. cap. I. claſſ. XI. p. 47.* 5 *bibl. rabbinic. p. 64.* 6 *rudim. logic. Ebraor. p. 10.* 7 *cit. loco p. 201.* 8 *bibl. Ebr. paſſim.*

ſcripto-

scriptores huc spectantes ea, qua decet breuitate, recensere instituamus. primum igitur fuerunt, qui scripta logica Aristotelis verterunt. sic testatur BARTOLOCCIVS, exstare MSS.

ס' המאמרות *librum categoriarum*, interprete ignoto in B. Vatican. 4.

ס' המליצה *de interpretatione*, interprete anonymo in B. Vrbinat. 4.

ס' ההקש *librum analyticorum* per anonymum in B. Vatican. 4.

ס' המופת *librum topicorum.* ibid.

ERPENIVS, vt patet ex catalogo ipsius librorum manu exaratorum, habuit *logicam Aristotelis cum isagoge Porphyrii & quibusdam commentatoribus arabicis lingua hebraica.* 4t. LAMBECIVS[1] autem recenset codicem Tengnagelium, quo continentur compendium logicæ *Maimonidæ*: *Porphyrii* isagoge in quinque voces cum expositione *Auerrhois*: categoriæ *Aristotelis* cum commentariis *Auerrhois*; *Abu Nezar Alpharabi*, philosophi arabis de syllogismo demonstratiuo lib. I. & II. cum commentariis *Auerrhois*, quæ omnia a R. IACOB. fil. *Simson* ANTOLI Hispano conuersa sunt, qui vixit seculo XIII. necnon MAIMONIDES testatur epistola ad R. Iehudam Aben Tibbon, quod R. ISAAC filius CHONAIM scripta Aristotelis verterit, quamuis nondum ex eo sit apertum, num in logica quoque monimenta eandem contulerit diligentiam.

§. VI. Non solum autem ipsa scripta Aristotelis; sed & Arabum commentarios, quibus philosophum hunc illustrare elaborauerant,

1 *tom. I. commentar. Vindebonens. p.* 183.

ac libros logicos transtulerunt Iudaei in linguam suam.

AVICENNAE opera, quae etiam logicam complectuntur, a MAIMONIDE, vt titulus fert, hebraice conuersa Bononiae ostendi, testis est BERNHARD. de MONTFAVCON. [1]

AVERRHOIS scripta logica hebraico sermone exposita, quae ad illustrandum Aristotelem pertinent, diligenter commemorat IO. CHR. WOLFIVS. [2]

ABV ACHMED ALGAZALI, philosophus arabs scripsit logicam, quae cum commentariis MOSIS *Narbonensis* hebraice extat manuscripta in bibliotheca Bodleiana. [3] WOLFIVS [4] clarissimus putat, hanc logicam eandem esse cum תועלת ההגיון *de vtilitate logices*, in quem tractatum magister VITALIS TOLOSANVS commentarios scripsit, hebraice a R. MOSE *ben Iosuae Narbonensis* translatos, qui manu exarati cum scholiis exstant in bibliotheca Vaticana.

ABVNASAR ALPHARABI, magnus inter Arabes philosophus habitus, atque inprimis a Maimonide probatus. hic scripsit librum de *elenchis sophisticis* constantem partibus tribus, quarum prima introductionem; secunda fallacias in dictione & tertia fallacias extra dictionem tradit: atqui hoc opus hebraice manu scriptum extat in bibliotheca Vaticana, vt de aliis taceamus.

§. VII. Verum Hebraei in eo adhuc posuerunt operam suam, vt & ipsi conscriberent logicas, quas a voce הגה *meditari*, plerumque

1 *cap. XXVII. p. 402. diarii Italic.* 2 *bibl. hebr. p. 18.*
3 *vide catalogum illum n. 3720.* 4 *bibl. hebraea p. 3. n. 6.*

עיון vocant, quia præcipue ad meditationem ſpectare debent. quo pertinent

R. ABRAHAM f. MEIR ABEN ESRA, qui ſeculo XII. poſt natum Chriſtum vixit, atque cum inter iudæos, tum alios magnam conſecutus eſt auctoritatem, ſiquidem illi κατ' ἐξοχὴν חכם ipſum adpellant; a BARTOLOCCIO [1] autem vocatur *excellens philoſophus, aſtronomus, medicus, poëta, grammaticus, kabbaliſta & S. Scripturæ famoſus interpres.* ipſius ס' עיון *liber logices* manu conſcriptus reperitur in bibliotheca Vaticana.

ELIAS BESCHITZI, *Karæus filius Moſis*, qui CPoli vixit, vnde & *Byzantini* adpellationem accepit, ſeculo XV. inclinante, cuius logicam illam, quæ in catalogo bibliothecæ Leidenſis [2] recenſetur, eſſe ſuſpicatur WOLFIVS. [3]

R. IOSEPH f. CASPI ſeculo XIII. clarus, cuius logicam manuſcriptam commemorat HOTTINGERVS; [4] & WOLFIVS [5] tradit, eſſe commentarium in X. prædicamenta Ariſtotelis.

R. LEVI filius GERSCHOM ſiue *Gerſon*, qui philoſophiæ Ariſtotelis conſecratus erat, variis erroribus de æternitate mundi deque naturali diuinationum dono occupatus. BVXTORFIVS [6] commemorat ipſius logicam Venetiis editam, quem ſequitur IO. IVLIVS STRVVIVS; [7] rectius autem WOLFIVS [8] monet, illum ſcripſiſſe expo-

1 *biblioth. rabbinic. tom. I p.* 36. 2 *p.* 289. *n.* 54. 3 *cit. loc. p.* 150. 4 *bibl. orient. p.* 47. 5 *cit. loc. p.* 543. 6 *biblioth. rabbin. p.* 64. 7 *rudim. logic. Ebr. p.* 11. 8 *cit. loc. p.* 729.

ſitionem breuem in Auerrhoëm in logicam, ſiue X. prædicamenta Ariſtotelis, libros de interpretatione, analyticorum, de ſyllogiſmo, quod opus MS. extet in bibl. Vrbinat. vt adeo BVXTORFIVS per logicam Venetiis editam ſine dubio intelligat eius notas in Auerrhois expoſitionem Ariſtotelis Venet. M D LII. lat. edit. 4.

R. MOSES filius MAIMON, qui Cordubæ in Hiſpania anno Chriſti M C XXXI. natus, & magnam ingenii atque doctrinæ laudem ſibi peperit, præcipue quum & litteris philoſophiæ operatus ſit diligenter. certe in monimentis ſuis mentionem facit Ariſtotelis, Platonis, Galeni, Themiſtii, atque aliorum & ipſe præfatione miſchnæ teſtatur, quod *perlegerit omnes libros philoſophicos.* ſic libro, qui inſcriptionem habet *doctoris perplexorum* multa attingit argumenta philoſophica, atque Ariſtotelis Arabumque veſtigia premit, etiam more Ariſtotelicorum docet, ad ſublimem rerum diuinarum notitiam nemini patere aditum, niſi in logica ac metaphyſica probe animum atque ingenium exercuerit. RICHARD SIMON [1] de philoſophia huius doctoris ita cenſet: *Rabbi Moſes cognomine Maimonides ſeu Maimonis filius magnam exiſtimationem ſibi peperit, nedum apud Iudæos, ſed & apud Chriſtianos, qui in ſuis operibus vnum ex eius libris, cui titulus: moreh neuochim, frequenter citant. huius auctoris præcipuus ſcopus eſt, quæ in ſcripturis difficillima inſunt, elucidare omniaque æquiuoca in iisdem occurrentia tol-*

1 *hiſter. crit. veteru teſtamenti lib. III. cap. 4.*

lere,

lere. plurimi Iudaei in methodum eius illico insurrexerunt, & hoc scriptum damnant, quia suo ratiocinandi more gentis suae patrum traditionem euertere videbatur. ac sane R. Moses philosophum censeri nimis affectauit, ac quoddam ex Aristotelis & scripturae principiis miscellaneum parauit, quod omnium palato sapere non potest. eius metaphysica nimium subtilis est, & in sua plurimarum ebraicarum vocum genuinae significationis investigatione satis peritus grammaticus non videtur. praeterea fere semper quaestiones decidit ex propriis praeiudiciis, quae quidem religionis, quam profitebatur, axiomatibus quandoque conformia sunt; sed saepius etiam accidit, vt Arabum philosophorum, quorum libros euoluerat, opinionibus mens eius imbuta sit. inter alia scripsit quoque *logicam*, quae in quatuor & decem capita distincta & manu exarata exstat in bibliotheca Vaticana, vbi etiam reperiri compendium eiusdem a R. MOSE ben TIBBON, qui floruit anno Christi MCCLXX. sub inscriptione: מלאכת הגיון *opus logicum*, testatur BARTOLOCCIVS, quale compendium logicum etiam deprehenditur in bibliotheca Vindobonensi, vt cognoscimus ex NESSELIO. [1] extat adhuc opus quoddam sub titulo: מלות הגיון, de *distinctionibus logicis*, quod Maimonidi tribuitur, cum duplici commentario vtroque ἀνωνύμῳ editum Venet. anno Chr. MDL. Cremonae MDL. & MDLXIIII. quem postremum librum מלות הגיון a *logica* illa & *compendio*

1 catal. n. 71.

Oo 2 logices

logices distinguit BARTOLOCCIVS. sed clarissimus WOLFIVS [1] merito suspicatur, esse vnum eumdemque librum, quia & ille in XIIII. capita distinctus sit, quibus *logica* illa absolui dicatur; *compendium* vero, quod dicitur מלאכת הגיון ex titulo ipso מלות הגיון videtur ei adpellatum. BVXTORFIVS, [2] HOTTINGERVS, [3] STRVVIVS [4] commemorant *logicam* R. SCHIMEONIS, quæ latine versa & punctis vocalibus illustrata a Munstero & excusa Basileæ per Frobenium prodierit anno MDXXVII. sed RICHARD SIMON [5] probat, logicam illam esse Maimonidæ, quod obseruat quoque WOLFIVS. [6]

Atqui hæc sufficiant. quæ omnia aperte significant, magna quidem fuisse auctoritate Aristotelem in gente ebræa; minus autem prosperiora logicæ fata. etenim sequebantur Arabes, qui ipsi Aristotelem haud intelligebant, & præcepta rationis cum scripturis sacris ac traditionibus adeoque summa imis permiscebant; quin etiam corruptis affectibus, qui prauas gignebant opiniones, trahebantur. quam infeliciter interdum peripateticam philosophiam coniunxerint cum diuinis oraculis, MAIMONIDES suo exemplo demonstrare potest. de verbis enim MOSIS [7] disputans: *& sub pedibus eius erat velut opus albedinis lapidis sapphiri*, ista interpretatur de materia prima Aristotelicorum: [8] *dico ergo*, inquit, *sub pedibus*

1 *cit. loc. p.* 862. 2 *biblioth. rabbinic. p.* 64. 3 *bibl. orient. p.* 47. 4 *rudiment. log. Ebr. p.* 11. 5 *biblioth. critic. tom. IV. p.* 48. 6 *cit. loco p.* 863. 7 *Exod. XXIIII.* 10. 8 *mor. nevoch. p. I. c.* 28.

eius,

ejus, idem esse ac ex caussa ipsius, hoc est per eum & propter eum, sicut explicuimus. quod autem apprehenderunt, fuit ipsa materia prima, quæ est a Deo benedicto (immediate scilicet) cuiusque ipse caussa est efficiens. nam obseruandum est, quod dicat, sicut opus albedinis sapphiri: si enim voluisset denotare colorem vel speciem externam, simpliciter dixisset, sicut albedo sapphiri. verum addit, sicut opus, quia materia, vt nosti, natura sua semper recipit formas & patitur, nunquam vero agit, nisi per accidens, sicut forma semper agit per se, nunquam autem patitur, nisi per accidens, quemadmodum ista in libris physicorum explicantur. ex quo modo tractandi philosophiam, facile cognoscere possumus, quæ fortuna logicæ fuerit apud illos, quæ vsu genuino rationis humanæ, solido atque vnico fundamento nititur. de logicis talmudicis, quas vocant, heic nihil adtinet dicere, de quibus si in censum horum librorum verius venirent, supra fuisset disserendum: ceterum videre possumus IO. HENR. HOTTINGERVM[1] & IO. IVLIVM STRVVIVM, cuius *rudimenta logicæ Hebræorum* rationem argumentandi talmudicam exponunt, inprimis ex libro *Halichoth Olam*.

§. VIII. Quum Saraceni gens arabica magnam Africæ partem occupassent, & in Hispaniam transiissent, hac ratione philosophiam arabico-Aristotelicam intulerunt in Europam, ac fundamentum *philosophiæ scholasticorum* posuerunt, solent tres classes scholasticorum

1 *bibl. orient. p. 13.*

constitui. prima incipit a RVCELINO, vel vt alii putant a PETRO LOMBARDO, atque extendit sese vsque ad tempora ALBERTI *magni*, qui ingenio nituit circa medium seculi XIII. secunda aetas deducitur ab ALBERTO *magno* vsque ad DVRANDVM de *S. Portiano*, id est initium seculi XIIII. qua aetate praecipue THOMAS de AQVINO, IO. DVNS SCOTVS famam sibi adquisiuerunt. tertia aetas, quae durauit vsque ad Christianae doctrinae reformationem, inprimis tulit GVILIELMVM OCCAM & GABRIEL. BIEL, quas aetates constituit ALSTEDIVS, [1] quod iam ante eum quoque fecit DANAEVS, [2] & in quas accuratius inquirit IACOBVS THOMASIVS. [3] qui obseruat, quod si historiam scholasticorum a RVCELINO, cuius aetas incidat in annum MXCIIII, vsque ad reformationem deducamus, haec scholastica doctrina complectatur quatuor secula cum vno fere quadrante; quamuis aliter sit pronunciandum de illis, qui theologiae scholasticae originem deriuant a LANFRANCO, quippe qui ABELARDVM, discipulum RVCELINI, integro seculo antecessit. nec de his aetatibus omnibus vna eademque sententia est, ac inprimis disputant de prima origine atque auctore philosophiae ac theologiae scholasticae. alii hanc gloriam vindicant LANFRANCO; alii PETRO LOMBARDO, in quibus est ADAMVS TRIBBECHOVIVS; alii ABELARDO, item RVCELINO; & IACOBVS THOMASIVS [4] existimat, RV-

1 *thesaur. chronolog.* 2 *prolegom. in lib. I. Lombardi.* 3 *de doctoribus scholasticis. §. XIIII seqq.* 4 *disp. de doctoribus scholasticis.*

CELI-

CELINVM esse auctorem philosophiae scholasticae; ABELARDVM vero theologiae scholasticae, quamuis ipsius discipulus PETRVS LOMBARDVS maiorem nominis famam magistro suo fuerit adsecutus. quam controuersiam componere, ac quae vera sit sententia, declarare, res omnino ardua est, inprimis quum ista quaestio, de qua disputant, varia ratione potest considerari. quodsi enim respiciamus adpellationem & vocem *scholastici*, illius vsus iam ante frequens fuit, qua aeuo medio significabant hominem litteris ac bonis artibus excellentem; posthac praecipue virum, qui doctoris ac professoris munere fungebatur, qualis persona eo tempore lumen quoddam orbis eruditi habebatur, ut CHR. AVGVSTVS HERMANNVS [1] obseruat. si autem ad rem ipsam aduertamus animum, omnino discrimen inter philosophiam & theologiam scholasticorum ponere debemus, ac ratione philosophiae respicere modum, quo ista ad exemplum Arabum culta fuerit; ratione theologiae autem prima studia, quibus istam non solum publice sunt professi, sed &, quod princeps est momentum, ieiunam, aridam, inutilem, etiam impiam philosophiam coniunxerint cum ista, quorum quis primus fuerit, propter inopiam monimentorum historicorum definiri haud potest. ceterum si quaestionem ita ponamus, quis primus singulari studio & applausu ita genus hoc litterarum, praecipue theologiae tractauerit, vt clarissimum nomen a se dederit; magna veri specie gloriam istam meretur LOMBARDVS, qui facile celebritatem Abelardo

1 *praef. ad Tribbech. tr. de doctorib. scholasticis.*

magiſtro ſuo præripere poterat, quoniam ille nomine *hæreticarum opinionum* ſuſpectus erat.

§. VIIII. Quod ſpeciatim ad ſcholaſticorum dialecticam adtinet, illius hiſtoriam diſtincte tradere poſſumus, ſi primum auctores, qui in hac diſciplina ſunt verſati; poſthac autem ipſam rationem dialecticæ ſcholaſticæ commemoramus atque exponimus. ex ſcholaſticis igitur philoſophiæ, etiam dialecticæ operati ſunt

IO. RVCELINVS, quem alii ſcribunt ROSCELINVM, & Henricus Gandauenſis [1] RVZCELMVM, quod & rectius fieri, exiſtimat IACOBVS THOMASIVS. [2] traditur primus nominalis, aut nominalis doctrinæ in logica Ariſtotelis inuentor: hinc OTTO *Friſingenſis* [3] dicit: ***habuit*** (Abelardus) *primo præceptorem Rozelinum quemdam, qui primus noſtris temporibus in logica ſententiam vocum inſtituit*; & intelligit per *ſententiam vocum* doctrinam nominalium. noti quoque ſunt verſus in Rucelini doctrinam, qui leguntur apud AVENTINVM: [4]

quas Ruceline doces, non vult dialectica voces,
iamque docens de ſe non vult in vocibus eſſe,
res amat, in rebus cunctis vult eſſe diebus.

PETRVS ABELARDVS, Rucelini diſcipulus, qui philoſophiæ laude clarus fuit, hinc *Io. Sarisberienſis* paſſim eum vocat nomine *Peripatetici Palatini*, quoniam ſequebatur

1 *cap. V. de ſcriptorib. eccleſiaſt. part. I. eccleſ. bibl. Miræi p.* 163.
2 *de doctoribus ſcholaſt* §. 6.
3 *de geſtis Friderici Barbaroſſa lib. I. cap.* 47.
4 *lib. VI. annal. p.* 498.

Ariſto-

Aristotelem & in monte Genouefæ, vbi erat insigne palatium, docebat, vide IACOBVM THOMASIVM. [1] dialecticam quoque coluit, vnde ipsum dictum esse *dialecticum*, testatur HORNIVS. [2] vitam eius exposuit nominatus THOMASIVS. [3]

ALBERTVS *magnus*, qui philosophiæ Aristotelicæ maxime deditus erat, adeo vt adpellatus fuerit *Simia Aristotelis*: hinc dicit LANGIVS: [4] *ob amplitudinem omnifariæ doctrinæ magnus dictus, fuit in omni philosophia peripatetica peritissimus. hinc & a plerisque simia Aristotelis adpellatus est, qui & nimium vino secularis scientiæ ebriatus sapientiam humanam, ne dicam philosophiam prophanam diuinis litteris copulare ausus est, quique dialecticam contentiosam, spinosam & garrulam sacratissimæ & purissimæ non pertimuit permiscere theologiæ, nouum & philosophicum modum sacras docendi & explanandi litteras suis tradens sequacibus: theologistarum sectæ, quæ ab eo Albertistarum dicitur, dux & monarcha excellens.* scripsit hic Albertus in omnes libros, quos complectitur organon Aristotelis, commentarios, *in quibus logicæ artis peritiam magnam ostendit*, vt ait BARTHOLOMAEVS KECKERMANN. [5]

THOMAS AQVINAS, qui a cultoribus philosophiæ & theologiæ scholasticæ magnis ac diuinis fere laudibus adficitur. dicitur *doctor angelicus, plus quam Salomon, interpres*

1 *de doctorib. scholastic.* §. *VIII.* 2 *hist. philos. lib. VI. cap.* 2.
3 *vide Christiani Thomasii. histor. sap. & stultitiæ tom. I. p.* 75.
4 *chronic. Citizens. ad annum* 1258. 5 *praec. logic. tr. II. c.* 2. §. 37.

diuinae voluntatis, matutinus lucifer, quasi luna plena sapientia & moribus & veluti sol oriens mundo. scripsit commentarios in vniuersum Aristotelis organon, item summulam logicam de quatuor oppositis, de demonstratione, de fallaciis, de modalibus, de natura generis, de natura accidentis, de natura syllogismorum, *a quibus quantum ars logica incrementi capere possit, ii possunt experiri, qui cum iudicio sine praeiudicio tenellarum aurium haec talia ignei vere ingenii monimenta lubenter legunt*, vti dicit KECKERMANN.[1] RENATVS RAPINVS[2] existimat, quod AQVINAS primus arabicam philosophiam tractandi rationem obseruauerit.

PETRVS HISPANVS, qui conscripsit *summulas dialecticas*, quas, vt supra monuimus, MICHAELI PSELLO debebat. opus hoc tantam consecutum est auctoritatem dignitatemque, vt vsus illius in omnibus fere scholis fuerit frequens, ac insignis illorum copia extiterit, qui id obseruationibus ac commentariis illustrandum curarunt.

IO. DVNS SCOTVS, vir subtilis ingenii, cuius ope abstrusas quaestiones, quae nullius sunt vtilitatis, proposuit, etiam auctor sic dictarum *haecceitatum* extitit, cuius indolem nemo elegantius expressit, quam IO. BALAEVS,[3] quando dicit; *Ioannes Duns natione Scotus, doctor subtilis adpellatus, portentosus artifex, ac litigiorum patriarcha, imposturarum labyrinthos ingenio dae-*

1 *cit. loco.* 2 *compar. de Plat. & d' Arist.* 3 *de script. Anglic.*

dalino

dalino excogitauit contendendi formulas nouas verbis intricatis ſubtiliter adinuenit, & monſtrifica conflictationum vocabula formauit, de ſuppoſitionibus, obligatoriis, inſolubilibus, hæcceitatibus, formalitatibus, modis intrinſecis, atque aliis ſophiſtarum chimæris, vt Chriſtus in contentione prædicaretur ac innumeris ſuperſtitionibus in eccleſia veſtiretur. ſtultior enim eſt ea ſententiariorum papiſticorum theologia ſacra, ex centaurorum biformi conflata genere, quam ſunt ſcripta fabuloſa Heſiodi & Orphei theologorum gentilium. qua ingenii indole quum eſſet, ac nimis ſubtili cogitatione omnia expendere elaboraret, quid mirum, quod monimenta ſua effecerit maxime obſcura, ita vt de eo dicere poſſimus: *quia non vult intelligi, non debet legi*: ob quam cauſſam adpellatus quoque eſt *tenebrarum magiſter*. ſcripſit *quæſtiones in logicam*; de *vniuerſalibus*, de *prædicamentis*; in *poſteriora analytica Ariſtotelis*.

GVILIELMVS OCCAM, qui heic ideo commemorandus eſt, quod ſectam nominalium inſtaurauerit: compoſuit *ſummam totius logicæ*, *maiorem ſummam logicæ*, quibus illi, qui nugis ſcholaſticorum delectantur, ſummum habent pretium, adeo vt MARCVS de BENEVENTO, qui *Occami* opera edidit, præfatione teſtetur, quod ſi *apud deos nexus logicæ inuenirentur, nullius niſi Occami viri doctiſſimi ſolutione vti dignarentur*:

De quibus vt & aliis, quos de induſtria ſilentio præterimus, pluribus videri poſſunt ADAMVS

TRIB-

TRIBBECHOVIVS,[1] DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS,[2] IO. IACOBVS a RYSSEL,[3] & illi, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis egerunt, quorum notitiam debemus IO. ANDREAE BOSIO & THOMAE ITTIGIO.

§. X. Breuiter commemoratis principibus ſcholaſticis, inſtituamus quoque, indolem logicæ ſcholaſticæ perſpicue exponere, quippe quam plenius intueri ac cognoſcere poſſumus, ſi de ipſa philoſophiæ huius ratione videmus generatim. quisque igitur, qui genuinæ ſapientiæ & ingenio & mente operam dat, merito cenſet, illam ſcholaſticam cum vera philoſophia nihil habere commune. videamus, quid efficiat verum, rectum ac genuinum philoſophum, id quod in duobus momentis poſitum eſt, prout omnes diſciplinæ, adeoque etiam philoſophia duplici ratione poſſunt conſiderari; partim ratione rerum, de quibus tractant; partim vero ratione formæ, qua diſciplinarum naturam præ ſe habent. quod ad res adtinet, philoſophus tales proponere debet, quarum cognitio vim habet ad felicitatem noſtram, ſiue internam, ſiue externam; ſiue huius, ſiue alterius vitæ promouendam, adeoque eius muneris eſt, ſe abſtinere a momentis inutilibus, quæſtionibus diſputationibusque vanis ac ieiunis. ſed vero quem fugiat, quam pleniſſimæ ſcholæ horum doctorum ineptiarum fuerint, & quam cumulatiſſima monimenta illorum quisquiliis ſint? ERASMVS [4] notat hæc portenta ſcholaſticorum: *illa demum,*

1 *De doctoribus ſcholaſticis.* 2 *polyhiſt. tom. II. lib. I. c. 13. 14.* 3 *continuat. Voſſ. de ſectis philoſ. cap. VIII.* 4 *moria encomio pag. 178.*

inquit,

inquit, *magnis & illuminatis theologis digna putant; ad hæc si quando incidunt, expergiscuntur scholastici, num quod instans in generatione diuina? num plures in Christo filiationes? num possibilis propositio: pater odit filium? num Deus potuerit suppositare mulierem, num diabolum, num asinum, num cucurbitam, num filium? tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula, figenda cruci? & quid consecrasset Petrus, si consecrasset eo tempore, quo corpus Christi pendebat in cruce? & num eodem tempore Christus homo dici potuerit & num post resurrectionem edere aut bibere fas sit futurum? iam nunc famem sitimque præcauentes. sunt innumerabiles* λεπτολεσχίαι *his quoque multo subtiliores, de instantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, hæcceitatibus, quas nemo possit oculis assequi, nisi tam lynceus, vt ea quoque per altissimas tenebras videat, quæ nusquam sunt.* absurdas quoque quæstiones proposuerunt, quumque de istis acriter in vtramque partem disputarint, sæpius non solum ieiuna; sed & impia, quæ maiestati scripturarum diuinarum aduersa sunt, sua sibi fecerunt, id quod ADAMVS TRIBBECHOVIVS [1] in hac quæstione: *si mus aut aliud quodcumque brutum hostiam consecratam arrodat vel comedat, quid de corpore Christi fiat?* copiose demonstrauit. atqui eadem ratione veram ac genuinam philosophiam, cuius veritates nobis aditum ad felicitatem patefacere debent, corruperunt, quin etiam proscripserunt, suaque ingenia ac pecto-

1 *De doctoribus scholastic. p. 152.*

ra impleuerunt nugis, quisquiliis, ineptiis, quorum disputationes ac certamina de vocibus tantum instituebantur, atque erant λογομαχίαι, vt ostendit SAMVEL WERENFELSIVS.[1] quodsi autem philosophiam consideramus ratione formæ, qua ad artem disciplinæ adcommodata complectitur genuina principia & inde deductas consequentias, ille nomen ac laudem veri philosophi tueri potest, qui partim ratione intellectus libertate cogitandi eo, quo decet, iure vtitur; partim voluntatem ab affectuum vinculis liberat, vt non solum prospiciat hac ratione intellectui; sed & studia & voluptas veritatum, item animus istas aduersus impetus praue sentientium defendendi fortiter, gignantur. quodsi ita est, sicuti est, scholasticos ne vllam philosophicæ laudis partem tenere posse, merito censemus. namque si ipsorum spectamus *intellectum*, quem excolere & ad formam sanæ rationis, qua omnis nititur philosophia, redigere debuissent, iste plane corruptus, ac in tetras tenebras inscitiæ, falsarum opinionum, atque errorum deductus erat, qua conditione rebus philosophiæ haud consulere poterant. *primum* enim nimio studio auctoritatis cum Aristotelis, tum ecclesiæ romanæ tenebantur, hocque morbo laborantes haud apti erant ad veritates propagandas; sed fidem quamdam philosophicam, quæ omnem veram philosophiam frangit atque euellit, introducebant. Aristoteles tum eligebatur perpetuus dictator philosophicus, ac veluti Papa ecclesiæ philosophi-

[1] *De logomach. erud. p. 24. 36. sqq.*

cæ,

cæ, cuius auctoritate omnia metiri solebant, adeoque propriam iudicandi facultatem penitus opprimi patiebantur. quin etiam ista ætate bonæ litteræ sepultæ iacebant ac tanta linguæ græcæ inscitia erat, vt Aristotelem græcum haud intelligerent; sed vt versionem sacri codicis latinam habebant pro norma; sic Aristoteles quoque latinus, a græco multum discrepans erat, quem veluti oraculum philosophicum sequebantur. erant autem scholastici homines sacri & maximam partem monachi, quos tanta superstitio, tanta cœca erga pontificem romanum pietas occupauerat, vt quidquid postularet commodum atque ambitio Papæ, pro perfectissima haberent veritate, sicque & hæc auctoritas omnem cogitandi libertatem tolleret. *deinde* discrimen inter lumen gratiæ ac naturæ haud obseruarunt, ac scripturas sacras cum philosophia perturbarunt, quod iterum duplici ratione fiebat, partim *obiectiue*; partim *formaliter*, vt his metaphysicorum vocibus vtamur. *obiectiue* dum egerunt in philosophia de eiusmodi rebus, quas tantum sacer codex sibi vindicat, nec vllus homo naturalibus intellectus viribus cognoscere potest, quales sunt mysteria fidei christianæ, etiam momenta philosophica in disciplinas theologiæ intulerunt. *formaliter* vero philosophiam cum theologia confundebant, quum istam theologiæ ancillam esse existimauerint adeoque in doctrinas theologiæ haud inquisiuerint ac placita ecclesiæ, abiecto lumine rationis, promiscue vera habuerint, id quod plane absurdum est. nam si theologiam consideramus veluti disciplinam in formam

artis redactam, quæ nitatur suis principiis ac contineat conclusiones, subest quoque legibus philosophiæ, inprimis artis logicæ, siquidem theologus de veritatibus cognoscendis, probandis, defendendis sollicitus esse debet, quæ sine beneficio logicæ haud præstare potest. aliud est sacer codex; aliud vero theologia; ille dependet ab auctoritate diuina & plane errorum immunis est; hæc vero efficitur ingenio humano, atque omnino periculo errandi exposita est, vt theologus quoque pariter ac philosophus in errore versari possit, nec errores theologici ac philosophici sua natura differant. quapropter putamus, quæstionem illam: num philosophia sit domina, an ancilla theologiæ? nullius esse momenti, siquidem philosophia est eruditio generalis, cuius species sunt theologia, iurisprudentia & medicina, si theologia vt disciplina arte humana concinnata consideratur. quæ duriora fata philosophiæ quum euenirent, atque omne studium veritates cognoscendi esset abiectum, quid mirum, quod *voluntas* scholasticorum sedes fuerit prauarum cupiditatum ac perditissimorum affectuum, quæ corrupta mens semper sequitur corruptum intellectum, prout omnis virtus nititur veritate, atque omne vitium errore. qui hanc miserrimam scholasticæ doctrinæ faciem vberius cognoscendi desiderium habet, ille legere potest ERASMVM ROTERODAMVM [1] LVDOVICVM VIVEM [2] FRISCHLINVM [3] ADAMVM TRIBBECHOVIVM [4] SAMVELEM PVFENDOR-

1 *Encom. moria.* 2 *de caussis corruptar. artium.* 3 *Prisciano vapulante.* 4 *de doctoribus scholasticis.*

FIVM,

FIVM, [1] CHR. AVGVST. HEVMANNVM [2] aliosque. nemo autem operi huic ita, vt decet, adhuc satis fecit, siquidem omnes generalia tantum vitia doctrinæ scholasticæ eorumque caussas indicarunt, ac multum operæ in historia eorum litteraria consumserunt; in ipsas autem eorum doctrinas speciales, earumque inter se nexum nemo inquisiuit, quale studium omnino esset optandum. etenim hac ratione posset demonstrari, quod scholastici non solum in inutilibus fuerint versati; sed & impiis sententiis, quæ accedunt ad atheismum, qui manifeste in illorum monimentis deprehenditur.

§. XI. Scholastici dialecticæ summum statuerunt pretium, quoniam obseruabant, se non posse carere hoc instrumento, quum doctrinas sacras defendere atque cum aliis disputare instituerent. Ob quam caussam multi quoque Arabum ad culturam huius artis sunt excitati, de quibus verba ABVLFARAII [3] memoria digna sunt: *cœtus doctorum Basoræ subsistentium dixit: religionem pollutam esse & mixtam erroribus nec ablui ac mundari posse, nisi philosophiæ ope; asserentes, vbi coniuncta fuerit philosophia græcanica & religio arabica, tum demum consecuturam perfectionem.* qualis autem fuerit scholasticorum dialectica, facile ex iis, quæ de eorum philosophia diximus generatim, colligi potest. sequebantur Aristotelem male intellectum, nec adhibebant vires proprias intellectus, præcipue iudicii, sine quo nihil præclari in hac disciplina effici

1 *Introd. in histor. Europa cap. XII. §. 34.* 2 *præfat. ad Tubbechenium.* 3 *dynast. VIIII. p. 218.*

potest. sic errores ac defectus Aristotelis haud emendabant; sed augebant, quum multas ipsius bonas meditationes minus assequerentur, ac magis vocabulis horridis, quam rebus delectarentur. namque abstractionibus nimio studio dediti erant, quas saepius adeo subtiles fecerunt, vt praeter nomen nihil concipere potuerint, quo factum est, vt eorum logica scripta plenissima sint vocabulorum inanium ac brutorum, quibus nulla inest vis significandi. disputabant multum ac copiose de praedicamentis, praedicabilibus, de principio indiuiduationis, de radice futuritionis, de suppositalitate, personalitate & aliis huiusmodi infinitis nugis. quas mentis notiones, si modo quid mente sua concipere potuerunt, proponebant barbaris, obscuris ac portentosis vocabulis, qualia sunt *passionabilitas*, *ampliationes*, *coëssentiationes*, *futuritiones*, *potentionabilitates*, *virtualitates*, *femineitates*, *bestieitates*, *equeitates*, *petreitates*. perstringit illos iure ac merito IO. BVRCHARDVS MENCKENIVS,[1] quando dicit; *quis ferat tot vanas & inutiles digladiationes: de formalitatibus, haecceitatibus, quidditatibus, intentionibus, suppositionibus, exponibilibus, reduplicatiuis, particularisationibus, suppositis, mediatis & immediatis, complexis & incomplexis, breuiter, tot intolerandis subtilitatibus, cum quibus si Cleanthis aut Chrysippi argutiae vna cum Daphitae, Euthydemi, Dionysiodori circumuentiunculis componantur, penitus crassae rusticanaeque futurae sunt.* atqui talis philosophia, quae inanium abstractio-

1. *Declam. de charlat. eruditor. p.* 149.

num

num portentis, obscuris vocabulis ac durioribus verbis absoluebatur, saluti ecclesiæ romanæ satis erat accommodata, quum errores maiori specie defendere ac propagare; plebi autem fucum facere possent. quid multa? talis erat scholasticorum logica, ut ista nihil aliud, quam doctrinam de syllogismis ad vsum præberet, in qua dies noctesque ingenia sua exercebant, ac in variis figuris modisque syllogismorum grammaticam quamdam delectationem quærebant. BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [1] hæc notat vitia logicæ scholasticæ, quod

1) *finem & partitionem logicæ regulatam non ponant;*

2) *plenum & methodicum systema non forment theorematum & præceptorum necessariorum & perspicuorum, sed semper quæstiones inanes & fructu cassas vel super Aristotelis textu vel Hispani summulis in infinitum moueant.*

3) *in ipsa logica logicam negligant, metaphysica multa & sæpe physica admisceant.*

4) *præcepta inania confingant* de suppositionibus, amplificationibus, restrictionibus, appellationibus distributiuis, de incipit & desinit, de differt & infinito, de ita & sicut, de ascensu & descensu, *in quibus omnibus parum sit boni succi, nec aliunde hæ inanissimæ præceptiuncularum inanium farragines natæ sint, quam quod otiosa ingenia nec præcepta nec vsum loquendi habuerint.*

1 *præcogn. logic. tr. II. cap. 2. §. 40.*

§. XII. Speciatim doctrina de *vniuersalibus* magna atrociaque bella inter scholasticos excitauit, qui præcipue in duas sectas *nominalium* & *realium* sese diuiserunt. *nominales* putabant, vniuersalia illa genus, speciem, differentiam. proprium & accidens non existere nec in re ipsa habere fundamentum, cuius opinionis auctor creditur RVCELINVS, qui vniuersalia nihil esse, quam *flatum vocis* docuit. quam caussam præceptoris discipulus PETRVS ABELARDVS egit, nisi quod pro *flatu vocis* ista adpellauerit *conceptus significatos*, ita vt duo nominalium fuerint genera, quorum alterum vniuersalia non nisi flatum vocis, hoc est nomina esse contendit; alterum ea mentis potius, quam linguæ sermone absolui existimat. atqui hinc explicandi videntur, qui a *nominalibus* distinguunt *conceptuales*, ac ista adpellatione prius genus; hac autem posterius indicant. posthac GVILIELMVS OCCAMVS sectam hanc renouauit atque instaurauit, cui vtrumque, vniuersalia esse & conceptus & nomina, placuit, qui & a sectatoribus suis ob hanc caussam dictus est *venerabilis inceptor*. nec solum adpellati sunt *nominales*; sed & *verbales*, *terministæ*, *connotatistæ*, *moderni*, *recentiores Peripatetici*, *noui lycei doctores*, *noui philosophi*, *tirones*. anno salutis christianæ M CCCCLXXIII. Ludouicus XI. edicto publico damnauit omnium nominalium doctrinam, cuius copia producitur a GABRIELE NAVDAEO; [1] illi autem, qui post OCCAMVM sectæ huic addicti fuerunt, com-

[1] *addition. ad histor. Ludouici XI. p. 703.*

memo-

memorantur a DANIELE GEORGIO MORHOFIO. [1] *reales* affirmabant, vniuerſalia exiſtere ac in re ipſa habere fundamenta, qui poſt Abelardum ſoli tenebant imperium nec niſi poſt Albertum magnum diuidebantur in Thomiſtas, qui dominicani ordinis, & Scotiſtas, qui Franciſcani erant. IACOBVS THOMASIVS [2] ſingulari induſtria demonſtrare elaborat, quid nominalibus & realibus commune fuerit cum Platone, Ariſtotele & Stoicis. Plato enim ideas ſuas produxit, velut eorum, quæ ſenſu percipimus, exemplaria, quæ eſſent tanquam vniuerſalia ante res; contra quas diſſeruit Ariſtoteles, ac ipſa vniuerſalia quaſi rebus immerſa tradidit; ſtoici autem exiſtimarunt, vniuerſalia tantum ab operationibus intellectus dependere, quorum veterum doctrinæ varia ratione comparantur cum ſententiis modo nominalium; modo realium, confer STEPHANVM CHAVVINVM. [3] quod ſi ea, quæ de hac controuerſia ſentiamus, liceat exponere, neque ſectæ nominalium, neque realium plane fauemus. etenim in vniuerſalibus, de quibus diſputant, conſiderari debet partim ipſorum natura; partim fundamentum. natura ſua ſunt abſtractiones mentis, nec ita, vt mente concipiuntur, in ipſa re exiſtere poſſunt; fundamentum autem illorum in rebus ſingularibus poſitum eſt, id quod ex indole omnium abſtractionum patet, quam ſi ſcholaſtici habuiſſent perſpectam, tam grauiſſimas haud excitaſſent lites.

§. XIII. Antequam hiſtoriæ huius mediæ

1 *Polyhiſt. tom II. lib. I. cap.* 13. 2 *de doctor. ſcholaſt.* §. XVIII.
3 *lexic. philoſ. p.* 704. *ed.* 2.

ætatis vltimam imponamus manum, non ab re erit, breuiter adhuc de RAYMVNDO LVLLIO, qui feculo quarto & decimo floruit, disſerere. *dialectica* ipſius ſiue *logica noua*, quam vocauit, ſcholaſticum prodit ingenium, ſiue ipſas doctrinas; ſiue tractandi rationem; ſiue ſcribendi modum reſpiciamus; iſta autem, quæ de *arte* ſua *magna*, cuius compendium exhibet, in *parua*, nec non de *auditu Kabbaliſtico* pollicitus eſt, noua quidem ſunt; exiguam autem præ ſe habent vtilitatem, adeo vt ſi rem ipſam inſpiciamus penitus, logica illius ſtudio nulla accepit incrementa. atqui ob hanc cauſſam haud dubitamus, LVLLIVM æuo ſcholaſticorum adiungere, nec ab iſto initia logicæ reformatæ petere. ex ipſius ſententia vtraque ars & magna & parua eſt diſſerendi ſiue inquirendi ac reſpondendi de omnibus rebus, vnde & ipſe dixit *generalem ſcientiam ad omnes ſcientias, per quam aliæ ſcientiæ facile poſſint acquiri.* ars illa complectitur partes tres & decem, quarum

I. inſcribitur *de alphabeto.* delegit nouem litteras B. C. D. E. F. G. H. I. K. ſub quibus diſpoſuit ſenos ordines rerum ac conceptuum nouem. *primus* ordo continet prædicata *abſoluta*, quæ ſunt bonitas, magnitudo, æternitas ſiue duratio, poteſtas, ſapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria; *ſecundus relatiua*, qualia ſunt differentia, concordantia, contrarietas, principium, medium, finis, maioritas, æqualitas, minoritas; *tertius* complectitur *nouem quæſtiones*, ad quas ceteræ omnes referantur, ſcilicet: vtrum? quid? de quo? quare? quantum? quale? quando?

quando? vbi? quomodo & cum quo? *quartus* nouem *subiecta*, quæ sunt deus, angelus, cælum, homo, imaginatiuum, sensitiuum, vegetatiuum, elementatiuum, instrumentatiuum; *quintus* nouem *virtutes*, vti sunt iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia, fides, spes, charitas, patientia, pietas; *sextus* nouem *vitia*, quæ sunt auaritia, gula, luxuria, superbia, acedia, inuidia, ira, mendacium, inconstantia.

II. pars agit *de quatuor figuris*, quarum prima vocatur A, quod littera A illius centro sit inscripta, & eo tendit, vt intelligamus, qua ratione prædicata fieri possunt subiecta & de se inuicem prædicari, hoc modo: *bonitas est magna*; *magnitudo est bona*; *bonitas est durans*; *duratio est bona*; *secunda* figura adpellatur T ob litteram hanc centro quoque adscriptam, quæ eo spectat, vt per cuspidem differentiæ intelligamus, quo modo differat sensuale a sensuali, vt lapis ab arbore; sensuale ab intellectuali, vt corpus ab anima; intellectuale ab intellectuali, vt angelus a deo. *tertia* figura ex prima & secunda componitur, quatenus eædem litteræ vtrisque nouem prædicatis respondentes inseruiunt; & eo spectat, vt prædicata omnia non modo absoluta; sed etiam relatiua & subiecta fiant & de se inuicem prædicentur ac plures rationes ad probandam eamdem rationem adducantur; qui finis positus quoque est *quartæ* figuræ.

III. pars est de *definitionibus*, qua definiuntur prædicata & absoluta & relatiua hoc modo: *bonitas est ens, cuius ratione bonum agit bonum;*

num; & sic bonum est esse & malum non esse. magnitudo est id, ratione cuius bonitas, duratio & cetera sunt magna, ambiens omnes extremitates essendi. duratio est id, ratione cuius bonitas, magnitudo durant.

IIII. pars est *de regulis*, quaestionibus quippe, quae in alphabeto. docet regulam *vtrum* habere tres species, dubitatiuam, affirmatiuam, negatiuam: regulam *quid* quatuor; *quid est? quid habet in se coessentialiter? quid in alio est? quid in alio habet?*

V. pars est *de tabula*, quam sequuntur aliae; VI. quippe *de euacuatione tertiae figurae*; VII. *de multiplicatione quartae figurae*; VIII. *de mixtione principiorum & figurarum*; VIIII. *de nouem subiectis*; X. *de applicatione*; XI. *de quaestionibus*; XII. *de habituatione*; XIII. *de doctrina*, quippe quam artem Lullianam pluribus recenset PETRVS GASSENDVS. [1]

§. XIIII. Multi fuerunt, qui artem hanc commendarunt, commentariis illustrarunt, emendare atque augere elaborauerunt, quos studiose commemorat DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, [2] qui ipse de illa sentit honorifice: adde THOMAM POPE-BLOVNT. [3] neque tamen defuerunt, qui iudicarunt sinistre ac censuram aduersus Lullium fecerunt, quo pertinent BACO de VERVLAMIO, [4] BARTHOLOMAEVS KECKERMANN, [5] BERNEGGERVS, [6] IO. BAPTISTA du HAMEL, [7] quo-

1 *De orig. & variet. logic. cap. VIII.* 2 *polyh. litterar. lib. II. cap. V. p. 380.* 3 *censura celebr. auctor. p. 420.* 4 *de augment. scientiar. lib. VI. cap. 2.* 5 *praecogn. logic. tr. II cap. 2. §. 39.* 6 *orat. de paranda doctrina modis illegitimis.* 7 *de mente humana lib. III. cap. 2. §. 3.*

rum

rum omnium, quæ aduersus hanc artem dicta sunt, summam ad hæc capita reducit MORHOFIVS: [1] *quod omnium scientiarum principia misceantur, quæ ad illam generalitatem non possint reduci; quod loci communissimi sint, quorum non sit adæquatus in dicendo vsus, quum in qualibet oratione ea rem conficiant, quæ e propioribus argumentis petuntur; quod ordo non sit accuratus, & in multis ille concinnior dari possit.* nec negare possumus, quod hæc ars magis composita sit ad sermonis fecunditatem; quam veritatum cognitionem, ad quam ista nihil adferre potest; sed ingenia veri ac falsi cognoscendi studiosa perturbat, adeo vt nunquam satis possimus mirari, nonnullos nugis hisce existimationem quamdam habuisse. quodsi voluptas animum cuiusdam occuparet, artem hanc cognoscendi, necessaria esset fere diuina memoria, quasi etiam omnes terminos, omnes figuras teneret; illis tamen haud pervenire posset ad cognitionem rerum, quoniam sunt conceptus abstracti ex omnibus disciplinis inter se perturbati. id saltem ex tota hac arte colligere possumus, Lullium fuisse hominem fecundo ingenio præditum, facultate autem ac vi iudicii destitutum, id quod vel inde cognoscimus, quod de diuina reuelatione, vt operi suo maius auctoritatis pondus adiiceret, se iactauerit. GABRIEL NAVDAEVS [2] locum quemdam ex PETRO MONTVO [3] profert, quo Lullius plagii aperti crimine notatur, quippe qui sua omnia Arabi Abezebron debeat, id quod relinquimus in medio. hæc

1 *cit. loco* §. 13. 2 *apol. vir. mag. suspector. cap.* 14.
3 *de vnius legis auctoritate lib. V. cap.* 5.

sufficiant de fatis artis logicæ ætate media, qua omnino duriora fuerunt, quorum necessitate factum est, vt magis sit corrupta, quam culta atque ornata.

LIBRI II.
DE
PROGRESSV AC FATIS
LOGICAE.

CAPITIS I.
DE
PROGRESSV AC FATIS ARTIS LOGICAE GENERATIM PER VARIOS AVCTORES.

SECTIO III.
TEMPORE RECENTIORI.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *Differitur primum de illis, qui reformandæ logicæ fundamenta posuerunt, quorum* alii *se opposuerunt Aristoteli, præcipue scholasticis* §. II. *In quibus princeps fuit Ramus, de cuius logica eiusque fatis copiose disputatur* §. III. IIII. V. VI. VII. VIII. Alii *logicam Aristotelis a nugis scholasticis purgarunt* §. VIIII. X. Alii *vero vnice sectati sunt Aristotelem, reiecta doctrina scholastica* §. XI. XII. Deinde *differitur de ipsa reformatione logica generatim* §. XIII. *Speciatim de Bacon. de Verulamio* §. XIIII. *De Cartesio* §. XV. XVI. XVII. *Cartesii sectatoribus* §. XVIII. *Petro Gassendo aliisque* §. XVIIII. *De logicis mathematicis* §. XX. *De aliis scriptoribus logicæ recentioribus eclecticis.* §. XXI. XXII. XXIII. XXIIII.

§. I.

§. I.

Accedimus ad iſta tempora, quibus logica ars feliciori muſarum fortuna ſenſim ac ſenſim a ſcholaſticis ſordibus purgata, ad priſtinam dignitatem euecta, ac tandem ita culta atque ornata eſt, vt munera ſua, quibus viam ad cognitionem veritatum monſtrare debet, nunc præſtet ſucceſſu proſperiori. primum extiterunt viri grauiſſimi, qui præclaris ſtudiis ac meritis fundamenta artis huius reformandæ poſuerunt, quibus deinde alii, quum eclectica, vti dicitur, philoſophiam tractandi ratio firmiores caperet vires, opus ipſum, ſiue feliciſſimam logicæ reformationem ſuperſtruxerunt. illi, quum cognoſcerent, quam miſere litteræ philoſophicæ per ſcholaſticos fuerint corruptæ, illarum ſaluti operam dederunt variis ſtudiis, quum alii arma ferrent aduerſus Ariſtotelem, præcipue doctores ſcholaſticos; alii doctrinam Ariſtotelis ac ſcholaſticam a labe tantum, quam iniuria temporis ſibi contraxerat, purgarent; alii denique ipſos ac genuinos Ariſtotelis fontes, vnde priſtina ac vetuſta logica ars hauriri poſſet, aperire elaborarent. quæ omnia diſtincte explanare, e re eſſe cenſemus.

§. II. Quum felix ſidus bonarum atque elegantiorum litterarum oriretur, vt iſtæ ad priſtinam reuocarentur pulcritudinem; muſæ quoque philoſophicæ, quæ adhuc per ſecula oppreſſæ & deprauatæ fuerant, ex tenebris in lucem prodire cœperunt. illi, qui philoſophiæ, etiam dialecticæ purgandæ emendandæque operam ſuam addixerunt primi, politiorum atque elegantium artium ſingularem lau-

dem

dem tenebant, quam adhuc ampliorem effecerunt, quum sapientiæ studiis ingenia sua consecrarent, sicque ostenderent, vtrumque doctrinarum genus ita copulatum fructus ferre amplissimos. namque si a cultura elegantium litterarum studia philosophiæ separamus, facile viam illi vitio, quod peregrina voce adpellatur pædantismus, parare possumus; quemadmodum cultus ille philosophiæ, qui cum politiori litteratura nihil habet commune, haud difficulter barbariem potest promouere, quæ incommoda per talem coniunctionem remouentur. atqui hac ratione de logica bene meritos laudare debemus LAVRENTIVM VALLAM, RVDOLPHVM AGRICOLAM, LVDOVICVM VIVEM, MARIVM NIZOLIVM, PETRVM RAMVM, de quibus accuratius ac plenius edisseramus.

LAVRENTIVS VALLA, qui barbariem propulsare summa adnisus est ope, ac præcipue dialecticam scholasticam perstrinxit, editis hunc in finem *dialecticis disputationibus*, quibus multa dixit in Aristotelem ac scholasticos. PETRVS GASSENDVS [1] dicit: *Laurentius Valla conscriptis tribus dialecticarum disputationum libris licere ostendit ab Aristotele dissentire ac ipse in multis re ipsa dissensit.* etenim omnes categorias ad substantiam, qualitatem & actionem retulit, etiam figuram tertiam syllogismorum reiecit; quæ emendatio non adeo bene quidem instituta est, siquidem nec Vallæ diuisio prædicamentorum legitimo nititur fundamen-

[1] *de orig. & variet. logic. cap. VIIII.*

to,

to, ac figura syllogismorum tertia praeter rem proscribitur; demonstrat tamen Vallae studium fortemque animum, quo ea tempestate Aristoteli, qui Papa erat ecclesiae philosophicae, sese opposuit. multi id in eo reprehendunt, quod aequo audacior ac vehementior fuerit, quapropter LVDOVICVS VIVES [1] dicit: *monet in quibusdam neutiquam praue, etsi ea sunt perpauca; in plerisque labitur, vt fuit vir ille vehemens & ad faciendum iudicium praecipitatus. nec solum in re dialectica falsus est; sed & in philosophia. nam hanc quoque attingit, & quod magis mirere, in praeceptis latinae linguae.* sed ERASMVS [2] illis, qui ob hunc adfectum Vallam eiusque obseruationes parui faciunt, bene respondet: *verum esto, mordacior aequo fuerit. num ideo falsum dixit, quia verum mordacius dixit? vsque adeo nobis odio est ista mordacitas, vt eius odio tam multa scitu digna necessariaque detestemur?*

RVDOLPHVS AGRICOLA, vir, cui bonae litterae multum debent, *quo Cisalpinus orbis nihil vnquam*, ERASMO [3] iudice, *omnibus litterariis dotibus absolutius produxit. nulla*, pergit ERASMVS, *erat honesta disciplina, in qua Agricola non poterat cum summis artificibus contendere: inter graecos graecissimus, inter latinos latinissimus: in carmine Maronem alterum dixisses, in oratione Politianum quemdam lepore referebat, maiestate superabat. oratio vel extemporalis adeo pura, adeo germana, vt non Frisium quempiam,*

1 *de causs. corrupt. artium lib. III. p.* 231. 2 *lib. VII. epist.* 3.
3 *in adag. chil. I. centur.* 4. *p.* 116.

sed

ſed vrbis romanæ vernaculum loqui contenderes. eloquentiæ tam abſolutæ parem adiunxerat eruditionem. philoſophiæ myſteria omnia penetrauerat: confer IACOBVM BVRCKHARDVM.[1] atqui hic Agricola ſcripſit tres libros *de inuentione dialectica*, quos IO. MATTH. PHRISEMIVS obſeruationibus illuſtrauit. oppoſuit ſeſe inprimis nugis ſcholaſticorum, ac verum vſum dialecticæ, quam præcipue eloquentiæ adplicavit, demonſtrauit, nec ſine feliciori applauſu, quem & ſua ætate in hoc litterarum genere conſecutus eſt ampliſſimum. BARTHOLOMAEVS KECKERMANN[2] dicit: *hi libri apud omnes ſemper in admiratione fuerunt, & merito quidem, ita ad vſum ſunt accommodati loci, quos tradit. Ciceronem in plerisque ſecutus eſt, & idcirco rhetoricum finem diligentius intendit, quam vere logicum; tertius liber totus eſt rhetoricus, de affectibus mouendis.* & DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS[3] *Rudolphus Agricola*, ait, *vir ſuo tempore maximus & primus litterarum in germania reſtaurator, in libris ſuis* de inventione *quasdam hypotheſes ponit, quæ Ramiſticis illis ita ſimiles ſunt, vt ex illo quaſi depromſiſſe videatur.*

10. LVDOVICVS VIVES, qui edidit libros XX. *de diſciplinis*, ex quibus tertius agit de *corrupta dialectica*, quo grauiter atque eleganter diſſerit aduerſus ſcholaſticos. opus hoc, quod non ſolum inter ipſius monimenta; ſed & ſeorſim prodiit, diuiſum eſt in tres

1 *comm. de fatis lat. lingu. in germania p.* 177. 2 *præcogn. logic. tr. II. cap.* 2. §. 42. 3 *polyh. tom. II. lib. II. c.* 12. §. 1.

partes

partes ac complectitur alia scripta logica, siquidem de *explanatione cuiusque essentiae*; de *censura veri*, de *instrumento probabilitatis*, de *disputatione* tractauit, etiam peculiarem librum in *pseudo-dialecticos* edidit. erat vir non solum elegantioribus litteris maxime cultus, quarum summam sibi acquisiuit laudem; sed philosophiae quoque magnus extitit auctor, quam in rem adhuc testatur ipsius liber de *initiis, sectis & laudibus philosophorum*.

MARIVS NIZOLIVS, magno animo Aristotelem & philosophiam scholasticam aggressus est, quum ipsi lites essent cum M. ANTONIO MAIORAGIO. CALCAGNINVS scripserat *disquisitiones in M. T. Ciceronis de officiis libros*, aduersus quem MAIORAGIVS defendit Ciceronem atque edidit: *decisiones XXIIII. quibus M. T. Ciceronem ab omnibus C. Calcagnini liberat criminationibus*, ideo a NIZOLIO maxime laudatus. sed quum ipse Maioragius posthac contra Ciceronis paradoxa antiparadoxa edidisset, multaque in Ciceronem dixisset acerbius, singulari atque incredibili erga Tullium amore excitatus NIZOLIVS ipsius egit causam atque epistolam contra Maioragium acerbam conscripsit, qua commotus Maioragius *libros reprehensionum II. aduersus Nizolium* composuit. tandem Nizolius, vt tueretur auctoritatem Ciceronis, omnem philosophiam Aristotelis ac scholasticorum euellere atque infringere elaborauit, atque hunc in finem protulit in lucem librum huius inscriptionis: *Marii Nizolii Brixellen-*

sis

sis de veris principiis & vera ratione philosophandi contra pseudo-philosophos libri IIII. in quibus statuuntur ferme omnia vera verarum artium & scientiarum principia, refutatis & reiectis prope omnibus dialecticorum & metaphysicorum principiis falsis, & praeterea refutantur fere omnes M. Antonii Maioragii obiectiones contra eundem Nizolium, vsque in hunc diem editae, Parmae MDLIII. quo opere nihil aliud continetur, quam logica quaedam reformata & ad puram propriamque loquendi rationem reuocata, si quidem Nizolius deditissimus erat Ciceroni, ex cuius librorum assidua lectione comparauerat sibi magnam elegantis stili vim ac dignitatem, ita vt ex hoc opere inprimis modum cognoscere possimus, quo & philosophorum doctrinae eleganter proponendae sunt. nam si rem ipsam inspiciamus penitus, ibi tantum acerbiores adcusationes ac censuras deprehendimus, quibus Aristotelem, eius sectatores ac scholasticos perstringit vehementissime. anno MDCLXX. illustris LEIBNITZIVS noua facie indutum librum hunc exhibuit, cui dissertationem praemisit de *alienorum operum editione*, *de scopo operis*, *de philosophica dictione*, *de lapsibus Nizolii*; item epistolam ad *exquisitissimae doctrinae virum de Aristotele recentioribus reconciliabili*: confer DANIEL. GEORGIVM MORHOFIVM, [1] IO. IACOBVM a RYSSEL, [2] IO. CHRISTOPH. DORNIVM. [3]

1 *polyh. litt. lib. I. cap.* 25. §. 26. *tom. II. lib. I. cap.* 13. §. 13.
2 *contin. Vossii de sectis cap. VIII.* §. 22. 3 *add. ad Ionsium lib. III. cap.* 22. §. 9. 10.

§. III. Sed

§. III. Sed hi grauisſimi viri LAVRENTIVS VALLA, RVDOLPHVS AGRICOLA, IO. LVDOVICVS VIVES, MARIVS NIZOLIVS erant grammatici, qui magnam elegantioris doctrinæ tenebant exiſtimationem, id quod pro hominum opinione effecit, vt ipſorum animaduerſiones ac cenſuræ in philoſophiam, etiam dialecticam Ariſtotelis ac ſcholaſticorum tam proſperiori ſucceſſu haud fruerentur, quaſi ingenium quoddam tam felix eſſe haud poſſit, vt & humanitatis & philoſophiæ ſtudia capiat. ceterum colimus horum merita, quod in tanta ſuperſtitione philoſophica, in tanta litterarum barbarie, in tantis ſapientiæ tenebris reformationi maxime neceſſariæ admouerint animos, ac ſuis exemplis libertatem cogitandi ab impetu vindicandam eſſe, demonſtrauerint, quamuis interdum per motus prauorum adfectuum aliquid humani fuerint paſſi. ſed tamen maiores concitauit controuerſias, ac maiori ſucceſſu ſeſe oppoſuit Ariſtoteli PETRVS RAMVS, quum de re ipſa præcipue eſſet ſollicitus. mirifice conſecrauerat ſeſe ſtudio logico, quumue organon Ariſtotelis cupiditati ipſius haud ſatisfaceret, nec vſum quemdam in aliis litterarum diſciplinis id præſtare putaret Ramus, aliam viam ad dialecticæ cognitionem demonſtrare, adeoque Ariſtotelis auctoritatem labefactare inſtituerat. quem infinem edidit quoque anno MDXLIII. libros *inſtitutionum dialecticarum*, item *ſcholas dialecticas*, quæ libris XX. abſoluuntur, hisque dialecticam non ſolum alia ratione, quam adhuc fecerant philoſophi, tradidit; ſed Ariſtotelem quoque eiusque

placita impugnanda est adgressus. etenim dixit, dialecticam esse *artem bene disserendi*, eiusque duas partes constituit, *inuentionem* quippe & *dispositionem argumentorum*. priore igitur parte tractauit de argumentorum inuentione, ac censuit, quod argumentum *ad aliquid arguendum affectum sit* idque debeat diuidi in *artificiale*, quod in locis dialecticis sit quaerendum, & *inartificiale*, id est testimonium. posterior autem pars de dispositione argumentorum, siue vt ipse dicit, de *iudicio* tradit, quod diuiditur in *axiomaticum* siue axioma, & *dianoëticum* siue dianoëam. axioma idem est ac enunciatio, quod RAMVS definit *dispositionem argumenti cum argumento, qua esse aliquid, aut non esse iudicatur*; dianoëa vero idem, ac syllogismus ac methodus. *syllogismum* dicit esse, *quo quaestio cum argumento, vt posito antecedente, necessario concludatur*; *methodus* vero sit *dianoëa variorum axiomatum homogeneorum, pro naturae suae claritate praepositorum, vnde omnium inter se convenientia iudicatur memoriaque comprehenditur*, quae omnia poëtarum, oratorum & historicorum exemplis illustrat RAMVS, vnde veluti profutura eorum scriptis recte intelligendis atque explicandis ista commendat CHYTRAEVS: [1] confer CHRISTIANVM THOMASIVM, [2] & PETRVM GASSENDVM. [3] atqui hac ratione multa, quae Aristoteles tradiderat, reiecit, vt doctrinam de praedicamentis, de propositionibus modalibus, syllogismis mixtis, demonstratione, elenchis sophisticis, item de praedi-

1 *de ratione discendi p. 74* 2 *philosoph. aulic. cap. I. §. 74. c. IV. §. 16.* 3 *de origin. & variet. logic. cap. VIIII.*

cabi-

cabilibus,& adhuc multa alia Ariſtoteli exprobrauit, quod nullum ordinem ſeruauerit, dixerit multa inutilia ac falſa, eaſdem res ſæpius repetere inſtituerit: quin etiam ipſi erat propoſitum, Ariſtotelem penitus e ſcholis eiicere. BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS copioſe refert momenta logicæ Rameæ & inter alia eum plagii adcuſat, [1] quod a libris IO. LVDOVICI VIVIS de diſciplinis ſua ſit mutuatus,ac ne nomen quidem ipſius commemorauerit, quum tamen cuique auctori ſuum ſit tribuendum. at vero quamuis alter idem ſentiat cum altero, id tamen talem accuſationem non efficere poteſt iuſtam atque æquam; ſed adhuc alia ſunt neceſſaria, quæ de Ramo haud affirmari poſſunt.

§. IIII. Prauæ opiniones, quæ ab auctoritate aliorum pendent, ſæpe firmiſſimis radicibus in animis hominum ſunt defixæ, vt iſtas euellere ac veritatum promouendarum rationem habere, arduum ſit negotium. Ariſtoteles ad ſummum exiſtimationis faſtigium euectus, adeo mortalium mentes occupauerat, vt quisque ex ipſius diſciplina ſapere, ſibi gratularetur, eumque ſummo pietatis cultu, veluti oraculum philoſophicum ac ſapientiæ humanæ deum ac præſidem coleret. quæ lues quum eſſet illius ſeculi ac inprimis quoque Pariſiis ſedem ſuam haberet, quid mirum, quod hæc reformatio Ramo, auctori ſuo tam grauiſſima adtulerit incommoda ac tandem ipſum in vltimum coniecerit diſcrimen? id quod etiam aliis poſthac, qui philoſophiam purgandam curauerunt, euenit. namque atro-

[1] *prac. logic. tr. II. cap. 4. extr.*

cissimæ ortæ sunt controuersiæ ac insignes excitati tumultus. sectatores Aristotelis religiosi non solum contra Ramum disputarunt, exclamantes: *scelus hoc igne expiandum esse*; sed & ad tribunal prætorium academiæ nomine traxerunt Ramum, accusantes ipsum, quod disputationibus aduersus Aristotelem in sacras disciplinas atque alias artes earumque dignitatem esset iniurius. atqui hic modus, aliis odia atque inuidiam conflandi multis est solemnis, vt illos, contra quos controuersam caussam suam haud possunt tueri, sub specie quadam sacra de corrupta theologia suspectos reddere, multis fraudibus, fallaciis, etiam magna mendaciorum copia instituant. quapropter res Rami delata est ad senatum curiæ Parisiensis, & hinc ad Franciscum I. regem, quumue GOVEANVS adcusatoris partes susciperet, ambo & Ramus & Goueanus a rege iussi sunt, eligere viros græcæ latinæque linguæ, etiam philosophiæ laude claros, vt iudices præessent certamini. *Petrus* igitur *Danesius* & *Franciscus Vicomercatus* a Goueano; *Io. Quintinus* vero & Io. de *Beaumont* a Ramo lecti sunt, quibus rex quintum *Io. de Salignac* adiunxit. multis diebus disputationibus de definitione & diuisione dialecticæ consumtis, tandem contra omne ius atque æquum libros Rami damnarunt, & hanc sententiam anno MDXLIIII. d. I. mart. aduersus ipsum tulerunt: *Ramum temere, arroganter, & impudenter fecisse, qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipse præsertim non teneret, damnare, & improbare ausus fuerit. ea autem, quæ in Aristotele reprehendat, huiusmodi esse, vt hominis cum igno-*

ignorantiam & stuporem, tum vero improbitatem & malitiam arguant, cum & multa, quae verissima sint, criminetur & pleraque tribuat Aristoteli, quae is nunquam senserit. denique eo libro toto praeter mendacia mera & scurrilem quandam maledicentiam nihil contineri: vt reipublicae litterariae plurimum sententia sua interesse videatur, librum omni ratione supprimi, vnaque librum alterum dialecticarum institutionum, quod is quoque aliena multa & falsa contineat. quam sententiam deferunt ad regem, qui edicto regio sigillo munito ac per omnes amplissimi regni prouincias promulgato istam adprobat ac *Ramus ne posthac doceat librique eius ne imprimantur, vendantur, aut vllo modo publicentur*, mandat seuerissime: confer IO. LAVNOIVM [1] BVLAEVM [2] & illos, qui vitam ac fata Rami ex instituto exposuerunt, IO. THOMAM FREIGIVM, NICOLAVM NANCELIVM, THEOPHILVM BANOSIVM, PETRVM BAELIVM aliosque, de quibus heic copiose, disserere ratio dissertationis nostrae haud permittit.

§. V. Sic RAMVS adfligebatur fortuna duriori, quem ipsi aduersarii exercebant vehementer, inprimis dictus ANTONIVS GOVEANVS, IO. PERIONIVS, IACOBVS CARPENTARIVS; nec ex germanis defuerunt, qui ipsius philosophiam ac speciatim dialecticam destruendam penitusque proscribendam sibi proposuerunt, ita vt hac de re gravius bellum quoddam fuerit concitatum. in academia Tubingensi Ramum confutare IA-

1 *de varia Aristotel. fortun. cap. XIII.* 2 *histor. academ. Parisiens. p. 387.*

COBVS SCHEGKIVS; Argentoratensi DASYPODIVS; Iulia CORNELIVS MARTINI, IO. CASELIVS, CONRADVS HORNEIVS, CALIXTVS, Altdorffina SCHERBIVS sibi sumserunt: ac quamuis in academia Lipsiensi M. IO. CRAMERVS, physicæ doctrinæ professor publicus anno MDLXXVIIII. Rami opiniones recitationibus suis & publicis & priuatis tradere instituerer; illi tamen, qui in ordinem philosophorum adscripti erant, omnes vires suas in id contulerunt, vt hanc Ramæam luem, quæ tum putabatur, eiicerent. quapropter inter alia philosophiæ candidatos de Ramæis doctrinis suspectos compulerunt promittere, vbi insignia ac priuilegia doctoris philosophiæ impetrauerint, se nolle quidquam tradere, quod a philosophia Aristotelica sit alienum. cuius obligationis formula ea fuisse videtur, quam orationibus duabus MATTHAEI DRESSERI de dialectica PHILIPPI MELANCHTHONIS cum responsione sua edita Francofurti ad Moenum anno MDLXXXVIII. adiecit M. THOMAS HAN, scholæ Islebiensis rector. sed distinctius de illis, qui aduersus Ramum arma sua tulerunt, disserere, consultum esse censemus: quam ob rem congressus est cum Petro Ramo

IACOBVS SCHEGKIVS, cui Ramus quatuor epistolis respondit, a Schegkio in hyperaspista anno MDLXX. edito Tubingæ confutatis. DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS. [1] dicit: *cum Iacobo Schegkio ipsi quoque res fuit, in primis in dialecticis disputationibus.*

1 *polyhistor* tom. II. lib. 1. cap. 12. §. 1.

NICOD.

NICOD. FRISCHLINVS, qui edidit *dialogum contra P. Rami sophisticam pro Aristotele*, Francof. MDXC. 8.

CORNELIVS MARTINI, qui Aristotelem eiusque philosophiam aduersus Ramum acerrime tueri instituit, quippe quem disputatione de *subiecto & fine logicæ*; item *analysi logica* vehementer perstringit. hinc scribit MORHOFIVS: [1] *Helmstadio continuis quasi disputationibus eam* (hæresin Ramæam) *in exilium misit Cornelius Martini pene vnicus tum temporis partium Aristotelicarum aduersus nouatores illos adsertor.*

CONRADVS HORNEIVS, qui disserte scribit: [2] *quapropter etiam nos tanquam cynosuram doctrinam Aristotelicam sequemur, & ad eius principia ceterorum dogmata potissimum exigemus.*

PHILIPPVS SCHERBIVS, qui edidit disputationem pro philosophia Peripatetica aduersus Ramistas, quam adpellat MORHOFIVS: [3] *adeo breuem, neruosam, elegantem, neque sine flore eloquentiæ, vt vel vasto libro accuratius aliquid scribi non posset*; vt de nonnullis aliis taceamus.

§. VI. Neque tamen defuerunt, qui caussas egerunt Petri Rami eiusdemque philosophiam aduersus Aristotelem ac sectatores eius defendere ac propagare, summa adnisi sunt ope. inerat philosophiæ Rami vis quædam, qua in multorum animos se insinuare poterat, ita vt breui tempore multos sibi conciliaret in gallia, scotia, germania, qui istam aduersus

1 *cit. loco.* 2 *philos moral. lib.* 1. *cap.* 1. 3 *polyh. tom. II. lib.* 1. *cap. XI.* §. 30.

 alio-

aliorum impetus tuerentur. quod ad germaniam adtinet, dicit IO. HERMANNVS AB ELSWICH: [1] *in illam, si non primus, saltim inter primos philosophiam Ramaeam intulit Fabritius Marcoduranus. is namque motus celebritate nominis Ramaei ad Ramum in galliam abiit, vt ab eodem coram philosophiam addisceret. atque hanc post aliquot annos in germaniam redux in schola dusseldorpiana, cui regendae erat admotus, cum discipulis communicauit, quorum opera latius per germaniam, sigillatim vero Westphaliam disseminata est.* atqui in Westphalia multi extiterunt, qui praecepta dialecticae ex Ramo haurire, eumque magna prosequi existimatione contendebant, id quod significat HERMANNVS NICEPHORVS. [2] postquam enim quaedam de studio philosophiae Rameae in scholis Westphalicis commemorauerat, addit: *sed quorsum nunc res scholasticae nostrae prolapsae sunt? nescio, quo fato iam pridem in antiquum tenebrarum chaos omnia ruere videantur. irrepunt enim in scholas passim cum applausu logici libelli (ne dicam de aliis) nugarum pleni, expellentes e possessione sua contra ius fasque logicam Rameam optimam, pulcerrimam, & simul vsum eius vt amplissimum, ita accuratissimum*: quae verba quum dolorem de inclinante ad interitum philosophia Ramea prodant, simul quoque significant, quae existimatio ipsi habita fuerit. sic quoque CORNELIVS MARTINI, qui Ramum penitus eiicere ex societate philosophorum elaborabat, nactus est aduersarios FRI-

1 *sched. de Arist. fortun. in schol. protestant. p. 55.* 2 *praef. libr. de analysi logica.*

DERI-

DERICVM BEVRHVSIVM, CONRADVM HODDAEVM, HEIZONEM BVSCHERVM, qui Martini dissertationem de *subiecto ac fine logicæ* confutarunt; ex superioribus vero constat, quod etiam Lipsiæ nonnulli sint sectati Ramum. sed principes illorum secundum ordinem litterarum diligentius commemorare instituamus, qui modo Ramum illustrarunt, modo defenderunt, modo ad ipsius mentem composuerunt compendia dialecticæ. quo pertinent

FRIDERICVS BEVRHVSIVS, scholæ Tremonianæ rector, qui scripsit *pædagogiam logicam*, in tres partes distributam, quibus præcepta Rami explicat, eorum vsum ostendit, dignitatemque aduersus obiectiones vindicat; nec non *defensionem dialecticæ Rameæ*.

HEIZO BVSCHERVS, qui præfuit scholæ Hannoueranæ, ac Ramum aduersus accusationes Cornelii Martini defendit; de soluendi ratione sophismata ex Rami logica scripsit, etiam operam posuit in conciliandis Philippo Melanchthone ac Ramo, de quo studiorum genere paullo post dicamus copiosius.

GEORGIVS DOVNAMVS, qui conscripsit commentarios in Rami dialecticam, persuadens sibi, *ante Ramum neminem fuisse, qui præcepta exemplis in vsu primum sensu perceptis, tum obseruatione notatis, deinde inductione collectis, postremo experientiæ calculo approbatis, concinnata, ad exactissimas veritatis, iustitiæ ac sapientiæ leges, exegerit & pro naturæ suæ claritate disposuerit.*

IO. THOMAS FREIGIVS, qui ipſius Rami inſtitutione vſus, ac poſthac eiusdem philoſophiam quoque ſectatus eſt, prout ſcripſit *quæſtiones dialecticas*, quæ Rameam doctrinam haud obſcure produnt. BARTHOL. KECKERMANN [1] exiſtimat quidem, quod ſuis quæſtionibus expreſſerit doctrinam Ariſtotelis; ſed ſatis apertum eſt, quod FREIGIVS diſciplinam Rami coluerit, cuius quæſtiones KECKERMANN haud legiſſe videtur. en iudicium FREIGII [2] de organo Ariſtotelis; *organum Ariſtotelicum nihil aliud, quam chaos logicæ artis eſt: tantum abeſt, vt methodus appellari poſſit: ex quo ſi duos libros poſteriorum, in quibus vtilitas immenſa & generaliſſimus vſus, & leges ad artium fines regendos ſacratiſſimæ continentur, ſuſtuleris, reliqua certe parum vtilia & miris tautologiis & ſophiſticis elenchis plena reperies.*

ANDREAS KRAGIVS, profeſſor phyſicæ ac artis medicæ doctor Hafnienſis, qui edidit *ſcholam Rameam*, vel *defenſionem P. Rami aduerſus Georgii Liebleri calumnias*: etiam ſcripſit de *elenchis ſophiſticis Ariſtotelis.*

ANTONIVS NOTHOLDVS, qui contra diſſertationem dictam Cornelii Martini edidit de Rameæ inſtitutionis principiis & natura logicæ conſiderationem, *a philoſophiæ Rameæ ſtudioſis in illuſtri academia Iulia* inſtitutam: quod licet falſum fuerit, certum tamen eſt, eo tempore in hac academia fuiſſe ſectatores Rami. quum Cornelius Martini

1 *Præcogn. logic. tr. II. cap. V. §. 21.* 2 *orat. p. 486.*

his

his philoſophiæ Rameæ cultoribus programma quoddam opponeret, anno MDXCVII. id Notholdus cum reſponſione & animaduerſionibus ſuis iterum edidit, quibus acceſſit anno MDXCVIII. eiusdem diatriba philoſophica, qua doctrina de definitione & diuiſione dialecticæ, de notionibus primis & ſecundis, de argumentis inventionis & prædicabilibus, de analyſi logica Rameorum, de metaphyſica & prædicamentis ad Philippi & Rami documenta iudicatur.

CASPAR PFAFFRADVS, cuius induſtriæ debemus commentationem de *ſtudiis Rameis & legibus optimæ inſtitutionis*; qua haud obſcure animum philoſophiæ Rameæ deditum ſignificauit & iſtam præ Ariſtotelica & ſcholaſtica commendauit diligenter.

IO. PISCATOR, cuius ſtudio prodierunt *in P. Rami dialecticam animaduerſiones*, exemplis ſacrarum litterarum paſſim illuſtratæ, Franc. MDLXXX. quibus auctor explicat, illuſtrat, atque emendat, nec non interdum confutat Ramum, de quo iudicium IO. STVRMII præmiſſum eſt, id quod dignum cenſemus obſeruatione: *virum bonum*, inquit, *illum eſſe iudico: & hominem bene litteratum & iudicio expolito præditum: qui hac vita, vt vocant, ſcholaſtica & illius ſtipendio contentus ampliores opes aut honores non requirit. nam quod alios offendit, me non lædit: quoties liberius iudicat de Ariſtotelicis præceptis: alium in iis ordinem & viam requirens: quædam etiam deſiderans,*

quæ

quæ de esse videntur. fecit idem Aristoteles iis, qui ante ipsum scripserunt, dialecticis, rhetoricis, philosophicis scriptoribus. & scholæ ipsæ in academiis, quas defendunt reprehensores Rami & ordinem immutarunt Aristotelicum & multa prætererunt multaque de suo addiderunt: & Rudolphus Agricola istud ius sibi etiam arrogauit, & non idem, quod Aristoteles, sentit & tradit de locis inueniendi.

HENNINGVS RENNEMANNVS, qui edidit *enodationem totius philosophiæ Rameæ*; item *philosophiæ Rameæ insuperabile scutum*, quod opposuit Philippo Scherbio, & in illo ostendit fata quoque huius philosophiæ.

THOMAS RHAEDVS, qui in academia Rostochiensi philosophiam hanc propagare elaborauit, contra quem vindicias secundum veritatem pro Aristotele & sanioribus quibusque philosophis edidit Henningus Arnisæus.

GVIL. AD. SCRIBONIVS, cuius amor erga Ramum eiusque doctrinam patet ex *triumpho logicæ Rameæ*, quem ipse scripsit. præfatione censet auctor, *Petrum Ramum in militia philosophiæ logicæ optime absolutissimeque cuncta perfecisse palmamque in cunctis obtinentem solum præ vniuersis aliis verissime ornatissimeque triumphare*; quæ cum illis haud consentanea sunt, quibus aduersus Beurhusium contendit, Rami logicam adhuc emendari atque accessione auctiorem effici posse.

SEVER.

SEVER. SLVTERVS, cui debemus *anatomen logicæ Rameæ & comment. in Rami dialecticam.*

RYD. SNELLIVS, qui protulit in lucem *commentarium in Rami dialecticam*, per modum dialogi; ac *prælectiones* in eandem dialecticam, quarum appendice obseruat errores logicæ Philippi Melanchthonis. ceterum auctor in hoc philosophiæ genere magnam consecutus est existimationem, dum præcepta Rami accuratius explicat, illustrat ac vindicat.

AVDOMARVS TALAEVS, cuius *prælectiones* in Rami dialecticam multis sese commendarunt, quoniam clarum lumen præceptis Rami adferunt.

HIERON. TREVTLERVS, cui debemus rudimenta dialecticæ P. Rami, vt de aliis taceamus, quos collegit MARTINVS LIPENIVS.[1] extremo adiiciamus versus quosdam, qui in laudem Rami scripti sunt:

Ramus odorifera curuatus ab arbore veri:
arboris est virtus inclyta summus apex.
arboris vt possis conscendere culmina, Ramum
apprendas manibus docta iuuenta tuis.
te feret aërias ad culmina summa per auras
sacrum vbi virtutis est penetrale situm.

§. VII. Sed tantam auctoritatem philosophia Ramea haud consequebatur, vt Aristotelis doctrinam de dignitatis sede penitus deii-

1 *biblioth. philosoph. p.* 1283.

cere

cere potuisset, quæ nihilominus sese tuebatur & incrementa capiebat haud leuiora. quod quum obseruarent sectatores Rami, & asseclæ Aristotelis ac Philippi Melanchthonis proba multa nec contemnenda in Rami monimentis inuenirent; excitati sunt ad studium conciliandi Ramum cum Aristotele ac Philippo Melanchthone, qui grauis auctoritatis Aristotelicæ defensor ac custos erat. nec solum studebant conciliationi, siue vt dicitur syncretismo philosophico, sed quoque ex vtriusque cum Aristotelis, tum Rami σύςημα aliquod conficiebant, qui posteriores dicebantur *mixti philosophi.* sic habemus PAVLLI FRISII *comparationes dialecticas*; BILSTENII *syntagma Philippo-Rameum liberalium artium*; BVSCHERI *harmoniam logicæ Philippo-Rameæ*; POLANI *syntagma logicum Aristotelico-Rameum*; LIBAVII *collationem dialectices Melanchthonis & Rami*, vt de aliis taceamus. inter mixtos philosophos refertur quoque BARTHOLOMAEVS KECKERMANN, cuius scripta philosophica sub *systematis systematum* inscriptione in summam redacta prodierunt cura IO. HENR. ALSTEDII, Hanou. MDCXIIII. nam quamuis existimauerit, *solam sectam Peripateticam Deum hac gloria & honore dignari voluisse, vt quæ Plato & alii confuse sine methodo & ordine semiplena. imperfecta per flosculos metaphorarum & fabularum inuolucra tradidissent, ea Aristoteles naturæ miraculum & auctor Peripateticæ familiæ primus humani generi traderet sub forma methodi dextræ, regulatæ & quoad partes omnes plenæ, id est vt cum logicæ, tum philosophiæ reliquæ*

liquæ ordinata, methodica, acroamatica, atque ad intellectus humani vſum informata ſyſtemata diuino artificio conformaret; [1] multa tamen in logica Peripatetica emendanda eſſe obſervauit, ac doctrinas Rami cum Ariſtotelicis coniunxit, quapropter a Peripateticis vocatur *Semi-Rameus.* ceterum IO. SCHARFFIVS [2] de mixtis his philoſophis ita iudicat: *hinc alia Ramiſtarum ſecta orta eſt, quæ vocatur miſta, ſeu mixta: ſcilicet nomine fatali. miſcet enim omnia in vnum chaos, Ariſtotelem transformat in ramenta falſarii ſui Petri, hoc eſt lucem in tenebras, cælum in terram, arborem in ramos, vt ſuo loco demonſtratur*; & ABRAH. CALOVIVS. [3] *Rameis, vt & mixtis ne delectentur, ſi Peripateticæ logicæ informatione gaudere poſſint, quod conſilium quam ſalubre ſit, ipſi tum agnoſcent, cum diſcernere poterunt, quid diſtent æra lupinis*; ſed quis non videt, quod hæc iudicia profecta ſint ab animo, Ariſtoteli maxime conſecrato? CHRISTIAN THOMASIVS [4] diſcrepantiam logicæ Rameæ a dialectica Philippi Melanchthonis his momentis notat: (1) *quod Ramus duas logicæ partes faciat, inuentionem & iudicium, ab inuentione incipiendo; Philippus contra methodum ſyntheticam ſecutus a iudicio ad inuentionem progrediatur*: (2) *Ramus omiſit prædicamenta; prædicabilia vero alienis locis & ſparſim inſeuit ac parum ſollicitus fuit de conditionibus bonæ definitionis & diuiſionis.* (3) *Ramus replet omnia ſolis poëticis & oratoriis exemplis:*

1 *præcogn. logic. tr. II. cap. 2. §. 15.* 2 *inſtit. logic. pag. 48.* 3 *pæd. theolog. p. 111.* 4 *philoſoph. aulic. cap. IIII. §. 16.*

emplis; at Philippus exempla adfert ex omnibus artibus & disciplinis.

§. VIII. Quodsi controuersiam hanc Rameorum cum Aristotelicis accuratius contemplari ac de ista sentire velimus, necesse est inter Ramum & sectatores eius ponere discrimen, nec de illis iudicare promiscue. Petrus Ramus non omnia quidem effecit perfecta; quin etiam existimamus, ipsum multa maxime necessaria atque vtilia logicæ momenta reliquisse intacta, quo inter alia spectat doctrina de definitione & diuisione, quibus omnis certa veritas nititur; nec non de diuersis veritatis generibus, demonstratione & probabilitate, de variis ratiocinandi modis; item ea, quæ tradiderit, adhuc posse emendari, etiam nonnulla momenta adtulisse, quæ sua carent vtilitate. attamen vel ideo singulari dignum habemus laude, quod primum seruituti philosophicæ sese obiecerit fortiter suoque demonstrauerit exemplo, veram philosophiam haud pendere ab auctoritate aliorum, qua si philosophiam tractandi rationem metiri velimus, ista tollit libertatem cogitandi, tuetur & propagat aliorum errores atque impedit, quo minus veritates inueniri, ac falsa remoueri possint. deinde Ramus in eo meliora præstitit, quod disciplinam logicæ ex elegantioribus litteris illustrauerit adeoque ipsius vsum declarauerit verius, quam scholastici, quorum dialectica semper in tenebris cogitationum erat defixa nec quidquam ad alias scientias aut vitam adferebat. quod si hoc modo recentiores quidam GERH. IO. VOSSIVS, [1] DA-

[1] *De natura & constitut. logica cap. XII. §. 7.*

NIEL

NIEL GEORGIVS MORHOFIVS,[1] GEORGIVS PASCHIVS [2] aliique Rami studia in purganda logica collocata considerassent, nec tam multum affectui erga Aristotelem dedissent; benignius sane de meritis huius philosophi iudicassent. nam quamuis hac feliciori philosophiæ tempestate haud necesse sit, Ramum defendere ac commendare, aut censuram quandam in ipsum facere, quum vera philosophiæ doctrina ita culta & in aperto posita est, vt sectam Rameam iterum stabilire, aut impugnare, nefas fere haberetur; æquitas tamen postulat, cuique meritam laudem attribuere, nec pro quauis adfectuum libidine quemdam perstringere. sufficit, Ramum idem ius ac eandem libertatem cogitandi habuisse atque vsurpasse, quam adhibuit Aristoteles, quum multa a præceptoribus tradita emendaret, ac propria iudicii facultate inquireret in veritates? ceterum neutiquam probamus, quod Ramus, præcipue ipsius sectatores studio prauorum adfectuum interdum abrepti, a veritatis via aberrauerint, nec solum fecerint λογομαχίας, sed & defenderint errores, nec quæ in Aristotele bona sunt, videre voluerint. at vero hæc a Peripateticis haud iure quodam Rameis obiici possunt, siquidem iisdem vitiis, etiam adhuc grauioribus laborauerint, quum disputarent contra Ramum & philosophiam ipsius: confer SAMVELEM WERENFELSIVM.[3]

§. VIIII. Hactenus disseruimus de illis, qui

1 *Polyhistor. tom. II. lib. I. cap. 12. §. 1.* 2 *de inuentis nou-antiquis cap. II. §. 16.* 3 *de logomach. erud. cap. III. §. 6. pag. 60.*

Aristoteli, præcipue scholasticis se opposuerunt ac logicam inprimis a barbara labe, quam contraxerat iniuria temporis, purgare adnisi sunt summa ope. quos subsequuntur isti, qui tuendæ Aristotelis auctoritati addicti dialecticam ex antiquis fontibus iterum hauriendam, adeoque vetustiorem renouandam atque instaurandam esse existimarunt, qui in certas ætates accurate haud distribui possunt, quum modo tempore Rami modo ante, modo post illum floruerint. duplex eorum genus fuit. alii sectati sunt doctrinam vulgarem eamque scholasticam, atque ex Aristotele aliisque antiquis dialecticis istam emendarunt, illustrarunt & ad veriorem adcommodarunt vsum; alii vero a scholasticorum nugis plane abhorrentes, vnice Aristotelem eiusque græcos interpretes secuti, germanam Peripateticam dialecticam in pristinum dignitatis fastigium collocare omnibus adnitebantur viribus. prioris generis multi sunt, FRANCISCVS TITELMANNVS, IODOCVS WILLICHIVS, PHILIPPVS MELANCHTHON, IO. STVRMIVS, IACOBVS ZABARELLA, AVCTORES collegii Conimbricensis, STAHLIVS, BECHMANNVS & plures alii, quorum nomina & scripta copiose recensere, non necesse est; præcipue quum KECKERMANNVS & bibliothecarum scriptores munus id præstiterint. quapropter sufficiat, breuiter adnotasse, quo studio PHILIPPVS MELANCHTHON dialecticam in altius prouehere contenderit, & quam multi alii per ipsum sint excitati ad culturam dialecticæ Peripateticæ. PHILIPPVS quippe MELANCHTHON

THON logicæ magnum ſtatuebat pretium, quam in rem teſtimonia collegit IACOBVS MARTINI;[1] ac ducem ſequebatur Ariſtotelem, quem quondam faciebat magni. at locis communibus, ſiue hypotypoſibus theologicis multa leguntur, quæ animum a philoſophia Ariſtotelica alienum prodere videntur, ſiquidem, ſi conſulamus primam editionem editam MDXXI. inter alia hæc legimus: *nam perinde atque his poſterioribus eccleſiæ temporibus Ariſtotelem pro Chriſto ſumus complexi, ita ſtatim poſt eccleſiæ auſpicia per Platonicam philoſophiam chriſtiana doctrina labefactata eſt*: item: *Ariſtotelis doctrina eſt in vniuerſum quædam libido rixandi, vt eum in parænetica philoſophiæ ſcriptoribus ne poſtremo quidem loco numerare conueniat*; nec non: *id vt conueniat cum Ariſtotelis philoſophia non laboro; quid enim ad me, quid ſenſerit ille rixator?* ſed tamen quum forſan poſthac MELANCHTHON cognoſceret, rem litterariam ſine philoſophia haud poſſe conſiſtere; & perſuaderet ſibi, haud conſultum eſſe libertatem philoſophicam cuiusuis ingenio permittere, quamdam ſectam ex vetuſtiori ætate reuocare inſtituit. ea tempeſtate præ aliis eminebant Platonica & Ariſtotelica, quam poſteriorem priori præferebat PHILIPPVS variis de cauſſis, præcipue quoniam exiſtimabat, Platonicam deducere homines ad enthuſiaſmum, nec quidquam ſolidi ex dialectica ſcientia continere; etiam aduerſarii, a quibus tum vocabantur in diſceptationem, haud le-

[1] *im Vernunfft-Spiegel lib. II. cap. 14. p. 847.*

viore industria peripateticae philosophiae inuigilabant. id certum est, quod eo tempore sinistre iudicauerint de philosophia Platonica. IO. VELCVRIO, [1] postquam commemorauerit placita Platonicorum de virtutibus, addit: *Platonicorum vana somnia recensui ob id tantum, vt haberemus fere summam Platonicae theologiae, quam vocant, & ostenderem, quam fide dignis scilicet & iustis de caussis quidam vaniloqui persuasi, Platonicam philosophiam ausint comparare christianismo, quum reuera simiarum animi ac mores corporaque sint hominibus similiores, quam hae quadruplices Platonicorum virtutes commentitiae, aliquantillam christianismi veri exprimant vmbram.* quid igitur mirum, quod posthac MELANCHTHON magnifecerit Aristotelem, ipsius philosophiam professus eamque propagauerit atque effecerit, vt accessione non leuis incrementi reddita fuerit splendidior, cuius rei testimonia ex ipso MELANCHTHONE collegit IO. HERMANNVS ab ELSWICH. [2] atqui eundem ducem, Aristotelem quippe secutus est in arte logica, cuius dialecticam laudat & commendat mirifice, siquidem dicit: [3] philosophia *Aristotelica recte describit genera doctrinarum, dialecticen, physicen, ethicen, & dialecticen habet veram, incorruptam, integram: qua laude haud dubio, omnibus aliis sectis antecellit.* alio autem loco perstringit Petrum Ramum: [4] *quod autem gallus quidam,* inquit, *contendit, ne tabulas quidem ex illo Aristotelis*

1 *Comm. physic. lib. IIII. c. 39.* 2 *schediasm. de varia Aristotelis in scholis Protestantium fortuna p. 36. sqq.* 3 *Dialect. lib. IIII.* 4 *orat. de Aristotele.*

stotelis

ſtotelis naufragio vllas receptas eſſe, ac prorſus amiſſos eſſe dialecticos libros: deinde hos, qui hoc titulo circumferuntur, rudera continere, non artis integræ exſtructionem, ſeu vt ita dicam ædificium, illum hoc ſuo ſomnio delectari ſinamus. nos hæc monimenta, cuiuscunque ſint, etſi Ariſtotelis eſſe multæ ſunt & graues coniecturæ, amemus & eis fruamur. & hinc veram methodi formam in omni diſputatione ſumendam eſſe ſciamus. primus ſub reformationem doctrinæ chriſtianæ libros quatuor *erotematum dialecticorum* ſcripſit, quæ ſæpius MDXXVIII. & inprimis recognita ac dedicata IO. CAMERARIO, Ioachimi filio MDXLVII. Lipſiæ prodierunt: confer BARTHOLOMAEVM KECKERMANN. [1]

§. X. PHILIPPVS MELANCHTHON magiſter erat multorum diſcipulorum, qui magna copia ad ipſum, vt inſtitutione eius vterentur, confluebant, ac poſthac ſcholis præfecti philoſophiam hanc longe lateque per Germaniam, Daniam, Sueciam, Hungariam diſſeminabant. hac ratione Ariſtoteles magna capiebat incrementa, præcipue quum multi inſtituta academiæ Witebergenſis obſeruarent & ad exemplum illius conderentur aliæ academiæ. in academia Lipſienſi conſtitutus eſt profeſſor, qui adhuc organon Ariſtotelis publice debet interpretari, quo munere iam fungitur L. CHRISTIANVS LVDOVICI, cuius *logicæ Peripateticæ veſtigia ab orthodoxis theologis innocue vtiliterque preſſa & in publicis diſſertationibus luſtrata*, prodierunt Lipſiæ

1 *pracogn. logic. tr. II. cap. V. §. 2.*

 MDCCXIII.

MDCCXIII. qua occasione IO. NELDENVS librum conscripsit de *vsu organi Aristotelici*; sic & exstat constitutio academiarum Lipsiensis & Witebergensis ab Aug. an. MDLXXVI. edita, qua iubentur secundus professor philosophiæ, nec non septimus, octauus & nonus *solius Aristotelis libros in dialecticis, physicis, ethicis, & politicis prælegere, disputationes item & examina promouendorum ex Aristotelis libris instituere*: vide HVLSEMANNVM.[1] sic & in aliis academiis ac scholis hæc dialectices ratio erat solemnis, qua sequebantur Philippum, ac re ipsa, quum passim conficerent compendia, Aristotelis monimenta negligebantur, quod & in academia Witebergensi accidit, vbi maior ratio habita est librorum Melanchthonis, quam Aristotelis. id quod confirmat POLYCARPVS LYSERVS:[2] *porro*, inquit, *vt quoque de Aristotelis philosophorum principis scriptis quid sentiam, scribam, tantum abest, vt illa ex scholis releganda esse statuam, vt nunquam dissimulauerim, me mirari, qui fiat, quod in hac schola nostra, quæ cum reliquarum in Germania academiarum quasi communis mater esse statuatur, tantum compendia philosophiæ studiosæ iuuentuti prælegantur, Aristotelis autem libri prorsus negligantur. ego omnino iudico D. Ph. initio compendia philosophiæ saltem pro incipientibus scripsisse, idque non hoc consilio fecisse, vt Aristotelis libros ex manibus discentium prorsus excuteret; sed tantum vt eosdem ad legendum ipsum Aristotelem introduceret & quasi viam sterneret. iam vero dum Ari-*

1 *præf. ad dialect. pag.* 13. *sqq.* 2 *vid. sylloge epistol. Lyser. pag.* 287.

ſtoteles ab aliis negligitur, ego inſimulor, quaſi eius libros ceu inutiles reiiciam. cum ſtatuam ex dignitate academiarum eſſe, vt in illis iuniores a compendiis ad fontes ipſos adducantur. ſed tamen non defuerunt, qui in id conferebant ſtudia ſua, vt genuinos Ariſtotelis fontes aperirent, quo inde vera philoſophia adeoque dialectica vnice poſſet hauriri. atqui hi ſunt poſterioris generis, de quibus diſſeramus.

§. XI. Alterum igitur genus eſt illorum, qui excitati cupiditate genuinam Ariſtotelis philoſophiam cognoſcendi, animos ſuos ad ipſius monimenta conferebant, & abiecta omni ſcholaſticorum doctrina, vnice admittebant Ariſtotelis placita. atqui talem purum atque incorruptum Ariſtotelem reducere multi elaborarunt, ex quibus Itali quidam maxime illuxerunt, ANDREAS CAESALPINVS, CAESAR CREMONINVS, PETRVS VICTORIVS, CYRIACVS STROZZA, ALEXANDER & FRANCISCVS PICCOLOMINAEI; quorum exemplis germani quoque ad huiusmodi ſtudia commoti ſunt, inter quos eminent CORNELIVS MARTINI, PHILIPPVS SCHERBIVS, MICHAEL PICCARTVS, ERNESTVS SONERVS, CHR. DREIERVS, MELCHIOR ZEIDLERVS, HERMANNVS CONRINGIVS, IO. a FELDEN & alii. cuiusmodi ingenia maxime erant ſplendida, non ſolum ſplendore philoſophiæ; ſed & elegantioris ac præcipue græcæ doctrinæ, quam prudentiſſimo conſilio ac feliciſſimo inſtituto coniungebant cum ſapientiæ ſtudiis, ſicque faciliori atque expedita via ad penetralia philoſo-

losophiæ Aristotelicæ perueniebant. nec obscure subinde colligi potest, quantam vim adferat politior litteratura ad culturam philosophiæ, quam coniunctionem quum viri illi gravissimi facerent, multa sane præclara atque vtilia, quæ bonas litteras iuuant atque ornant, præstiterunt. in ipsis enim philosophiæ doctrinis multo iucundiores atque vtiliores sunt scholasticis, ita vt exiguus γνησίως cuiusdam Aristotelici liber meliora contineat, quam decem volumina scholasticorum magnæ molis. ac quamuis nostra tempestate nec pura Aristotelis doctrina quidquid ponderis habeat, quum feliciora philosophiæ sidera exorta sint; horum tamen monimenta nobis in historia philosophica clarissimum lumen præferre possunt, id quod vel vnicum exemplum summi viri IACOBI THOMASII confirmat, cuius laus de hoc historiarum genere comes erit æternitatis.

§. XII. Quod speciatim ad dialecticam adtinet, illam quoque puriorem ex Aristotele restituere conati sunt hi vere Aristotelici. atqui huc pertinent

BARTHOLOMAEVS VIOTTVS, cuius libri quinque exstant de demonstratione, qui prodierunt primum Parisiis; posthac autem anno MDCLXI. istos recudendos curauit ANDREAS FROELINGIVS in academia Iulia logices professor, & hanc secundam tertia editio secuta est Brunsuigæ MDCLXXXV. 4. cura HENRICI WIDEBVRGII, qui in margine præcipua operis analytici loca obseruauit & extremo

mo quoque adnotationes quasdam adiecit. HERMANNVS CONRINGIVS [1] de opere hoc ita iudicat: *ea propter quum iuueni mihi in Batauorum academia degenti anno abhinc tricesimo secundo forte fortuna Bartholomaei Viotti de demonstratione inscripti libri in manus inciderent, dici non potest, quantopere laetatus fuerim. sed nec fefellit me omnis exspectatio. reperi enim in hoc volumine iusta serie & perspicue tradita, quae in Aristotelico sparsim & perobscure docentur; haud pauca etiam, quae in Aristotelico desunt, vtilia tamen, immo necessaria scientiam certam affectantibus. quamuis cum Aristotelica nonnulla tum & alia ad apodicticam pertinentia heic etiam praetermissa sint.* BARTHOLOMAEVS KECKERMANN [2] censet, *reperiri in his libris quidem errores non paruos nec paucos; tamen non deesse etiam vtilia & proba.* ceterum VIOTTVS scripsit quoque de *balneorum naturalium viribus.*

IACOBVS SCHEGKIVS, cuius iam supra fecimus mentionem, quum exposuerimus historiam logicae Rameae, cui sese opposuit. penitus animum tradiderat philosophiae Peripateticae, cuius singularem consecutus est laudem: hinc FECHTIVS [3] de eo scribit: *philosophiam Peripateticam perpetuo tamquam ἔργον persecutus, vt e tenebris scho-*

1 *Epist. praemissa ad Froelingium.*
2 *prac. logic. tr. II. cap V. §. 7.*
3 *schediasm. sacr. exercit. II. p.* 448.

lasticorum iterum erueretur, illiusque vsus in omnibus disciplinis incomparabilis toti orbi pateret, legendo inque publicum meditationes suas edendo vnice operam suam impendit. scripsit libros XV. de demonstratione, item obseruationes in praedicabilia, praedicamenta, librum de interpretatione, priora analytica, topica, quae monimenta ab illis, qui doctrina Peripatetica delectantur, in magno habentur pretio: confer MELCHIOREM ADAMVM. [1]

IO. BAPTISTA MONLORIVS, qui in libros priorum analyticorum commentarios scripsit, *quo opere omnes veterum & recentium operas in illos Aristotelis libros ita superauit, vt qui iam post Monlorium in hac parte aliquid aggrediuntur, post Homerum Iliada scribere videantur*, iudice KECKERMANNO. [2]

SIMON SIMONIVS, Italus qui ob religionem patria exul Lipsiam se contulit & magno studio philosophiae Aristotelicae tradidit, hinc MORHOFIVS [3] dicit: *Lipsiam concessit, vbi academiam illam docuit ἀριστοτελίζειν ac exemplo suo & praeceptis ad solidiorem philosophiam analyticam viam monstrauit*; quamuis iam alii ibi fuerint, qui sectati sunt Aristotelis doctrinam. ipsi fuerunt controuersiae cum Iacobo Schegkio, aduersus quem scripsit *quaestiones dialecticas*, iisque probare contendit, *eum in commentariis logicis non subiectum, non ordinem, non*

1 *vitis medicor. germanor. p.* 290. *seqq.* 2 *cit. loco* §. 15.
3 *polyh. t. II. lib. I. cap. XI.* §. 28.

finem

finem, non naturam logicæ artis, quæ ab Aristotele traditur, explicasse.

FORTVNATVS CRELLIVS, qui edidit *isagogen logicam*, qua quum non omnibus satisfecerit, ac censuram quoque expertus, quod tam multa deberet Zabarellæ, obscuram de demonstratione doctrinam exemplis non satis illustraret, etiam religioni suæ nimis deditum se exhiberet; HENNINGVS ARNISAEVS per obseruationes suas morbis his medelam adferre voluit.

IO. NELDELIVS, Glogouia vrbe Silesiæ oriundus, philosophiæ Aristotelicæ doctor & in academia Lipsiensi professor, quiue anno MDCXII. mortalitatem suam finiuit. opus ipsius de *vsu organi Aristotelici* magnam consecutum est existimationem, quod inuito & inscio auctore anno MDCVII. sub hac inscriptione prodierat: PRATVM LOGICVM *organi Aristotelici septis inclusum iucundisque passim viridariis adeoque flosculis conspicuum: siue praxis & vsus organi Aristotelici genuinus in omnibus artium & facultatum disciplinis ex ore D. IO. NELDELII, academiæ Lipsiensis professoris Aristotelici celeberrimi exceptus & non absque autoris comprobatione* (quod falsum est) *publici iuris factus.* quæ editio quum multis vitiis maxime esset corrupta, M. HENRICVS CRELLIVS meliorem anno MDCLXVI. Helmstadii exhibuit, cui præmissæ sunt epistola HERMANNI CONRINGII ad IACOBVM THOMASIVM, qua iudicat de NELDELIO, item SIMONE

SIMO-

SIMONIO; necnon GVERNERI ROLFINCII ad CRELLIVM, qua ſcribit: *organum Ariſtotelicum intellectu difficile eſt. Neldelius nucem frangit & cortice nudata nuce lectori apponit mellitiſſimos medullæ globulos. organum Ariſtotelicum tenebris eſt inuolutum, tyronibus remoram iniicientibus. has diſcutit Neldelius ordinis & methodi ſubſidiis & alis euectus in altum & radiis dilucidæ explicationis dubia reſoluit.*

IVLIVS PACIVS, qui non ſolum ſumme meritus eſt de organo Ariſtotelis, quod bene tranſtulit in latinum ſermonem ac commentariis illuſtrauit; ſed etiam *logicas inſtitutiones* edidit, quibus doctrinæ Ariſtotelicæ momenta tradidit feliciter.

PHILOSOPHI ALTDORFINI, qui magnam famam de philoſophia Peripatetica, cui purgandæ ſingulari ſtudio ſe ſe tradiderant, conſecuti ſunt, ſcilicet PHILIPPVS SCHERBIVS, ERNESTVS SONERVS, MICHAEL PICCARTVS, viri hoc litterarum genere nunquam ſatis laudandi. primus ſcripſit diſputationem pro philoſophia Peripatetica aduerſus Ramiſtas, cuius ſupra fecimus mentionem; Helmſtadii autem MDCLIX. prodierunt ipſius *theſes philoſophicæ in vnum corpus redactæ*, quibus inter alia agitur de *libris Ariſtotelis acroamaticis & exotericis*; *de differentiis analytices & dialectices*; *logices & dialectices*; *rhetorices & dialectices*; *de genere ſyllogiſmi*; *de definitione definitionis*; *de differentiis definitionum*; *de categoriis*. MICHAELIS PICCAR-

CARTI autem *organon Aristotelicum in quaestiones & responsiones redactum* lucem vidit Lipsiæ MDCXIII. breuiores illorum disputationes in summam redactæ sub inscriptione: *philosophia Altdorfina* cura & studio IO. PAVLLI FELWINGERI prodierunt. ac quem fugiat, quid præstiterint Regiomontani DREIERVS, ZEIDLERVS, HEDLO; Helmstadienses HERMANNVS CONRINGIVS, CORNELIVS MARTINI, IO. a FELDEN, aliique, quorum omnium nomina ac scripta si distinctius recensere vellemus; opus magnæ molis quidem, sed haud singularis emolumenti conscribere necesse esset. quapropter sufficiat, nos ipsa logicæ fata attigisse ac principes viros, qui hac tempestate clarum præ aliis nomen a se dederunt, commemorasse.

§. XIII. Disseruimus itaque de illis, qui reformandæ artis logicæ posuerunt fundamenta. restat, vt videamus; quomodo ipsa reformatio sit subsecuta, ex quo eclectica philosophia, vti adpellatur, introducta; auctoritas autem præcipue Aristotelis magnum sensit detrimentum. quæ mutatio non vno temporis momento; sed sensim ac sensim euenit, ita vt in dies facta sit ars hæc ornatior ac pulcrior, postquam extiterint grauissimi viri, qui ipsi magis adhuc expoliendæ curas suas adhibuerunt. sic alii viam pararunt ad huiusmodi logicam, qui nulla auctoritate, sed libertate cogitandi nititur; alii vero posito semel fundamento opus ipsum struxerunt, quorum iterum varia sunt genera, siue propagationem, siue digni-

dignitatem, siue modum doctrinæ, quam in gratiam veritatis cognoscendæ tradiderunt, respiciamus. namque quod ad propagationem adtinet, quorundam præcepta consecuta sunt tantam auctoritatem, vt multi ista veluti diuina coluerint adeoque iterum effecerint sectam, quod exemplo Cartesii eiusque sectatorum patet; ratione dignitatis autem non omnes pari successu opus hoc adgressi sunt. alii enim maxime alieni ab Aristotele, prorsus ipsius doctrinam reiecerunt, etiam interdum bonas meditationes, quas quum non satis maturæ essent, magis expolire & ad veriorem scientiarum vsum transferre potuissent. id quod patet ex doctrina de figuris & modis syllogismorum, quæ quum maxime a scholasticis esset deprauata, omnem amisit gratiam ac posthac a plurimis recentiorum philosophorum penitus abiecta, veluti momentum, cui nulla insit dignitas, quod tamen si bene & recte tradatur, varios modos ratiocinandi suppeditat. alii contra omnem affectum erga Aristotelem, erga scholasticos abiicere, a se impetrare haud potuerunt, quapropter interdum retinuerunt doctrinas, quas eiicere, nec propagare debuissent. sic & fuerunt, qui momenta maxime necessaria, de definitione, diuisione, de variis modis conclusiones efficiendi, de probabilitate vel minus, vel leuiore industria attigerunt, nec quod inprimis obseruandum est, discrimen inter ratiocinationem philosophicam & mathematicam, quod pro diuersitate obiecti & philosophiæ & matheseos itemque diuerso modo vtramque cognoscendi maxime clarum est, posuerunt. tandem modus quo-

quoque ac ratio, qua doctrinam logicæ proposuerunt, fuit diuersa, siquidem alii ex natura ac variis operationibus intellectus humani præcepta sua deduxerunt; alii vero considerarunt ipsum obiectum logicæ, quod est veritas generatim, item finem, siue cognitionem veritatis & ad vtrumque adcommodarunt ordinem doctrinarum. sed de his dispiciamus nunc distinctius.

§. XIIII. Ille, qui fundamenta logicæ eclecticæ posuisse plerumque traditur, est FRANCISCVS BACO DE VERVLAMIO, cuius opera prodierunt anno MDCLXV. fol. inter quæ extat quoque *nouum organon*, quod primum in lucem emissum est anno MDCXX. atqui hoc libro elaborat commonstrare nouam logicæ rationem, quæ inprimis ad doctrinam rerum naturæ adplicatur & tribus momentis a vulgari logica diuersa, *fine* quippe, *ordine demonstrandi, & inquirendi initiis.* finis ipsius logicæ propositus est, vt artes, non argumenta inueniantur: *huic nostræ scientiæ*, inquit, *finis proponitur, vt inueniantur non argumenta, sed artes; nec principiis consentanea, sed ipsa principia; nec rationes probabiles, sed designationes & indicationes rerum.* ad ordinem vero demonstrandi non adhibet syllogismum, sed inductionem, quæ a singularibus gradatim procedat ad generalia: hinc ita disputat contra vulgarem syllogismum: *atque cum huiusmodi fine conueniunt demonstrationum ipsarum natura & ordo. in logica enim vulgari opera fere vniuersa circa syllogismum consumitur. de inductione vero dialectici vix sero cogitasse videntur*

dentur; leui mentione eam transmittentes, & ad disputandi formulas properantes. at nos demonstrationem per syllogismum reiicimus, quod confusius agat, & naturam emittat e manibus. tametsi enim nemini dubium esse possit, quin quæ in medio termino conueniunt, ea & inter se conueniant (quod est mathematicæ cuiusdam certitudinis) nihilo minus hoc subest fraudis, quod syllogismus ex propositionibus constat, propositiones ex verbis, verba autem notionum tesseræ & signa sint. itaque si notiones ipsæ mentis, (quæ verborum quasi anima sunt & totius huiusmodi structuræ ac fabricæ basis) male & temere a rebus abstractæ & vagæ nec satis definitæ & circumscriptæ, denique multis modis vitiosæ fuerint, omnia ruunt. reiicimus igitur syllogismum; neque id solum quoad principia, (ad quæ nec illi eum adhibent) sed etiam quoad propositiones medias, quas educit sane atque parturit vtcunque syllogismus; sed operum steriles & a practica remotas & plane quoad partem actiuam scientiarum incompetentes. tandem in inquirendi initiis auctor principia in dubium vocat, ac inprimis falsa ac prius, quam par est, facta iudicia remouere contendit, quæ vocat *idola mentis* & in quatuor distribuit classes. prima complectitur *idola tribus*, quæ fundata sint in ipsa quasi tribu siue gente ac natura humana vniuerse spectata; secunda *idola specus*, quæ habeantur ex natura singulari; ipsa enim quasi quædam cauerna obscuret impressiones, quæ aliunde aduenian tob errores generales contractos ex consuetudine, lectione, auctoritate; tertia *idola fori*, quæ oriantur ex commercio cum plebe, ac

quarta

quarta *idola theatri*, quæ ex philosophorum doctrinis ac peruersis demonstrationum legibus habeant originem, quæ omnia copiose recenset PETRVS GASSENDVS. [1] nisi post Verulamium alii philosophi manus suas emendandæ logicæ admouissent, ac feliciori successu opus hoc fuissent persecuti; sane nouum ipsius organon tantum ponderis minus habuisset, quantum ad destruendam Aristotelicæ logicæ auctoritatem erat necessarium. nam præcepta ipsius neutiquam fini logicæ respondent, turbatim sunt proposita nec mediocrem produnt obscuritatem, quod non aliter poterat euenire, quum auctori id esset solemne, vt obscuros mentis conceptus adhuc nouis atque obscuris verbis exprimeret. ceterum tantum abest, vt hoc summum litterarum decus honorifica existimatione minus colamus; vt ipsius studia, quibus libertatem cogitandi in altius fastigium prouehere adnisus est, magnificis laudibus digna esse censeamus. sufficit, [2] quod in Verulamio deprehendamus mentem libertatis philosophicæ maxime studiosam; a seruitute vero, quæ cum bonis litteris nihil habet commune, alienam. Verulamii vestigia secutus est IO. BAYERVS, qui lyceo Eperiensi præfuit, ac logicam composuit huius inscriptionis: *filum labyrinthi, vel cynosura seu lux mentium vniuersalis cognoscendis, expendendis, & communicandis vniuersis rebus accensa*, Cassouiæ MDCLXIII. confer IO. FRANCISCVM BVDDEVM. [2]

1 *de origine & variet. logices cap. X.* 2 *introd. ad hist. phil. Ebraeor. §. XXXVI. p. 311. ed. 2.*

§. XV. Quum defuncti ſimus hoc labore, ordinis ratio nos iubet, nos ad RENATVM CARTESIVM conuertere. PETRVS GASSENDVS [1] dicit de eo: *is Verulamium ea in re imitatus eſt, quod nouam quoque philoſophiam a fundamentis excitaturus, omne omnino praeiudicium exuere, imprimis voluit; ac invento ſubinde quopiam principio ſolidiſſimo, ipſi vt fundamento ſuper exſtruere totam molem. non eandem tamen viam eſt, quam Verulamius ingreſſus, ſed quum Verulamius auxilia a rebus ad perficiendam intellectus cogitationem petierit, ipſe omni rerum cogitatione ablegata, cenſuit in ipſa cogitatione ſatis eſſe praeſidii, vt intellectus poſſit vi ſua in omnium rerum, etiam abſtruſiſſimarum, hoc eſt non modo corporum, ſed dei etiam ac animae notitiam perfectam venire.* ſcripſit autem CARTESIVS diſſertationem *de methodo recte vtendi ratione & veritatem in ſcientiis inueſtigandi*; *meditationes de prima philoſophia*, quae multa argumenti logici continent, cuiusmodi res aliis quoque monimentis paſſim attigit. quae fata philoſophia Carteſii generatim ſubiit, iisdem quoque expoſita fuit ipſius logica, quum alii iſtam laudarunt, expoſuerunt, illuſtrarunt, & quomodo poſſit propagari, ſtudioſe ſunt meditati; alii vero varias easque grauiores cenſuras in illam exercuerunt. poſterioris generis inprimis eſt PETRVS GASSENDVS, qui edidit *disquiſitionem metaphyſicam ſeu dubitationes & inſtantias aduerſus Renati Carteſii metaphyſicam & reſponſa*, [2], quo opere tantis

[1] *de origine & variet. logic. cap. XI.* [2] *tom. III. opp. Gaſſend. p. 279.*

viribus

viribus aggressus est Cartesium, vt neque Cartesius, neque alius ex sectatoribus ipsius istas opprimere seque tueri potuerint. hinc etiam GERHARDVS de VRIES [1] hortatur Cartesii asseclas: *confutandis tandem se accingant, si quid valeant, Gassendi instantiis.* PETRVS POIRET [2] quoque Cartesii dissertationem de methodo & meditationes confutare, errores demonstrare instituit, quæ censura multa præclara prodit ac significat, Poiretum in refutandis aliis esse feliciorem, quam in veritatibus ac præceptis suo ingenio expromendis: nec non PETRVS DANIEL HVETIVS [3] multa hoc doctrinæ genere obseruauit aduersus Cartesium, vt de aliis, qui ei sese opposuerunt, taceamus, qua de re scriptores de vita ac fatis Cartesii eiusque philosophiæ legi possunt, IO. TEPELIVS, [4] PETRVS BORELLVS, [5] ADRIAN. BAILLET. [6]

§. XVI. Duo præcipue Cartesius sibi proposuit explicanda: alterum est, vt demonstraret viam, qua quis errores generales euellere atque vitare posset, quam in rem dubitationem commendauit maxime. ita enim de se [7] loquitur: *animaduerti iam ante aliquot annos, quam multa ineunte ætate falsa pro veris admiserim, & quam dubia sint, quæ istis postea super exstruxi; ac proinde funditus omnia in vita esse euertenda, atque a primis fundamentis denuo inchoandum, si quid aliquando firmum & mansurum cupiam in scientiis stabilire.* vt

1 *dissertatiuncul. de Cartesii meditation. a Petro Gassendo impugnatis §. 41.* 2 *part. III method. inueniendi verum p. 89. de erud. triplic.* 3 *censura philosophiæ Cartesii.* 4 *histor. philos. Cartesiana.* 5 *compend. vita Cartes.* 6 *dans la vie de Mr. Des-Cartes.* 7 *meditat. 1. de prima philos.*

autem dubitandi rationes ostenderet, istas a sensuum fallacia & somniorum ludificationibus deduxit, siquidem ita dixit: [1] *nunc itaque cum tantum veritati quaerendae incumbamus, dubitabimus inprimis, an vllae res sensibiles aut imaginabiles existant: primo, quia deprehendimus interdum sensus errare, ac prudentiae est, numquam nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt: deinde quia quotidie in somnis innumera videmur sentire aut imaginari, quae nusquam sunt: nullaque sic dubitanti signa apparent, quibus somnum e vigilia certo dignoscat.* quum vero praeter haec, quae cadunt in sensus externos, dantur adhuc principia, quae omnino vera habentur, qualia sunt mathematicorum, & de illis dubitari posse existimauit Cartesius, quoniam aut deus hominem & in his rebus ad errores procliuem condere atque effingere potuerit, aut si hoc diuinae sapientiae ac benignitati repugnaret, quis facile sibi posset persuadere, esse genium quemdam malum, qui fraudes faceret, hominesque deduceret in errores, vt falsa haberent maxime vera & certa. en verba Cartesii: [2] *nam siue vigilem, siue dormiam, duo & tria simul iuncta sunt quinque, quadratumque non plura habet latera, quam quatuor; nec fieri posse videtur, vt tam perspicuae veritates in suspicionem falsitatis incurrant. verum tamen infixa quaedam est meae menti vetus opinio, deum esse, qui potest omnia, & a quo talis, qualis existo, sum creatus: vnde autem scio, illum non fecisse, vt nulla plane sit terra, nullum caelum, nulla res extensa, nulla figura, nulla magnitudo, nullus locus, & tamen*

1 *princ. philosoph. part. I. §. 4.* 2 *meditat. I.*

haec

hæc omnia non aliter, quam nunc mihi videantur exſiſtere? immo etiam quemadmodum iudico, interdum alios errare circa ea, quæ ſe perfectiſſime ſcire arbitrantur, ita ego vt fallar quoties duo & tria ſimul addo, vel numero quadrati latera; vel ſi quid aliud facilius fingi poteſt? at forte noluit deus ita me decipi, dicitur enim ſumme bonus; ſed ſi hoc eius bonitati repugnaret, talem me creaſſe, vt ſemper fallar, ab eadem etiam videretur eſſe alienum permittere, vt interdum fallar, quod vltimum tamen non poteſt dici. ac paucis interiectis: *ſupponam igitur, non optimum deum fontem veritatis, ſed genium aliquem malignum eumdemque ſumme potentem & callidum omnem ſuam induſtriam in eo poſuiſſe, vt me falleret: putabo, cælum, aerem, terram, colores, figuras, ſonos cunctaque externa nihil aliud eſſe, quam ludificationes ſomniorum, quibus inſidias credulitati meæ tetendit.* quum igitur hac ratione omnia incerta, ac falſa ſecum reputaret, id vnicum certum ac verum ipſi videbatur, quod quum dubitaret, neceſſe ſit, ſe cogitare, quumue cogitaret, inde ſequatur neceſſario, ſe exiſtere, quia alias cogitare haud poſſet. quapropter putabat, principium hoc: *ego cogito, ergo ſum,* eſſe maxime ſolidum ac prima veritas, quæ poſſit opponi dubitationi. alterum, in quo CARTESIVS ſingularem operam poſuiſſe ſibi videbatur, eſt doctrina de demonſtratione, quam quatuor regulis [1] tradidit. prima illarum eſt: *vt nihil vnquam veluti verum admitteres, niſi quod certo & euidenter verum eſſe cognoſceres; hoc eſt vt omnem præcipitantiam*

1 *diſſert. de methodo.*

atque anticipationem in iudicando diligentissime vitares, nihilque amplius conclusione complecteris, quam quod tam clare & distincte rationi tuæ pateret, vt nullo modo in dubium posses reuocare. secunda: *vt difficultates, quas esses examinaturus, in tot partes diuideres, quot expediret ad illas commodius resoluendas.* tertia: *vt cogitationes omnes, quas veritati quærendæ impenderes, certo semper ordine promoveres: incipiendo scilicet a rebus simplicissimis & cognitu facillimis, vt paulatim & quasi per gradus ad difficiliorum & magis compositarum cognitionem ascenderes; in aliquem etiam ordinem illas mente disponendo, quæ se mutuo ex natura sua non præcedunt*; quarta: *vt tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfecte singula enumerares & ad omnia circumspiceres, vt nihil a te omitti esses certus.*

§. XVII. Quamuis fateamur ingenue, CARTESIO magnam laudem iis de caussis esse tribuendam, quod diligenter non solum sit meditatus, quo modo nimia auctoritatis studia, quæ cum vera philosophia eiusque prosperiori progressu nullum habent commercium, euellantur; sed & ipse libertatem cogitandi, quæ propria est philosopho, vsurpauerit. qua ratione id effecit, vt ab eius ætate musæ hæ maiora felicioraque ceperint incrementa; etiam alia ingenia grauissima sint excitata ad meliorem artis logicæ culturam promouendam. nam ipse CARTESIVS disciplinæ huic haud multa præclara adtulit, siue præcepta, quæ præcepit, siue propriam exercitationem, quam in cognoscenda demonstrandaque veritate

ritate adhibuit, respiciamus. regulæ eius ac præcepta iusto sunt breuiora nec ingenium quoddam possunt aptum reddere ad sensum veri & falsi, præsertim quum nimis sint generalia, cuius rei eo maiori admiratione tenemur, quo largior ipsi fuit occasio, logicæ Aristotelicæ vitia emendandi, modo per summam auctoritatem, quam dialectica Peripatetica longo temporis tractu tenebat; modo per ipsius apertos defectus atque errores; modo per proprii ingenii excellentiam ac modo denique per studium gloriæ philosophicæ, quo trahebatur CARTESIVS. sic nihil tradidit de ratione verum inueniendi, de probabilitate, de definitionis legitimæ indole, de variis ratiocinandi modis, nec quod inprimis obseruare decet, discrimen inter ratiocinationem philosophicam & mathematicam cognouit, quin etiam vitium hoc auxit maximo opere. scholasticorum quidem malorum stirpem, id est nimium auctoritatis Aristotelicæ studium exscindere elaborauit, quum de omnibus rebus dubitare iuberet; sed veræ ac sanæ dubitationis modum tenere haud poterat, quam cum negatione confundebat quumque certitudinem sensuum tolleret, viam scepticismo aperiebat. en dubitationem Cartesianam: *facile quidem*, inquit, [1] *supponimus, nullum esse deum, nullum cælum, nulla corpora; nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique vllum corpus*, quæ non indicant dubitationem, sed negationem. nam primum dubitare decet de argumentis ac probationibus, quæ si firmæ sunt, absurdum est, de re ipsa du-

1 *princ. phil. part. I. §. 7.*

bitare, quod tum fieri poteſt ac debet, ſi deprehendimus, adhuc adlata argumenta nullum habere pondus nec vim quamdam probandi. nec iſta, quæ tradit de criterio veritatis, quod poſitum ſit in clara & diſtincta idea, recte ſeſe habent, quoniam neque ad exiſtentias rerum, quæ etiam ex idea confuſa probari poteſt, neque ad probabilitatem adplicandum eſt, vt taceamus de eo, quod conceperit obſcure claram ideam. namque dicit:[1] perceptionem *claram voco illam, quæ menti attendenti præſens & aperta eſt; ſicut ea clare a nobis videri dicimus, quæ oculo intuenti præſentia, ſatis fortiter & aperte illum mouent*; qua definitione explicat claram ideam mathematicam, quave omnes quoque ideæ fictæ ſunt claræ, quibus autem in philoſophia nullus eſt locus. ipſe ſæpius contra regulas artis bene cogitandi peccauit, ac quamuis de omnibus dubitandum eſſe exiſtimauerit; in doctrina tamen rerum naturæ maxime dubia poſuit, veluti vera & ſumme certa, quum optimo iure inſtituere potuiſſet dubitationem.

§. XVIII. CARTESII philoſophia adeoque etiam ipſius opiniones, quæ ad logicam pertinent, nactæ ſunt ſectatores, qui non ſolum eius diſſertationem de methodo ac meditationes; ſed & alia monimenta, præſertim principia philoſophiæ euoluerunt, ex illis præcepta collegerunt & iſta ad certum artis ordinem adcommodata vberius interpretati ſunt atque illuſtrarunt. alii ſtudia ſua contulerunt ad integram philoſophiæ doctrinam, ac ſimul cum reliquis diſciplinis tradiderunt logicam;

[1] *princip. part. I. §. 45.*

alii

alii vero ſpeciatim artem cogitandi explicandam ſibi propoſuerunt, quorum principes recenſere inſtituamus, vt qui progreſſus logicæ Carteſianæ fuerint, pateat. atqui huc pertinent

ANTONIVS LE GRAND, cuius *inſtitutio philoſophiæ ſecundum principia Renati des Cartes noua methodo adornata & explicata*, prodiit MDCLXXXIII. ac diuiſa eſt in decem partes, quarum prima continet logicam ad mentem Carteſii propoſitam. anno MDCCVIII. Vitembergæ prodiit *examen ſuccinctum artis recte cogitandi Antonii le Grand*, auctore M. IO. IACOBO FERBERO.

IO. CLAVBERGIVS, cuius opera omnia philoſophica cura IO. THEOD. SCHALBRVCHII Amſtelod. MDCXCI. 4. prodierunt. inter hæc extat quoque *logica vetus & noua, modum inueniendæ ac tradendæ veritatis in geneſi ſimul & analyſi facili methodo exhibens*; ac quidem ex tertia editione primæ partis, & ſecunda reliquarum, quæ lucem vidit anno MDCLVIII. huic acceſſere prolegomena de cauſſis errorum & imbecillitatum humanæ mentis & logica ipſa multis locis emendata fuit, cuius præfatione ſcribit: *meliorem fortaſſis logicam ſcripſiſſem, niſi veteris & nouæ coniunctionem hæc tempora poſtulaſſent.* diuidit CLAVBERGIVS logicam in partem *geneticam*, quæ mentem humanam ducat ad rectam geneſin cogitationum; & *analyticam*, quæ ducat ad analyſin cogitationum alienarum. vtramque iterum diuidit: *geneticam* in cogitantem,

quæ doceat, quomodo ipse homo quiduis rite debeat cognoscere; & *loquentem*, quæ dirigat hominem ad alios, vt cum illis de cogitationibus possit communicare; *analyticam* vero in *interpretantem* & *iudicantem*: confer CHRISTIANVM THOMASIVM.[1] hæc Claubergii logica in epitomen sub inscriptione: *logica contracta* redacta est, quæ etiam in operibus eius deprehenditur: nec non anno MDCLXXXVIII. prodiit in lucem: *Io. Claubergii specimen logicæ Cartesianæ seu modus philosophandi; vbi certa Cartesianorum veritatem inueniendi via ostenditur & in quibusdam nouæ introductionis in philosophiam aulicam veritas examinatur: studio Pauli Michaëlis Rhegenii.* quod scriptum cur dicatur: *Claubergii specimen logicæ Cartesianæ*, non patet, quum neque Claubergius ipsius sit auctor, nec illius præcepta in breuius compendium contracta exhibeat. ceterum contra illustris THOMASII *introductionem in philosophiam aulicam* disputatur, cui censuræ autem THOMASIVS solide respondit ac satisfecit.[2]

PETRVS SYLVANVS REGIS, cuius *cursus integer philosophicus siue systema generale secundum principia Cartesii, continens doctrinam logicam, metaphysicam, physicam & moralem* prodiit Amstelodami ad exemplum Parisinum MDCXCI. 4. constans tribus tomis. in logica ordinem sequitur, qui ad quatuor mentis operationes accommodatus est, quales sunt perceptio, iudi-

1 *Phil. aulic. cap. III. §. 25.* 2 *Praef. der Einleitung zur Vernunfft-Lehre.*

cium,

tium, ratiocinatio ac methodus, atque existimat, partem hanc doctrinæ philosophicæ AVCTOREM *artis cogitandi* tam solide tradidisse, vt nulla accessio momenti cuiusdam fieri possit.

AVCTOR *artis cogitandi*, quod opus primum prodiit lingua gallica hac inscriptione: *la logique ou l'art de penser: contenant outre les regles communes, plusieurs obseruations nouuelles, propres a former le iugement*, ex editione secunda Parisiis MDCLXIIII. 12. quam plures aliæ editiones lingua hac subsecutæ sunt, & iam accessionibus auctæ. posthac vero logica hæc translata est in sermonem latinum a variis, cuiusmodi versio edita est Trai. ad Rhenum MDCLXVI. hoc titulo: *logica siue ars dirigendi cogitationes, continens præter regulas vulgares plurima noua, quæ iudicio formando inseruiunt, ex gallico traducta per* CORNELIVM a ACKERSDYCK. sed istam *valde mendosam esse*, obseruat VINCENTIVS PLACCIVS; [1] ac omnino probabile est, quod ex priori gallica editione minus perfecta fuerit translata. præter hanc adhuc aliæ sunt ornatæ editiones latine, Lond. MDCLXXIV. Lugduni Batauor. MDCXCIV. MDCCII. Amstelodam. MDCCVIII. ex quibus, vt de pluribus aliis taceamus, inprimis commemoramus versionem latinam, quæ Halæ Magdeburgicæ anno MDCCIIII. & MDCCXVIII. prodiit. auctor illius est IO. CONRAD BRAVN, quæ prioribus

1 *theatro anonym. p.* 603.

multum

multum præstat, quoniam accessiones editionum gallicarum, in versionibus illis latinis omissæ heic quoque latine sunt additæ. de auctore libri huius disputatum est multum. plerumque Messieurs du PORT ROYAL dicuntur, opus hoc composuisse; quis autem speciatim heic industriam suam locauerit, id non satis apertum est. alii existimarunt, auctorem logicæ illius esse de TRIGNY, cui debemus *grammaticam generalem*; alii vero putant, opus hoc vindicandum esse ANTONIO ARNALDO, vt illustris LEIBNIZIVS litteris ad PLACCIVM conscriptis significauit, quod & publice professus est præfatione ad NIZOLII *antibarbarum*. [1] sunt quoque, qui auctorem libri esse le BON, item NICOLE credunt; in qua sententiarum diuersitate multi nihil definiunt, ac nonnulli obseruant, eum fuisse ex Iansenii discipulis, romanæ ecclesiæ sacris imbutum ac voluisse religionis, quam fuerit secutus, vestigia hoc ipso in libro exstare. præmissæ sunt libro ipsi duæ dissertationes, quarum altera *nouæ huius logicæ conscribendæ consilium explicatur*; altera vero *iis obiectionibus occurritur*, *quæ contra hanc logicam factæ sunt*. pro diuersis mentis operationibus diuersas logicæ huius partes constituit, quumue illarum præcipue commemoret *apprehensionem*, *iudicium*, *discursum* & *dispositionem*, in quatuor quoque partes librum hunc diuisit, quarum *prima* proponitur doctrina de ideis; *secunda* de iudiciis & propositionibus; *tertia* de

1 *pag.* 27.

discur-

discursu & ratiocinatione & *quarta* de methodo. nec negari potest, quod scriptor multa vtilia præcepta dederit, & in magnis tenebris, quibus ars hæc oppressa erat, clarum adtulerit lumen, quibus de caussis etiam non mediocri ornatus est laude. PETRVS BAELIVS [1] adpellat auctorem hunc *vn très grand maitre dans l'art du raisonnement*; DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [2] dicit: *quisquis ille* (auctor huius logicæ) *sit, vir sane doctissimus fuit, plusque ingenii & iudicii ad hanc rem attulit, quam ceteri nouatores omnes*; GEORGIVS PASCHIVS [3] nominat librum hunc *egregium tractatum*, cuius auctorem NICOLE esse censet. præter hos IO. FRANCISCVS BVDDEVS [4] egregie quoque de hoc scriptore sentit, quando dicit: *procul ab horum errore abest auctor artis cogitandi, qui vbique in omnibus doctrinæ partibus, in omni vitæ genere consectari verum, fugere errorem, & præceptis & exemplis egregie condocet*: & paullo post: *sed vt cetera in compendium mittam, laudandum maximopere auctorem censeo, quod tam sollicite vtilia ab inutilibus, a superuacuis necessaria discernendo, exemplis selectis, iucundis, aptissimis præcepta illustranda, vsui certissimo cuncta accommodando, summa perspicuitate rebus cetera quodammodo obscuris lucem & claritatem affundendo, veri philosophi & prudentis pariter viri nomen impleuerit. nec præter-*

1 *Repons aux quest. d' vn Prouinc. t. II. p. 293.* 2 *polyh. tom. II. lib. V. §. 3.* 3 *de inuentis nou-antiq. p. 35.* 4 *præfat. ad artem cogitand.*

mitten-

mittendum, quod ad ipsam naturam subinde cogitandi modos reuocando, longe felicius ostenderit, quae sit ratio a recto prauum secernendi, quam ab vllo huc vsque factum. CHRISTIANVS THOMASIVS [1] iudicat, eo nomine auctorem hunc logicae cultoribus commendandum esse, quod doctrinam de ideis proposuerit distincte & morbos intellectus, id est praeiudicatas opiniones indicauerit. ceterum quamuis praeclare in hoc instituto sit versatus; ipsi tamen operi non ita satisfecit, vt omnia essent perfecta nec quidquam posset desiderari. Cartesii sectator fuit, quo studio occupatus multa retinuit, quae a veritate sunt aliena, quum exempli caussa neget, quod omnes ideae oriantur a sensione. nec discrimen inter ratiocinationem mathematicam & philosophicam obseruauit, multisque exemplis mathematicis, quae frequentiora adhibuit, obscuriora interdum reddidit praecepta. multi id in eo reprehendunt, quod nimium studium posuerit in multiplicandis figuris syllogismorum, quam censuram non magni esse momenti, censemus. quodsi enim auctor veram indolem ratiocinationis tradidisset, & ad illam figuras ac modos syllogismorum legitima ratione adcommodasset; haec momenta omnino potuissent suppeditare varios modos ex principiis efficiendi conclusiones; at vero reipsa multis parauit viam, qua posthac cultum disciplinae huius effecerunt meliorem. IO. SPERLETTE [2] iudi-

1 *Cautel. circ. prat. iurispr. cap. X. §. 9.*
2 *logic. nou. pag. 12.*

iudicat, quod IO. CLERICVS & PETRVS SYLVANVS REGIS, ille latino, hic gallico ſermone logicas ſuas ex hoc auctore conſcripſerint, vt ipſi, quidquid boni in illis deprehendatur, acceptum referendum ſit.

ARNOLDVS GEVLINCX, qui edidit *logicam fundamentis ſuis, a quibus hactenus collapſa fuerat, reſtitutam*, Amſtelodam. MDCXCVIII. 12. quae logica in quatuor partes diuiſa eſt, quarum *prima* agit de affirmatione & negatione deque affectionibus terminorum; *ſecunda* de enunciationibus earumque affectionibus; *tertia* de argumentis & *quarta* de inſtrumentis logicis.

REGNERVS A MANSVELT, cui debemus *rectae ratiocinationis elementa*, quae prodierunt Lipſiae & Coburgi MDCXCIX. 12. pars *prima* tractat de diſtincta cognitione eiusdemque expreſſione; *ſecunda* de iudicio; *tertia* de diſcurſu & *quarta* de methodo, qui liber conſcriptus eſt per quaeſtiones & reſponſiones.

NICOLAVS MALEBRANCHIVS, cuius libri *de la recherché de la verité* omnibus, qui vel leuiore induſtria philoſophiam eiusque hiſtoriam coluerunt, noti ſunt. anno MDCLXXIII. edidit primum volumen huius operis, quod anno MDCLXXIIII. ſecundum & tertium ſequebatur. variae ſunt editiones operis huius, ſiquidem prodiit Amſtelodami MDCLXXXVIII. item Pariſiis MDCC, quae editio quinta; & ſexta Pariſiis MDCCXII. quatuor voluminibus 12.

quae

quæ poſtrema omnium optima iudicatur. celeberrimus L'ENFANT opus hoc in latinum ſermonem tranſtulit. complectitur ſex libros, quorum *primus* de erroribus ſenſuum; *ſecundus* de imaginatione, *tertius* de intellectu puro; *quartus* de propenſionibus; *quintus* de affectibus animæ & *ſextus* de methodo agit. quibus omnibus expoſitis, additæ ſunt quædam illuſtrationes & reſponſiones ad propoſita dubia, quæ continentur tomo tertio. IO. GEORGIVS PRITIVS ſcripſit diſſertationem de *Malebranchii enthuſiaſmo*; alias autem controverſias, quæ inprimis inter ipſum & ARNALDVM agitatæ fuerunt, infra hiſtoriam doctrinæ de ideis explanaturi commemorabimus. atqui hæc ſufficiant de logicis Carteſianorum; quibus adhuc LVDOVICVS de la FORGE, PETRVS IENS aliique addi poſſunt.

§. XVIIII. Nos conuertimus ad virum magni ingenii PETRVM GASSENDVM, cuius merita in artem logicæ non mediocria ſunt. ſcripſit primum opus de *origine & varietate logicæ*, quo hiſtoriam diſciplinæ huius a prima ipſius ætate vsque ad CARTESII tempora diligenter perſecutus eſt; quod ſequitur liber de *logicæ fine*, quo exponit criteria veritatis atque ex antiquis monimentis illuſtrat hiſtoriam ſcepticiſmi. præter hos libros ipſi quoque debemus *inſtitutiones logicas*, diuiſas in quatuor partes, iuxta vulgarem methodum, quarum prima differit de *ſimplici rerum imaginatione*; ſecunda de *propoſitione*; tertia de *ſyllogiſmo* & quarta de *methodo*, quæ tractandi

ratio

ratio a multis obſeruata eſt, qui perſuaſerunt ſibi, quod ad methodum peculiaris intellectus humani facultas ſit neceſſaria. ſectator fuit EPICVRI, ad cuius imitationem canones quoque poſuit, iisque ea, quæ videbantur vtilia præcepta logicæ, breuiter explanauit. at vero longe grauiora ſunt merita, quæ in ſalutem artis huius contulit, quum contra ARISTOTELEM eiusque aſſeclas & aduerſus CARTESIVM diſputauerit grauiſſime, atque illorum errores confutauerit feliciter, quo factum eſt, vt multi, qui auctoritate horum virorum capti, facile a via veritatis potuiſſent aberrare, accuratius in res ipſas atque earum momenta inquirere inſtituerint. ſæpius enim accidit, vt quis in refutandis aliorum opinionibus erroneis multo felicior exſiſtat, quam in excogitandis ſuo ſtudio veritatibus, ac illarum dignitate ſtabilienda, quum heic interdum affectus cum iudicio ſeſe coniungant. edidit autem GASSENDVS *exercitationes paradoxicas aduerſus Ariſtoteleos*, quibus integram Ariſtotelis philoſophiam cenſuræ ſubmittit, non inſtituto vulgari, quum tantum peculiares philoſophi huius ſententias examinent, nulla ratione habita principiorum, per quæ doctrinæ eius inter ſe cohærent. etenim libro primo inquirit in doctrinam Ariſtoteleorum vniuerſe & oſtendit exercitatione

I. quod homines Ariſtotelei ex germana philoſophia ſophiſticen effecerint:

II. quod immerito Ariſtotelei libertatem ſibi philoſophandi ademerint.

III. quod rationes nullæ ſint, quibus ſecta Ariſtotelis videri poteſt præferenda.

Tt *IIII. quod*

IIII. quod maxima ſit incertitudo librorum doctrinæque Ariſtoteleæ.

V. quod apud Ariſtotelem innumera deficiant.

VI. quod apud Ariſtotelem innumera ſuperfluant.

VII. quod apud Ariſtotelem innumera fallant.

VIII. quod apud Ariſtotelem innumera contradicant.

libro autem ſecundo ſingulari ſtudio PETRVS GASSENDVS examinat dialecticam Ariſtoteleorum ac demonſtrat exercitatione

I. quod nulla ſit neceſſitas vtilitaſque dialecticæ.

II. quod in vniuerſalibus ſeu prædicabilibus tradendis varie peccetur.

III. quod inepte categoriæ, vt rerum claſſes diſtinguentur.

IIII. quod futiliter multa proponantur de propoſitionibus.

V. quod demonſtratio non exſtet, qualis vulgo depingitur.

VI. quod nulla ſit ſcientia & maxime Ariſtotelea.

atqui hac ratione opus hoc contra Ariſtotelem & eius ſectatores tam ſolide & erudite perſecutus eſt, vt ingenii magnitudinem GASSENDI, quæ in eo conſpicua eſt, nunquam ſatis admirari poſſimus, ac omnino fateri debeamus, neminem præter GASSENDVM tam grauiter atque accurate aduerſus Ariſtotelem diſputaſſe. optandum eſſet, vt opus hoc eo conſilio atque inſtituto, quod propoſitum ſibi habebat GASSENDVS, fuiſſet perductum ad finem.

finem. namque ipsi erat animus, septem libros aduersus Aristotelem eiusque cultores scribere, ac libris tertio, quarto & quinto philosophi huius physicam; sexto metaphysicam & septimo doctrinam moralem accuratius examinare. at vero caussa, cur haud propositum fuerit exsecutus his verbis extremo libri secundi additis indicatur: *si quaeras, beneuole lector, cur haec exercitatio ad vmbilicum perducta non fuerit, curue libri quinque ceteri, quorum praefatio spem facit, non sequantur, scito, commonefactum ab amicis auctorem, stomachari non parum Peripateticos, propter prioris libri editionem, idemque fere argumentum a Francisco Patricio in Peripateticis suis disquisitionibus, quarum tunc primum copia ipsi facta, prius pertractatum; hunc secundum librum vlterius persequi, & absoluere noluisse, ipsumque, ne delibatis quidem aliis, in musaeoli sui recessum cum blattis & tineis pugnantem ab anno MDCXXIV. qualem iam habes, abiecisse atque neglexisse.* DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [1] de his libris minus bene sentit, quum dicat: *meras sane cauillationes in exercitationibus illis deprehendas, dum vel methodum incusat, vel contradictiones aliquas venatur, qualia sunt repertu facillima in omnibus scriptoribus*; atque obseruat, quod MICHAEL WATSONIVS, quondam professor academiae Kiloniensis reliquerit manu exaratum *apologeticum pro Aristotele* aduersus has exercitationes. sed tamen quid mirum, quod illi, qui auctoritate Aristotelica adhuc capti

1 *Polyh. tom. II. lib. I. cap. 12. §. 3.*

sunt, GASSENDO, quum tanto philosopho bellum indixerit, eiusque existimationi minus faueant? prodierunt hæ exercitationes seorsim, ac quidem earum liber primus MDCXLIX. 8. & anno MDCLVI. Hag. Comitum; liber vero secundus MDCLIX. 4. etiam inter opera GASSENDI edita Lugduni MDCLVIII. in sex tomos diuisa, quorum tomo tertio p. 95--210. hæ exercitationes exstant. idem iudicii acumen quoque prodidit GASSENDVS in disputationibus contra CARTESIVM, cuius *disquisitio metaphysica* opus plane consummatæ eruditionis, quæ in philosophum cadere potest, esse censemus. ipsi adiungimus THOMAM HOBBESIVM, qui etiam composuit logicam sub inscriptione *computationem*, quippe quæ extat inter opera ipsius edita Amstelodami MDCLXVIII. 4. continet logica hæc sex capita, quorum primo differitur de *philosophiæ ipsius fine*, *vtilitate*, *subiecto*, *partibus*; secundo de *vocabulis*; tertio de *propositione*; quarto de *syllogismo*; quinto de *erratione*, *falsitate & captionibus* & sexto de *methodo*, quæ omnia proponuntur breuiter, nec singularis sunt dignitatis. tandem heic mentionem facimus THOMAE CAMPANELLAE, qui quum seruitutem Aristotelicam ferre non posset, factum est, vt de Aristotelis doctrina dubitare, ipsum philosophum & interpretes eius adgredi atque alia via ad veram philosophiæ cognitionem peruenire instituerit, quam in rem ipse testatur: [1] *quum doctores meis argumentis satisfacere non pos-*

[1] *De libris propriis cap. I. art. I.*

 sent,

ſent, quæ contra ipſorum lectiones promebam; ſtatui ipſe libros omnes percurrere Platonis, Plinii, Galeni, Stoicorum & Democriticorum, præcipue vero Teleſianos ac cum mundi codice primario conferre, vt ex originali & autographo, quid veri exemplaria habent, & quid falſi, agnoſcerem. edidit *philoſophiam rationalem* quatuor partibus, quibus deinde quoque quintam addidit, hisque tradidit *logicam, rhetoricam, poëticam, hiſtoriographiam* & *grammaticam.* logicæ tres partes conſtituit *definitiuam, enunciatiuam* & *argumentatiuam*, ac plura diſſeruit ſubtili ratione, pro ingenii indole, quam vera atque vtilia.

§.XX. Fuerunt quoque, qui præcepta ex principiis mathematicis deduxerunt, iſtaque exemplis ad matheſin ſpectantibus illuſtrarunt, in eam adducti opinionem, quod matheſis optima atque promptiſſima remedia ad colendum intellectum humanum eumque ad veritatis cognitionem aptum reddendum adferat. atqui certo modo locum heic merito tenent CARTESIVS & eius ſectatoreos, de quibus bene dicit IO. FRANCISCVS BVDDEVS: [1] *ſed quia Carteſius in phyſica fere tantum, non autem in reliquis doctrinæ partibus emendandis ingenii ſui vires periclitari voluit, diſcipuli eius magiſtri exemplo ceterarum fere rerum rudes & imperiti tantum ad naturalem doctrinam atque matheſin (modo & ad hanc) animum adiecerunt: parumque abfuit, quin & ipſi in eam ingrederentur ſententiam & alios inducerent, has demum doctrinæ partes dignas*

1 *Præf. ad artem cogitandi.*

esse, in quibus veri & falsi confinium discerneretur. præter hos heic pertinent:

ERHARDVS WEIGELIVS, cuius opera prodiit *analysis Aristotelica ex Euclide restituta, genuinum sciendi modum & natiuam restauratæ philosophiæ faciem per omnes disciplinas & facultates ichnographice depingens*, Ien. MDCLVIII. 4. quod opus diuisum est in tres sectiones, quarum prima agit de *definitione & subiecto demonstrationis*; secunda de *principiis demonstratiuis* & tertia de *praxi demonstratiua*, quæ complectitur duo membra, quorum alterum de *praxi demonstrationum simplicium*; alterum vero de *praxi demonstrationum coniunctarum* differit.

EHRENFRIED WALTHER a TSCHIRNHAVS, cuius studio prodiit *medicina mentis* cum medicina corporis Amstelædami MDCLXXXVII. & Lipsiæ MDCXCV. quæ posterior editio priore auctior est. illustri auctori fuit propositum, tradere scientiam generalem, qua quis probe instructus omne incognitum, quod assequi potest suis viribus intellectus humanus, certa & constanti methodo inueniat. quam scientiam genuinam esse philosophiam censet, cuius munus sit, non solum mortalium morbos & animæ & corporis ostendere; sed & illis adhibere remedia. prima parte demonstrare elaborat, quod in studio cognoscendæ veritatis posita sit omnium maxima hominum felicitas; parte secunda vero tradit ipsam methodum veritatem inuestigandi, his innixam fundamentis, quorum certitudinem quis-

quisque in se ipso per experientiam possit explorare; 1) *se variarum rerum conscium esse*, quod principium primum & generale nostrae cognitionis sit; 2) *se bene a quibusdam, a quibusdam male affici*, quod principium sit cognitionis boni & mali; 3) *quaedam a se posse concipi*, siue cogitatione adprehendi; *quaedam autem a se nullo modo posse concipi*, quod principium sit primum verum a falso discernendi; 4) *se varia sensuum externorum itemque imaginum internarum & passionum ope aduertere*, quod principium sit primum, vnde omnia, quae experientiae debeamus, emanent. quibus expositis, fuse tradit methodum mathematicam, etiam adtingit impedimenta, quae inquisitionem veritatis perturbant, ac tandem parte tertia commendat studia matheseos & physicae. cuiusmodi summam, quamuis copiosius libri huius exhibent AVCTORES *actorum eruditorum* [1] & DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS. [2] censor ipsius extitit isque grauissimus illustris CHRISTIANVS THOMASIVS, [3] quamuis ingenue fateatur, quod liber hic effecerit occasionem, accuratius de cognitione veritatis acquirenda meditandi. id inprimis in TSCHIRNHAVSIO reprehendit ANDREAS RVDIGER, [4] quod ratiocinationem mathematicam perturbauerit cum philosophica, atque existimauerit per integrum librum erronea opinione, quod veritas philosophica

1 *Ann. 1695. p. 230.* 2 *polyh. litter. lib. II. cap. 7. §. 25.* 3 *in Monats-Gespr. 1688., mens. mart.* 4 *de sensu veri & falsi lib. II. c. 4. §. 7. sqq.*

eodem modo cognoſcatur ac mathematica. atqui hoc eſt princeps momentum, quo integrum opus nititur.

GOTTFRIED GVILIELMVS LEIBNIZIVS, cuius obſeruatio de *cognitione, veritate & ideis* deprehenditur *actis eruditorum.* [1] exiſtimat hic illuſtris vir, quod cognitio ſit vel obſcura vel clara; clara vel confuſa vel diſtincta; diſtincta vel inadæquata vel adæquata; item vel ſymbolica, vel intuitiua. *obſcura* ſit notio, quæ non ſufficiat ad rem repræſentatam agnoſcendam; *clara* vero, quum habeam, vnde rem repræſentatam agnoſcere poſſim, quæ rurſus ſit vel confuſa, vel diſtincta. *confuſa*, quum non poſſim notas ad rem ab aliis diſcernendam ſufficientes ſeparatim enumerare, licet res illa tales notas atque requiſita reuera habeat, in quæ notio eius reſolui poſſit: ita colores, odores, ſapores aliaque peculiaria ſenſuum obiecta ſatis clare quidem agnoſcamus & a ſe inuicem diſcernamus, ſed ſimplici ſenſuum teſtimonio, non vero notis enuntiabilibus. at *diſtincta notio* ſit, qualem de auro habeant docimaſtæ, per notas ſcilicet & examina ſufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus ſimilibus diſcernendam. in notionibus autem compoſitis, quia rurſus notæ ſingulæ componentes interdum clare quidem; ſed tamen confuſe cognitæ ſunt, vt grauitas, color, aqua fortis aliaque, quæ auri notas ingrediantur, hinc talis cognitio auri licet diſtincta ſit, *inadæquata* ſit tamen. cum vero id omne, quod notitiam diſtin-

1 *An.* 1684. *p.* 537.

ctam

ctam ingrediatur, rursus distincte cognitum sit, seu cum analysis ad finem vsque producta habeatur, cognitio sit *adaequata*. hisce traditis iudicat LEIBNITZIVS de dignitate argumenti pro existentia dei ab ipsius idea deducti, etiam extremo attingit controuersiam: num omnia videamus in deo?

CHRISTIANVS WOLFFIVS, celeberrimus Halensium mathematicus, qui an. MDCCXIII. lingua teutonica edidit logicam hac inscriptione: *vernünfftige Gedancken von den Kraefften des menschlichen verstands vnd ihrem richtigen Gebrauche in Erkaentnis der wahrheit*. opus hoc, quod plane mathematicis principiis superstructum est, continet capita quinque & decem, quorum primum disserit de *ideis*; secundum de *vsu vocum*; tertium de *propositionibus*; quartum de *experientia*; quintum de *inuentione propositionum ex definitionibus*; sextum de *ratiocinatione*; septimum de *scientia*, *fide*, *opinionibus & erroribus*; octauum de *explorandis & propriis & aliorum facultatibus intellectus*, num sufficiant ad veritatem eruendam; nonum de *diiudicandis & suis & aliorum inuentionibus*; decimum de *scriptis diiudicandis*, quae & alia capita de ratione cum fructu libros legendi, de interpretatione scripturarum diuinarum; de arte disputandi, cetera, subsequuntur.

atqui multi tantam dignitatem habuerunt mathesi, ac speciatim geometriae & algebrae, vt in eam ingressi sint sententiam, quod disciplinae hae promtissima remedia ad intellectum perficiendum adferant; ita vt per studium hoc ad

conceptus mentis, qui cum rebus materiæ nihil habeant commune, formandos apte ac digne fingeretur. ad hæc pleniore animi consensione sibi persuadent, quod ratio cognoscendi veritates a mathematicis obseruata tam præclare se habeat, vt præcepta logicæ, quæ ex fonte matheseos hauriantur, maxime sint solida ac firma. varii quidem fuerunt, qui mathematicis nonnulla opposuerunt, ex quibus posset cognosci, quod eorum methodus non plane consummatæ perfectionis sit, nec ita comparata, vt ad omnia veritatum genera, in quibus cognoscendis noster intellectus versatur, possit adplicari, quo spectant HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA, [1] BACO de VERVLAMIO, [2] IO. CLERICVS, [3] & ipse AVCTOR *artis cogitandi*, [4] quorum adcusationes ac dubia remouere; matheseos autem dignitatem tueri, instituit IO. FRIDERICVS WEIDLERVS. [5] inter recentissimos, qui contra matheseos insignem auctoritatem ac vniversalem vtilitatem, quam multi produnt, disputarunt, est illustris CHRISTIANVS THOMASIVS; [6] & IO. FRANCISCVS BVDDEVS [7] hac de re ita iudicat: *at quod per mathesin intellectum tam insigniter perfici, vt ad eam solam tandem res redeat, dicunt, id vero cum grano salis accipiendum puto. non abnuo, posse algebræ & geometriæ studio ita subigi velut ingenia, vt per illud ad conceptus quosdam sublimiores & cum rebus corporeis nihil commune habentes, formandos longe reddantur*

1 *de vanitate scientiarum cap. XI.* 2 *de dignitate & augmentis scientiarum lib. III. cap. 6.* 3 *logic. part. III. c. 12.* 4 *part. IIII. cap. 4. seqq.* 5 *in disput. de vindiciis mathematum.* 6 *cautel. circa præcogn. iurispr. c. XI.* 7 *præfat. artis cogitandi.*

promtio-

promtiora. hoc autem, si recte ponamus calculum, quantumcunque est, non tam algebrae aut geometriae, quam exercitationi est tribuendum, mirificeque meam confirmat sententiam, exercitationem vtramque in rationali philosophia facere paginam. nemo autem grauius aduersus methodum mathematicam disputavit, quam ANDREAS RVDIGER, quippe qui obseruauit, mathesin & philosophiam diversas esse disciplinas, ita vt in his diuersa quoque ratio veritates cognoscendi locum teneat, & alia sit veritas mathematica; alia philosophica, hincque duplex esse debeat logica, alia mathematica; alia philosophica, cuius diuersitatis fundamentum deducit inprimis a diuerso obiecto matheseos & philosophiae. alii heic monent, quod controuersia haec facile possit componi, si modo ratio methodi mathematicae recte intelligatur. nam ista haud diiudicanda sit ex obiecto matheseos, quasi tantum propria sit rebus quantitatum; sed sit methodus quaedam generalis inueniendi veritatem, quae ad varia obiecta possit adplicari, ac pro diuersitate obiectorum diuersa ratione debeat adcommodari, vt adeo adpellatio, quod dicatur *mathematica*, non ab ipsa mathesi eiusque obiecto; sed vsu ipsius frequentiori apud mathematicos sit deriuanda.

§. XXI. Peruenimus ad IO. LOCKIVM, summum logicae auctorem, quippe qui insignem existimationem ac dignitatem comparauit sibi, ex quo opus de *intellectu humano* in incrementa artis cogitandi publico tradidit vsui. nobis largissima esset copia, de libro hoc disserendi, atque ex monimentis historiae litte-

litterariis fata eius commemorandi verbosius; nisi tale institutum a proposita dissertationis nostræ ratione alienum esse iudicaremus, etiam clarissimus IO. GOTTLIEB KRAVSIVS[1] argumentum vberius explicandum illustrandumque sibi elegisset. quapropter id tantum obseruamus, quod LOCKIVS, antequam ipsum opus in publicam emitteret lucem, recensionem illius fecerit, istamque ope IO. CLERICI in gallicum sermonem transferendam & *bibliotheca vniuersali*, diario gallico[2] edendam curauerit. quod quum factum esset, anno MDCXC. ipse liber prodiit Londini in fol. sub hac inscriptione: *an essay concerning humane vnderstanding, in four Books*, id est, *tentamen circa cognitionem humanam, quatuor libris comprehensum.* quid autem occasionem dederit, talem librum conscribendi atque accuratius vires intellectus humani explorandi, ipse indicat præfatione his verbis: *si tibi exponere haud ridiculum esset, quid tentamini huic scribendo occasionem primum dederit, dicerem equidem quinque aut sex amicos meum apud museum conuenientes, & rem tractantes huic valde absimilem, in difficiles se nodos incidisse. statim deprehenderunt, quos soluere neutiquam poterant. cum nos post multum super ea re & perplexum valde sermonem implicati adhuc erroribus essemus, in cogitationem hanc incidi (quam cum iis statim communicaui) rectam nos haud methodum inuenisse; verum oportuisse, vt priusquam eiusmodi disputationes ingrederemur, vires expenderemus animorum*

1 *in Bucher-histor. t. I. p. 1. & tom. II. p. 206.* 2 *tom. VIII. p. 49. seqq.*

nostro-

nostrorum & videremus, quibus disquisitionibus pares, quibus impares sint. annuere omnes & inter nos conuentum est, vt prima haec inquisitio esset. praepropera quaedam & incomposita cogitata, quorum argumentum nouum prorsus erat, & quae in proximum nostrum conuentum scriptis ego tradidi, tentamini huic ortum dedere: quod casu hoc modo inceptum aliorum rogatu, horis subseciuis carptim & per interualla in maius auxi & tandem solitudinem nactus, quam incommoda valetudo desiderauit, ad eam, qua nunc est, molem redegi. cuius primae editionis exempla breui temporis spatio distrahebantur, ita vt LOCKIVS de noua sollicitum esse necesse haberet, quae etiam auctior atque emendatior anno MDCXCIIII. prodiit, siquidem nouum caput de *identitate & diuersitate* adiiciebat. anno MDCXCV. tertia editio facta est nullis accessionibus aucta, quibus autem quarta MDCXCIX. ornata fuit atque amplificata, dum caput XXXIII. libri secundi de *idearum consociatione*; & caput XVIIII. libri quarti de *enthusiasmo* addidit. atqui hae sunt editiones, quibus ornandis ipse LOCKIVS operam dedit. at vero post fata illius vltima, quae anno reparatae salutis nostrae MDCCIIII. euenerunt, quinta editio obseruationibus quibusdam, quas manu sua LOCKIVS adnotaverat, illustrata anno MDCCVI. in lucem emissa est publicam, quumue MDCCXIIII. omnia monimenta LOCKII cura & studio KINGII, cui *historiam symboli apostolici* debemus, collecta & coniuncta ederentur, opus hoc de *intellectu humano* primum obtinuit locum. praeter has multiplices editiones libri

huius

huius institutæ quoque sunt versiones, ex quibus haud obscure possumus colligere, quantam dignitatem ac quantum pretium operi huic habuerint philosophiæ cultores. sic PETER COSTE id in gallicum sermonem transtulit, quo labore functus est, singulari fide atque ingenio rerum philosophicarum maxime perito, quam versionem, quæ Amstelædami MDCC. prodiit, vel eo nomine magnifacere decet, quod istam LOCKIVS, antequam publico vsui tradebatur, curatius perlustrauit ac effecit, vt omnia bene ac recte exponerentur. opus autem latinæ versionis tardius, quam multi optabant, prodibat in publicum aliorum conspectum, id quod ex penuria magna illorum eueniebat, qui & philosophiæ litteris satis culti, LOCKII opiniones accurate adsequi, easque recte intellectas latine eleganter ac bene poterant exprimere. tandem vero spes adfulgebat, fore vt exspectatio diuturni desiderii, quo multi tenebantur, expleatur, quum BVRRIDGE operæ huic admoueret manus, ac versionem latinam anno MDCCI. orbi traderet erudito, hac inscriptione: *de intellectu humano. in quatuor libris. auctore IO. LOCKIO, armigero. editio quarta aucta & emendata & nunc primum latine reddita*, Londini MDCCI. fol. quæ versio latina multo inferior est gallica, siquidem auctor interdum ab opinione LOCKII aberrauit, multaque dixit obscure, quæ facile potuissent emendari, si LOCKIVS eadem industria, quam in gallicam contulit, hanc latinam voluisset perlegere. iuxta hoc exemplum noua editio Lipsiæ MDCCIX. 8. facta est, quæ a vitiis operarum

in

in exemplo Londinensi occurrentibus summo studio purgata quidem traditur; sed multis aliis erratis iisque nouis corrupta prodiit. quum autem nonnulli existimarent, consultum esse, opus hoc LOCKII in breuius contrahere ac redigere, in illorum præcipue gratiam, quibus id integrum perlegendi, haud data sit facultas; WYNNE compendium ornauit atque anno MDCXCVI. edidit, quippe quod BOSSET gallice reddidit tanta industria ac fide, vt in versione hac nihil possit desiderari. ipsum opus LOCKII de *intellectu humano* quatuor absoluitur libris, quorum *primo* ostendit LOCKIVS, quod nulla principia nobis naturæ munere innata sint; *secundo* agit de idearum origine, natura, variis speciebus; *tertio* de orto ex ideis sermone, vocum, terminorumque proprietate & affectionibus; *quarto* de cognitione humana, diuersis eius gradibus, de veritate, probabilitate, ratione, fide & aliis argumentis, quæ huc pertinent. non est, quod momenta libri huius copiose recenseamus aut ipsius dignitatem multum prædicemus, quoniam vtrumque cultoribus philosophiæ genuinæ haud obscurum esse potest. ex quo LOCKIVS fetum hunc ingenii exclusit, multi omnino iique grauissimi viri inde collegerunt merito; ipsum hominem esse maxime acutum, ac iudicarunt, egregia eum dixisse, quibus doctrina hæc de intellectu humano præclare augeatur, ornetur ac in maius meliusque promoueatur. nec negari potest, si rem ipsam inspiciamus penitus, illum de ratione intellectus nostri, ipsius viribus, variis cogitandi modis disputasse grauiter ac meditationibus,

nibus, nulla aliorum auctoritate captum ſcrutatum fuiſſe ſummo labore argumenta hæc. at vero non omnia plane perfecta ſunt, quæ præſtitit LOCKIVS, ac ſiue res ipſas, ſiue tractandi rationem reſpiciamus, deprehendimus, quæ emendari ac meliora fieri poſſunt. nam quod ad res ipſas adtinet, ea, quæ tradidit, nimis ſunt generalia & a vero logicæ fine longe abſunt, qui quo ſpecialiora ſunt præcepta, eo facilius poteſt obtineri, id quod ſaltim ex hoc intelligi poteſt, quod de variis modis ratiocinandi, deque variis probabilitatis ſpeciebus nihil præceperit. adhæc multa argumenta perſecutus eſt copioſe, quæ non ſingularem vim ad veritatem cognoſcendum adferunt, vt de ipſius opinione, de principiis innatis ac de diſcrimine inter intellectum & voluntatem, item de libertate voluntatis taceamus, quæ quam ſana ſit ac veritati conſentanea, iam alii eruditiſſimi viri expoſuerunt. nec modus, quem in explanandis argumentis hiiſce obſeruauit, vitiis caret, dum partim multa, quæ iam dicta fuerant, repetiit, eaque, quæ breuiter dicenda, verboſe propoſuit, id quod lectoribus efficit tædia; partim vero præcepta haud illuſtrauit per clara exempla, horumque neglectu iſta reliquit obſcuriora. ſed tantum abeſt, vt iniquus cenſor LOCKII exſiſtam, vt ipſius merita, quæ nunquam ſatis mirari ac laudare poſſumus, prout decet, magnifaciam. quapropter talis cenſura per ſtudium veritatis ſemper obſeruandæ inſtituitur, ita vt modeſtiæ rationem habeamus, nec virum quemdam, qui tam præclara, tam vtilia effecit, perſtringamus, ſed potius propter ingenii humani

indolem,

indolem, quod nihil consummatæ & perfectæ virtutis producere potest, excusemus. in *opusculis posthumis* LOCKII reperitur quoque scriptum quoddam huius inscriptionis: *recueil de remarques touchant la conduite de l'esprit, dans la recherche de la verité.*

§. XXII. Ex quo CARTESII sectatores, ac præcipue AVCTOR *artis cogitandi* ac IO. LOCKIVS, qui CARTESIVM haud secutus est, disciplinæ logicæ emendandæ atque ornandæ operam dederunt, magnus omnino illorum prouentus extitit, qui compendia logicarum scripserunt, ea, quæ ab illis bene erant tradita, retinuerunt, nouis auxerunt accessionibus ac diuersis proposuerunt modis. minus nobis est propositum, omnes huiusmodi scriptores recensere; sed tantum partim principes eorum, partim recentissimos commemorare. atqui huc pertinent

CHHRISTIANVS WEISIVS, qui præter monimenta artis oratoriæ, libros quoque philosophiæ composuit & in illis varia scripta logica, cuiusmodi sunt dissertationes de *curiosis logicis*, Zittau. MDCLXXVIII. item de *logica nobilium & politicorum*, ibid. MDCLXXXVII. nec non *doctrina logica*, Zittau. MDCLXXXI. 8. Lipsiæ MDCXCV. & MDCXCIX. *nucleus logicæ* MDCXCI. ac *curiöse fragen über die logic*, Lipsiæ MDCXCVI. & MDCC. 8. equidem libri hi tantæ dignitatis non sunt, vt inde solida ac vera præcepta de sensu veri & falsi consequendo possint hauriri; per rationem autem temporis, quo istos WEISIVS, qui &

doctrinas Peripateticas perspicue ac distincte poterat tradere, composuit, laudem quandam merito illis adtribuere debemus. GOTTLIEB GERHARDVS TITIVS in *arte cogitandi* multa aduersus WEISIVM disputauit.

SAMVEL GROSSER, cui duplicem logicam debemus: altera latine scripta hanc inscriptionem præ se habet: *Pharus intellectus siue logica electiua methodo neo-veterum præceptis & sanæ rationis vsui sano congrua ad captum iuuentutis scholasticæ digesta*, Lipsiæ ann. MDCXCVII. quæue MDCCIII. MDCCX. MDCCXIIII. noua facie prodiit. altera teutonico sermone composita est, quamue auctor ita inscripsit: *gründliche anweisung zur logica vor adliche oder andre iunge leute, die sich ihres standes oder künfftigen profession wegen nicht in alle tiefffinnige subtilitæten stecken können, in deütlichen fragen vnd richtigen antworten vorgetragen*, Görlic. MDCCIIII. 8. & MDCCXXI. præter hæc monimenta etiam huc referri potest ipsius *introductio ad eruditionem solidam*, teutonice scripta, quippe qua per modum dialogi præcepta omnis philosophicæ doctrinæ adeoque etiam logicæ exhibet.

IO. CLERICVS, vir magni nominis, cui litteræ philosophicæ multum omnino debent. primum scripsit *logicam, ontologiam* & *pneumatologiam*, quæ editæ sunt MDCXCII. Amstelædami, & *logicam* consecrauit ROBERTO BOYLEO, quamuis hic fato functus fuerit, antequam exemplum hoc ad ipsum

ipſum perferretur; cetera autem duo opera, *ontologiam* quippe & *pneumatologiam* IO. LOCKIO, cui poſthac tria hæc inſcripſit anno MDCXCVII. quum iterum ederentur. atqui hac ſecunda editione adiecit THOMAE STANLEII *hiſtoriam philoſophiæ orientalis*, quam anno MDCXC. ex anglica lingua translatam ſeorſim ediderat notisque atque indice philologico auxerat. anno MDCXCV. edendam quoque ſeorſim curauit *phyſicam*, quæ duabus ſequentibus editionibus partem tertiam & quartam operum philoſophicorum abſoluit, quorum quarta Bataua, quæ prodiit anno MDCCX. omnium eſt optima & quod ad res ipſas adtinet, ampliſſima. nam quamuis opera hæc philoſophica anno MDCCX. Lipſiæ ornata præfatione, qua de vita & ſcriptis CLERICI differitur, cura GOTTL. FRID. IENICHEN in lucem ſint edita; paullo poſt tamen, anno quippe MDCCXI. prodiit opuſculum de vita & operibus IO. CLERICI, ipſius operibus philoſophicis ſubiiciendum, quo multo curatius & copioſius fata ac merita celeberrimi viri huius recenſentur, quam præfatione, quæ editioni Lipſienſi præmiſſa eſt, quæ omnia eo nomine obſeruamus, vt inde notitia de variis editionibus logicæ huius poſſit hauriri. quod autem ad logicam ipſam pertinet, ipſius elegans præfatio differit de *origine, natura, vſu & diuiſione logices*; ac ipſum opus continet quatuor partes, quarum *prima* de ideis; *ſecunda* de *iudiciis*; *tertia* de methodo ac *quarta* de argumentatione agit. quod vſus

fuerit aliena opera in hoc logicæ opere conſcribendo, ipſe aperte fatetur, præſertim dedicatione ad LOCKIVM, cui ſe multum debere, grata agnoſcit mente, quando dicit: *quum maxime vſui tua mihi ſcripta fuerint hæc ſcribenti, & facem in obſcuriſſimis quæſtionibus ſæpe prætulerint; fateri in limine huius opellæ, per quem profeciſſem ingenui, vt ille ait, pudoris eſſe duxi. molienti mihi opuſcula, quibus ſtudioſæ iuuentuti ad philoſophiæ cognitionem via ſterneretur, nihil commodius ac felicius accidere potuit aurei tui operis lectione: vnde innumeras in rem meam eximias obſeruationes deriuare poteram. multa itaque hic videbis, quæ tibi deberi ſenties & nos vltro profitemur.* ac præfatione ad lectorem dicit: *ne in ingenuitatem peccemus ingratiue animi peccatum admittamus, eximio libro anglice ſcripto, cui* tentamen de intellectu *modeſtiſſimus, idemque acutiſſimus ſcriptor* IO. LOCKIVS *titulum fecit, plurima nos debere profitebimur.* quapropter non videmus, cur P. BVFFIER, [1] minus honorifice ſentiat de logica CLERICI atque affirmet, quod omnia hauſerit ex LOCKIO eiusque præcepta tradiderit breuiora. nam quamuis negari haud poſſit, quod CLERICVS multa LOCKIO, nonnulla quoque AVCTORI *artis cogitandi* & MALEBRANCHIO debeat; vbique tamen partes philoſophi, qui ſectatur philoſophiam eclecticam, expleuit, ſiue auctores, qui ipſi fuerunt adiumento; ſiue res ipſas; ſiue ſcribendi modum reſpiciamus. ingenue

1 *princ. du raiſonnem. p. 453.*

nue professus est, quod multa ex aliorum scriptis deriuauerit; multaque momenta, ab aliis aut silentio transmissa; aut leuiore pertractata industria diligenter est persecutus, vt patet ex doctrina de *methodo disputandi Socratica* item dissertatione elegantissima addita de *argumento theologico ab inuidia ducto*. quid? quod tale obseruauit scribendi genus, quod perspicuum est, quam in rem bene CHRISTIANVS THOMASIVS [1] dicit: *Clericus Lockii doctrinas vtilissimas ex specimine eius de intellectu multo clarius proponit, quam ipse celeberrimus auctor.* recte enim CLERICVS censet, quod elegans ac perspicua scribendi forma magnum decus afferat philosopho, qui etiam, vt scriptor vitae ipsius [2] testatur, *si quid noui didicit ab aliis, continuo emendauit, quae plus, quam oportebat, dicta videbantur, vel sua inde auxit; si quid minus recte expressum fuerat, id melius exprimere conatus est. qua in re perspicuitatem potissimum spectauit, nec stili elegantiam captauit, nisi quia veterum latinorum constans ac certa dictio scholastica incerta ac varia proxime praeteritorum seculorum multo clarior est. ceteroqui voces omnes & loquutiones vsu consecratas adhibuit nec mutandas censuit, cum nullae aliae aeque perspicuae in antiquiore lingua latina essent.* obseruari quoque decet, quod CLERICVS editioni tertiae ac quartae praemiserit praefationem, qua quorumdam opinionem, qui volebant mathematicas disciplinas logicae loco esse oportere nec logica vlla

[1] *cautel circa prac. c. X. §. 13.* [2] *p. 69.*

opus esse, confutauit. SEBASTIANVS EDZARDVS edidit *examen logicae Io. Clerici*, Hamburg. MDCXCIX, quod autem non magni ponderis est.

CHRISTIANVS THOMASIVS, vir illustris ac de philosophia maxime meritus, qui etiam hanc disciplinam purgauit, auxit atque ornauit. edidit enim *introductionem ad philosophiam aulicam, seu lineas primas libri de prudentia cogitandi & ratiocinandi, vbi ostenditur media inter praeiudicia Cartesianorum & ineptias Peripateticorum veritatem inueniendi via*, Lipsiae MDCLXXXVIII. & Hal. MDCCII. 8. complectitur opus XVI. capita, quorum 1) de philosophorum sectis; 2) de philosophia in genere, 3) de homine & humanae mentis essentia; 4) de prudentia cogitandi & ratiocinandi, 5) de veritate & eius criteriis, 6) de praeiudiciis veritatis inquisitionem impedientibus eorumque extirpatione & primis cognoscendi principiis; 7) de obiecto ratiocinationis, 8) de modis ratiocinandi, 9) de mediis ratiocinandi, 10) de methodo & ordine ratiocinandi, 11) de prudentia meditandi, 12) de prudentia cogitata proponendi 13) de prudentia aliorum mentem intelligendi, 14) de prudentia iudicandi, 15) de prudentia contradicendi, 16) de paedantismo disseritur. extremo addita est VLRICI HVBERI elegans oratio de *paedantismo*. multa proposuit THOMASIVS, quae historiam philosophiae ac speciatim logicae illustrant, atque nugas scholasticorum & errores Cartesii eiusque sectatorum reiecit & confutauit.

quibus de cauſſis haud mirum, quod pro ratione ætatis illius, quum libertas cogitandi magnis tenebris adhuc eſſet oppreſſa, multorum odium atque inuidiam ſibi contraxerit, præſertim quoniam aduerſus philoſophiam chriſtianam, quæ tum Lipſiæ a quibusdam magni habebatur, quoque disputauit. duo fuerunt, qui aduerſus adcuſationes THOMASII dignitatem philoſophiæ Carteſii tueri voluerunt, quorum alter eſt PAVL MICHAEL RHEGENIVS, qui edidit: *Io. Claubergii ſpecimen logicæ Carteſianæ, ſeu modum philoſophandi, vbi certa Carteſianorum veritates inueniendi via oſtenditur, & in quibusdam nouæ introductionis in philoſophiam aulicam veritas examinatur*, MDCLXXXVIII. alter vero eſt REALIS de VIENNA, ſiue GABRIEL WAGNER, qui protulit in lucem: *diſcurſum & dubia in Chr. Thomaſii introd. ad philoſophiam aulicam, in quibus de natura & conſtitutione philoſophiæ diſſeritur, de ratione ſtudiorum iudicatur & in quo conſiſtat vera ſapientia, oſtenditur*, Ratisb. MDCXCI. 8. de priori diſſerit THOMASIVS præfatione *introductionis ad philoſophiam rationalem*; poſterior autem, cuius ingenium verioris philoſophiæ ac logicæ haud capax & animus ab omni modeſtia remotus, nulla reſponſione dignus merito habetur. anno MDCCX. hæc *introductio ad philoſophiam aulicam* germanice prodiit; quanquam verſio hæc nec elegans eſt nec ſatis accurata. GOTTLIEB GERHARD TITIVS *arte cogitandi*

gitandi [1] varia quoque aduersus hanc introductionem dixit. præter istam edidit THOMASIVS *Einleitung zu der vernunfftlehre*, item *Ausübung der vernunfftlehre*, Hal. MDCXCI. MDCXCIX. MDCCV. MDCCXI. 8. qui libri latine quoque sub inscriptione: *introductio ad logicam, praxis logices*, Hal. MDCXCIV. prodierunt. atqui hæc logica plane aliena est a nugis scholasticis, veriorem ostendit viam perueniendi ad sensum veri & falsi satisque declarat, quod illustris THOMASIVS multam operam dederit meditandi studiis, nullius philosophi, ne ipsius celeberrimi patris auctoritate occupatus. quod si rationem temporis illius accurate cogitemus animo, atque expendamus, quæ philosophiæ facies, quæ illius fortuna fuerit in natione nostra germana, non possumus, quin THOMASIO summas habeamus gratias ac merita hac in re veneremur, quod primus fortiter philosophiæ Aristotelicæ ac Cartesianæ earumque progressui obuiam iuerit, ac primus viam demonstrauerit, ex philosophica seruitute euergendi sibique restituendi veram atque antiquam libertatem cogitandi.

PETRVS POIRET, qui edidit *veram methodum inueniendi verum*, diuisam in tres partes. *prima* exhibet sex methodi ad veritatem leges, quarum sit prima, *ad veritatem detegendam ordinem seruandum esse*; secunda, *mentem sinceram esse debere*; tertia, *quemlibet debere incipere a se & in se ipso*; quarta *agnoscendam esse vnicuique corru-*

[1] *cap. XVIII.*

ptionem

ptionem suam; quinta, *sanationem mediis aptis esse nunc quidem ante omnia quaerendam*; sexta, *mentem ad incolumitatem recipiendam, agnita & deplorata aegritudine, impotentiaque sua, abstinere debere ac quiescere ab actibus intellectus sui, quem offerat Deo passiuum, solo desiderio sanitatis a Deo impetrandae agentem, nec non firmiter decernentem se in posterum, si restituta fuerit, non recturam amplius facultates suas ad placitum proprium; sed ad voluntatem entis summi iuxta ordinem & proportionem, quae debeat esse aeterna inter & caduca, spiritualia & corporea, interna & superficiaria, necessaria & accessoria, realia & vmbratilia, diuina Dei placita & pessima proprii amoris se pro scopo statuentis cupita.* pars *secunda* exhibet varias quaestiones & difficultates de intellectus impotentia, quiete, passiuitate, de Dei in illo actione & lumine deque eius statu diuiniori & medio ad illum proximo; pars *tertia* ostendit, ob neglectum superiorum regularum Cartesium cum suis in multa incidisse errata. haec *methodus inueniendi verum* praemissa est POIRETI libris de *eruditione triplici*, qui auctiores prodierunt Amstelaed. MDCCVII.

4. POIRET est philosophus mysticus, qui trinitatis clarissimam imaginem in mente humana quaerit atque existimat, quod nulla alia sit via ad sapientiam, quam diuina illuminatio. nec negari potest, quod ipse complexus doctrinarum POIRET optime inter se cohaereat, ita vt positis ipsius principiis, omnia inde veluti conclusiones recte

efficiantur. quibus de cauſſis ille, qui cupiditate tenetur, doctrinas eius bene intelligendi, neceſſe habet, integrum ſyſtema diligenter atque accurate ſæpius perlegere atque animum ſemper ad principia aduertere. quod quum perpauci obſeruauerint, haud mirum eſt, quod multi in confutandis POIRETI opinionibus feliciori deſtituti fuerint ſucceſſu, quod non fieri poteſt, niſi principales opiniones ſolide deſtruantur, quæ quum ſint ab omni ratione alienæ ac viam parant ad enthuſiaſmum, merito reiiciuntur. atqui ex his facile colligi poteſt, quod pretium ipſius *methodo inueniendi verum* ſit habendum, quæ eam tantum lectoribus adfert vtilitatem, vt inde varios errores cognoſcant. aduerſus POIRET diſputauit GOTTLIEB GERH. TITIVS, [t] contra quem defenſionem adiecit dictæ editioni librorum de *triplici eruditione*, quæ omnino magis digna eſt oratore ſacro, quam genuino ac germano philoſopho.

10. FRANCISCVS BVDDEVS, qui vir ſumme venerandus edidit *elementa philoſophiæ inſtrumentalis*, anno MDCCIII. quorum editio ſecunda MDCCVI. tertia MDCCIX. quarta MDCCXII. & poſt hac adhuc aliæ prodierunt. continent hæc elementa quatuor partes, quarum prima de *ratione inueniendi verum*; ſecunda de *ratione veritatem ex aliorum ſcriptis eruendi*; tertia de *ratione veritatem cum aliis communicandi* & quarta de *notitia terminorum philoſophicorum*

t *arte cogit. c. XIX. §. 26. ſqq.*

corum agit. sic prima pars speciatim logicam complectitur, quae methodo medica, quam & in aliis disciplinis philosophicis seruauit, conscripta est. praecepta illius germanice proposuit MARTIN MVSIG parte prima *des Lichts der Weißheit*; & anno MDCCXV. IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS edidit *medicinam intellectus siue logicam e venerandi Buddei logica suisque in eam praelectionibus academicis in theses breues redactam.* nec est quod copiose merita venerandi BVDDEI in philosophiam commemoremus, de quibus vel ipse applausus, quem monimenta ipsius philosophica, quae in plerisque academiis recitationibus explicantur, satis testari potest. venit quidem logica in varias reprehensiones iis de caussis, quod venerandus BVDDEVS sua hauserit ex CLERICO, nec auctores, qui ipsi opem tulerunt, nominauerit, cuiusmodi accusatio sane nullius est momenti, nec pectus ingenuum & a prauorum affectuum sensu alienum decet. non solum ex CLERICO; sed aliis quoque, AVCTORE *artis cogitandi*, LOCKIO, THOMASIO, TITIO ea, quae veritati consentanea esse deprehendit, deriuauit pro munere illius philosophi, qui eclecticam sequitur philosophiam. quando enim philosophus apud alios quaedam deprehendit, quae vera, etiam necessaria esse sentit; non potest non illa in librum suum transferre, quoniam vna tantum est veritas; quae autem non ab aliorum auctoritate; sed propria sensione dependet. quapropter talis philoso-

losophus eo ipso præclare suo fungitur munere, quum ex variis ea possit colligere, quæ sunt vera atque vtilia; nugas autem ac falsa reiicere. quid multa? ipse CLERICVS eandem secutus est rationem, ac multa doctrinarum momenta ex IO. LOCKIO, item AVCTORE *artis cogitandi* sua sibi fecit, quod adhuc de aliis, qui ad huiusmodi ieiunas ac malesanas reprehensiones, praua quadam animi libidine incitati procliues sunt, probare possemus, si id instituti nostri forma permitteret. quid? quod venerandus BVDDEVS propriam sibi elegit tractandi methodum, multa suo ingenio suisque meditationibus inuenta, examinata ac probata adiecit, ac tale scribendi genus seruauit, quod elegans ac perspicuum. cur autem CLERICVM haud nominauerit, quando ex isto quædam retinuit, id consilio factum est. præfatione elementorum philosophiæ instrumentalis ipse dicit BVDDEVS: *nomina autem illorum indicare, instituti ratio & conditio elementorum non permisit: quibus accedit, quod ipsis prælectionibus commodius hæc reseruentur.* præter hæc elementa præfationem elegantem præmisit *arti cogitandi*, quæ Halæ prodiit MDCCIV. item MDCCXVIII. quippe qua de fatis studii logici, eiusque vera indole, adminiculis & defectibus edisserit. in plerisque, qui in studio logicæ versati sunt, hos defectus notat, quod *primum* nullam adiecerint medicinam, nec viam certam, planam & facilem indicauerint, qua exui praui affectus & cum affectibus peruersæ opiniones

possent;

possent; *deinde* quod non serio ostendant, inchoandum in veritatis inquisitione a voluntatis emendatione esse; *tertium* quod tam ieiuna, tam friuola sint, quae de intellectus facultatibus & operationibus tradant, modo aliquid tradant; *tandem* quod de vera ratione illarum facultatum infirmitatibus medendi nihil praecipiant, quod trahat momentum.

GOTTLIEB GERHARD TITIVS, qui Lipsiae anno MDCCII. edidit *artem cogitandi* 12. de qua auctores diarii Parisiensis [1] ita iudicant: *on trouuera plus de bon sens dans cet ouurage, que n' en promet le ieu de mots, qui paroit dans le titre. c' est vn logique assez raisonnable, par rapport à celles, qui s' enseignent dans l' ecole, mais qu' on ne iugera peut-etre pas fort necessaire.* interdum felicior exstitit in confutandis aliorum sententiis, quam suo ingenio tradendis logicae solidis praeceptis, quamquam haud negari potest, quod saepius de verbis, quam ipsa re aduersus alios disputauerit. varia contra TITIVM obseruauit EPHRAIM GERHARD. [2]

IO. FRIDEMANN SCHNEIDERVS, qui edidit *fundamenta philosophiae rationalis ad recentiorum philosophorum mentem proposita*, Hal. MDCCIII. & ex editione secunda aucta atque emendata MDCCVIII. complectitur liber hic sequentia capita 1) de natura & constitutione philosophiae rationalis, 2) de veritate eique opposita falsitate &

1 1704. p. 144. 2 delin. phil. rational.

fictio-

fictione, 3) de veritatis impedimentis seu praeiudiciis, 4) de adminiculis consequendae veritatis & inprimis de definitione. 5) de diuisione, 6) de demonstratione; 7) de methodo, 8) de meditatione; 9) de interpretatione & 10) de disputatione. scripsit quoque SCHNEIDERVS dissertationem de *logica non otiosa*; item de *variis argumentandi methodis veterum & recentiorum*.

IOACHIMVS LANGIVS, cuius *medicina mentis*, saepius prodiit, etiam apud Anglos recusa est. pars *prima* continet historiam philosophicam a mundo condito vsque ad nostra tempora; *secunda* agit de mentis aegritudine; *tertia* de aegrae mentis sanatione; *quarta* de sanae mentis vsu in veritate inuestiganda; *quinta* de sanatae mentis vsu in veri cum aliis communicatione & *sexta* de eruditione ac sapientia. varias expertus est liber hic censuras, ac multi id in eo notarunt, quod maiori studio, quam deceat, sectatus fuerit POIRETVM, nec discrimen inter naturam & gratiam, ac inter philosophiam & theologiam obseruauerit, ac praecepta dederit, quae christianum formare possent logicum.

EPHRAIMVS GERHARDVS, cuius *delineationis philosophiae rationalis variis obseruationibus illustratae, siue de intellectus humani vsu atque emendatione* libri duo prodierunt Ienae MDCCIX. & iterum MDCCXVII. 8. liber *primus* tractat de conceptibus logicis communibus, ac speciatim quidem de eruditione, philosophia generatim, philoso-

phia

phia rationali, intellectu humano, cognitione, ignorantia, veritate & certitudine, falsitate, verosimili & dissimili, obiecto cognitionis, cognitionis impedimentis. liber autem *secund.* disserit de negotiis logicis specialibus, ac quidem de impedimentorum remotione; de experientia, meditatione, ratiocinatione, lectione & auscultatione, interpretatione, opinionum diiudicatione, de veri communicatione generatim, de communicatione veri, quæ oretenus fit, de libris scribendis, ac de arte disputandi & confutandi. atqui hæc omnia argumenta GERHARDVS perspicue exposuit & eiusmodi illustrauit obseruationibus, quæ lucem in historia logicæ interdum nobis præferre possunt. præfatione fatetur, quod ex antiquioribus Aristotelis atque Epicuri præcepta haud neglexerit, etiam scripta recentiorum logicorum ad vsum suum transtulerit, ita vt semper eligeret sibi, quæ probata videbantur. præter hanc delineationem scripsit quoque GERHARDVS dissertationem de *præcipuis sapientiæ impedimentis*, Ienæ MDCCV. quæ logicæ addita fuit; item *vnuorgreiffliche Begrieff vom Verstand vnd Willen des Menschen vnd derselben Ausbesserung*, Hal. MDCCVIII. 8. & Ienæ MDCCXVII. *cogitationes logicas de veritatis cognoscendæ principio & criterio*, Ien. MDCCIX. 4. MDCCXV. 8. *prolusionem academicam de ratiocinatione Ictorum*, Ien. MDCCXI. 4.

IO. CHRISTIANVS LANGIVS, qui edidit CHRISTIANI WEISII *nucleum logicæ* additamentis interpolationum textualium &

& formularum germanicarum, maxime vero adnotationum ita auctum atque illustratum, vt prout titulus libri huius loquitur, *vera hic & solida logicæ Peripatetico-Scholasticæ purioris fundamenta detegantur & ratione mathematica per varias schematicas præfigurationes ad ocularem euidentiam deducta proponantur*, Gissæ MDCCXII. 12. præfatione logicam Peripatetico-Scholasticam puriorem contra adcusationes tueri instituit, & in additamentis omnino multam operam collocauit in momentis doctrinæ huius explicandis atque illustrandis, præcipue quod ad syllogismum adtinet, ita vt opus hoc non possit non cultoribus Aristotelicæ ac scholasticæ philosophiæ magnam adferre voluptatem. auctores *actorum eruditorum* [x] id commemorarunt, nec satis honorifice de industria a LANGIO adhibita senserunt, non obscure significantes, quod placitis Aristotelicorum & scholasticorum non magnum statuendum sit pretium, siue eorum necessitatem, siue vtilitatem, siue veritatem respiciamus. qua censura permotus LANGIVS de defensione cogitare cœpit, quumue anno MDCCXIII. ederet *inuentum nouum quadrati logici vniuersalis: in trianguli quoque formam commode redacti*, adiecit *dissertationem apologeticam pro logica Aristotelica genuina maxime logica*, qua id omnibus viribus egit, vt dignitatem atque auctoritatem logicæ huius a contemtu variisque adcusationibus liberaret forti-

x 1713. p. 367.

terque tueretur. haud negamus, quod clarissimus LANGIVS significauerit ingenium subtile, vsuque meditationum exercitatum; sed num verum logicae finem sibi propositum habuerit, hacque ratione viam rectam atque expeditam ad sensum veri & falsi demonstrauerit, id aliorum iudiciis permittimus. rectius opus hoc logicum inter Aristotelica scripta, de quibus supra disseruimus, locum suum tenere potest, idque ideo heica nobis commemoratur, quod paullo ante mentionem fecimus CHRISTIANI WEISII.

IO. P. de CROVSAZ, qui lingua gallica edidit *systeme de reflexions*, Amst. MDCCXII. cuius editio 2. quoq; multo auctior prodiit. pars *prima* considerat varias mentis facultates, & naturam ac diuersitatem idearum partim ratione obiectorum, partim ratione modorum, quibus istae a nobis concipiantur, tribus sectionibus. pars *secunda* agit de iudiciis & propositionibus, qua quum propositiones diuisae fuerint in veras & falsas, certas, incertas & probabiles, etiam disseritur de scepticismo. pars *tertia* complectitur doctrinam de *ratiocinatione* ac *quarta* de methodo, quae omnia distincte atque eleganter sunt proposita, vt non mirum sit, quod logica haec non mediocrem sibi comparauerit existimationem. nam quamuis, si rem ipsam respiciamus, multa ex logica vulgari retinuerit, quae emendari atque augeri potuissent; modus tamen tractandi, quem obseruauit, maxime elegans est ac vim habet ad animos lectorum capiendos.

NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS, qui edidit *viam ad veritatem*, cuius pars prima continet *artem recte ratiocinandi, id est, logicam*, Halae MDCCXIII. 8. diuisa est in tres partes. partis *primae* caput 1) agit de intellectu & logica speciatim considerata; 2) de cognitione & ideis, quae sunt illius fundamenta; 3) de ignorantia eiusque caussis; 4) de nominibus; 5) historia logicae vulgaris ac speciatim partis primae. partis autem *secundae* caput 1) de iudiciis; 2) de propositionum veritate & falsitate; 3) de principiis, praesumtis opinionibus, de vero simili & falso simili; 4) de propositionibus vniuersalibus & particularibus; 5) de propositionibus aperte & latenter compositis, vt & complexis seu incidentibus; 6) de diuisione; 7) de definitione; 8) de verbis ac particulis; 9) historia libri secundi logicae vulgaris. partis *tertiae* caput 1) de methodo eiusque diuisionibus; 2) de methodo analytica in specie; 3) de methodo synthetica in specie; 4) de pseudomethodis; 5) de syllogismis in genere eorumque vsu; 6) de syllogismis eorumque speciebus. 7) de vera methodo conuincendi ac confutandi dissentientes, 8) de dialogo; 9) de methodo legendi aliorum scripta eaque interpretandi; 10) de methodo soluendi sophismata; 11) historia logicae vulgaris in parte tertia. de *salebris*, quas quidam in hac celeberrimi GVNDLINGII logica demonstrare voluit, non est, quod dicamus, praesertim quum a quodam auditorum ipsius responsio bene composita fuerit data.

P. BVFFIER, cuius *principes du raisonnement exposez en deux logiques* prodierunt Parisiis MDCCXIIII. 8. quibus continentur multæ obseruationes ac præcepta vtilia. extremo quoque auctor iudicium tulit de variis logicarum scriptoribus.

IO. IACOBVS SYRBIVS, qui an. MDCCXVII. Ienæ edidit *synopsin philosophiæ rationalis*; & eodem anno *institutiones philosophiæ rationalis eclecticæ*, quarum pars prior agit de veritate cognoscenda; posterior vero de veritate adplicanda. præmissa est præfatio, qua historia logicæ breuiter exponitur.

præter hos, quos iam commemorauimus, adhuc alios possemus recensere. quo spectant *essay de logique, contenant les principes des sciences & la maniere de s'en seruir pour faire de bons raisonnemens*, qui liber, cuius auctor est MARIOTTE, prodiit Paris. MDCLXXVIII. & inter opera scriptoris huius edita Lugdun. Batauor. MDCCXVII. 4. item *ars cogitandi erotematica cum præludio philosophiæ*, Basileæ MDCCXV. 8. quam composuisse ZWINGERVS dicitur; nec non IO. HENR. ACKERI *scrutinium opinionis & scientiæ*, Rudolstadii MDCCXV. qui ordinem vulgarem ac vetustum seruauit; in tractatione vero ipsa vetera cum nouis coniunxit, vt de aliis taceamus. at vero præcipue nobis est propositum, varias periodos historiæ logicæ distincte indicare, ac principes tantum scriptorum huc spectantium commemorare, inprimis quum neque sit vtile, neque per ingenii humani conditionem fie-

 ri

ri possit, vt talis historia ad summum perfectionis perducatur.

§. XXIII. Verum enim vero heic adhuc commemorare debemus ANDREAM RVDIGERVM, cuius merita in logicæ artem omnino sunt amplissima, siue aliorum errores, quos solide confutauit; siue accessiones, quibus disciplinam hanc auxit, respiciamus. anno MDCCIV. edidit disputationem philosophicam *de eo, quod omnes ideæ oriantur a sensione*, qua Cartesianorum nugas de ideis innatis erudite demonstrauit; eodem anno aliam dissertationem *de nouis ratiocinandi adminiculis* protulit; anno MDCCVII. *philosophiam syntheticam* in publicam emisit lucem, qua iam multorum logicorum vitia non solum obseruauit; sed etiam emendauit, cuiusmodi sunt, quod ipsorum præcepta sint nimis generalia; quod examen veri aliquo modo tradiderint; inuentionem autem veritatis haud attigerint; quod genuinam probabilitatis indolem haud proposuerint; quod de ratiocinio, quomodo deberet examinari, nihil dixerint, nec de multis ratiocinandi modis quidquam obseruauerint. anno MDCCIX. prodiit ipsius liber elegantissimus nec satis laudandus *de sensu veri & falsi*, quo hæc omnia copiosius & clarius explanauit, etiam discrimen inter ratiocinationem mathematicam & philosophicam tradidit, nec non præcepta definiendi, ac de ratiocinio grammatico disseruit. de quo discrimine inter ratiocinationem philosophicam & mathematicam posthac in *physica diuina*, quæ prodiit MDCCXVI, multo verbosius egit. quum anno MDCCXI. *philosophia synthetica* iterum

iterum prodiret, adiecit *ratiocinium a minori ad maius & a maiori ad minus*; & tertiæ editioni anno MDCCXVII. philosophiæ huius accesserunt necessaria duo ratiocinandi genera, *ratiocinatione caussalis* & *practica*. qui ingenio valet philosophico, RVDIGERI monimenta logica diligenter legit, nec studio prauorum affectuum corrupti erga se ipsum amoris, inuidiæ atque odii tenetur, ille non potest non merita ipsius in logicam magnifacere ac laudare. sed quam multi sunt, qui de eo sentiunt sinistre, quamuis aut scripta eius haud legerint, aut lecta minus intellexerint; aut cognita eorum præstantia ac dignitate, prauis tamen affectibus abrepti, istam publice profiteri recusent. persuadent enim sibi, se esse statores ac præsidia artis logicæ, cui creditæ existimationi magnum imminere periculum putant, quando RVDIGERVM laudare, commendare instituerent. sed tamen philosophum haud decet, corruptæ mentis libidini prauisque propensionibus indulgere. melius est, ignorantiam suam profiteri, & aliorum ope peruenire ad veritatum cognitionem, quam per inuidiam eorum præcepta necessaria atque vtilia negligere, sicque inscitiam atque errores tueri.

§. XXIIII. Antequam parti huic vltimam imponamus manum, breuiter mentionem facere BENEDICTI SPINOZAE, non ab re erit. prodierunt enim ipsius *opera posthuma* Amstelædam. MDCLXXVII. quibus extat quoque tractatus de *emendatione intellectus*, qui breuis nec per impedimenta auctoris ad perfectionem venit, siquidem hæc admonitio

ad lectorem præmissa est: *tractatus, quem de intellectus emendatione imperfectum hic tibi damus, beneuole lector, iam multos ante annos ab auctore fuit conscriptus: in animo semper habuit eum perficere: at aliis negotiis præpeditus & tandem morte abreptus, ad optatum finem perducere non potuit.* hactenus bene. at vero ea, quæ subsequuntur: *quum vero multa præclara atque vtilia contineat, quæ veritatis sincero indagatori non parum e re futura esse, haud quaquam dubitamus, te iis priuare noluimus*; cautionem quamdam postulant, siquidem multa huic libro insunt, quæ a vero sensu & affectu pietatis sunt aliena. ipsius sectator ABRAHAMVS IOANNES CVFFELERVS edidit *specimen artis ratiocinandi naturalis & artificialis ad pantosophiæ præcepta manuducens*, Hamburgi, vt titulus præ se fert, MDCLXXXIV. 8. cuius libri caput 1) agit de nomine; 2) de propositione, 3) de syllogismo; 4) erroribus, qui circa præcedentia committi possunt & 5) de methodo recte ratiocinandi. aperte satis significauit, quod SPINOZAE impias sententias sit amplexus, dum statuit, mundum in ipsa essentia diuina contineri. ac quamuis inter deum & mundum hoc discrimen constituat, quod ad essentiam mundi non pertineat existentia necessaria, quæ tamen ad dei essentiam requiratur, reuera tamen hoc discrimen nullum est. adhæc vehementer laudat SPINOZAM, veluti philosophum longe præstantissimum, vt pluribus demonstrat IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [a] hæc

[a] *de atheismo & superstition.* p. 174.

igitur

igitur sufficiant pro proposita dissertationis forma, qua nostrum tantum est institutum, auctores recensere, quibus opera logica debemus, & magis res ipsas, quam librorum fata litteraria respicere, quæ omnino vberius ac copiosius potuissent illustrari, si id proposito nostro fuisset consentaneum. scriptores, qui argumenta logica specialia seorsim sunt persecuti, commemorabimus capite, quod iam subsequetur, qui sunt multi generis.

LIBRI II.
DE
PROGRESSV AC FATIS LOGICAE.
CAPVT II.
DE
ORIGINE, PROGRESSV ET FATIS DOCTRINARVM LOGICAE SPECIATIM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa §. I. *traditur historia doctrinæ de natura & diuisione logicæ* §. II. III. IIII. *de intellectu humano* §. V - - XII. *de principiis & criteriis veritatis cognoscendæ* §. XIII. XIIII. *de ideis* §. XV - - XX. *de definitione* §. XXI. *de diuisione* §. XXII. *de variis ratiocinandi modis* §. XXIII - - XXVIIII. *de demonstratione* §. XXX. XXXI. XXXII. *de probabilitate* §. XXXIII - - XXXVII. *de præiudicatis opinionibus* §. XXXVIII. XXXIX. *de dubitatione* §. XL. XLI. XLII. *de arte disputandi* §. XLIII - - XLVII. *de methodo* §. XLVIII - - LII.

§. I.

PErlustrauimus igitur illorum studia, qui operam suam in arte logica tradenda, emendanda & in meliori statu collocanda posuerunt, quorum notitia si & plenissime a nobis esset exposita, historiæ tamen disciplinæ huius haud omnes expleret partes. etenim non sufficit, scire auctores, aut copiosam scriptorum recensionem instituere, si quis historiam disciplinarum accuratius cognoscendi flagrat cupiditate; sed doctrinarum quoque fata explanare, e re est, atque aperire modos, quibus quisque momenta artis exposuerit. atqui heic tria necessaria sunt, vt expendamus, quis admouerit animum disciplinæ cuidam litterariæ promouendæ; quid suo studio ac cura præstiterit ac quam tractandi rationem sit secutus, quæ auctoribus huiusmodi historiarum ante oculos proposita esse debent. quapropter cultoribus harum litterarum non ingratum fore, putamus, si elaboramus, vt hoc modo historiam hanc persequamur accuratius, ac per meliorem ordinis rationem parte prima exposita, ad secundam nos convertamus, atque doctrinarum fata ex historiarum monimentis illustremus. nobis autem est propositum atque animi sententia, nobiliora momenta attingere, ac tantum adumbrare, sicque aliis viam parare, qua opus hoc perfectius efficere ac quæ desunt, redintegrare possunt, quoniam per varias caussas studio tenemur breuitatis.

§. II. Logica, cuius fata iam exponamus breuiter, duplici ratione potest considerari: *partim* sua indole, qua est disciplina artis; *partim*

tim ratione materiarum, de quibus tractat. ratione indolis, quæ est disciplina artis, duo momenta ex historiarum rebus possunt illustrari, quorum est: *quid sit logica?* alterum vero respicit ordinem tractandi ac complectitur *diuisionem illius*. dispiciamus igitur de priore momento: *quid sit logica?* quo cum nomen & alias illius adpellationes; tum ipsam rem debemus considerare. quod ad nomen *logicæ* adtinet, id dicitur ἀπὸ τȣ̃ λόγȣ, quæ vox significat & rationem & sermonem, hinc disputarunt, quænam significatio heic sit admittenda, num ars hæc dicatur logica a ratione; an a sermone? plerique tuentur priorem significationem; qui autem posteriori fauent, iterum inter se discrepant, num intelligendus sit sermo internus, an externus? quamuis illi, qui notari putant sermonem internum, a prioribus non multum differant, si quidem sermone interno significant cogitationes, siue operationes atque actiones intellectus. quis primus vsurpauerit vocem *logicæ?* id non apertum est. ARISTOTELES nomine hoc haud vsus; voce vero λογικῶς, quam opposuit ἀναλυτικῶς, ideoque teste BOETHIO veteres peripatetici hanc adpellationem introduxerunt, vt obseruat GERH. IO. VOSSIVS.[1] præter hoc nomen & alia sunt, quibus cum veteres, tum recentiores philosophi artem hanc adpellarunt. vetustiori ætate dicebatur *dialectica*, *canonica*, *critica*. vox *dialecticæ* a veteribus præcipue triplici significatione adhibita est: primum sententia ampliore pro ipsa sapientia ac cognitione rerum diuinarum a PLATONE; deinde

1 *de natura & constit. logic. cap. I. §. 2.*

pro integra logicæ diſciplina a Stoicis, & tandem pro ea logicæ parte, quæ agit de argumentis probabilibus, ab ARISTOTELE & Peripateticis, qui dialecticam opponunt analyticæ ſiue doctrinæ de demonſtratione, vide CHRISTOPHORVM SCHEIBLERVM [1] & GERH. IO. VOSSIVM, [2] IO. WOWERVM. [3] *canonica* dicta eſt ab EPICVRO, teſte DIOGENE LAERTIO, [4] quoniam tradebat *canones*, iisque præcepta de cognoſcenda veritate exhibebat. PETRVS GASSENDVS [5] dicit: *non deſunt, qui hanc artem canonicam vocent; quod ſit quaſi canon ſiue regula ad bene cogitandum inſtituta. quia enim poteſt mens facile inter cogitandum errare, ſeu a vero deſciſcere, ideo errores ſuos agnoſcens præcauereque ipſos volens, quemadmodum regulam faber, ſic ipſa ſibi artem hanc parat, qua opus ſuum, hoc eſt proprias operationes dirigat easque errore immunes reddens, ipſam veritatem ſeu ſcopum, ad quem collineat, aſſequatur.* tandem adpellata eſt κριτικὴ propter munus, quod in cognitione veritatis vis iudicandi præſtare debet, cuius adpellationis exempla inuenimus apud ATHENAEVM & LVCIANVM, VT VOSSIVS [6] obſeruat. recentiori tempore diſciplinæ hæc philoſophiæ præter *logicæ* nomen adhuc aliis notata eſt adpellationibus, quæ modo vtilitatem, quam reliquis litterarum ſcientiis adfert; modo res, de quibus diſſerit, ac finem ob quem ipſius cultura ſuſcipienda eſt, reſpiciunt. nonnulli enim logicam conſiderarunt commercii

1 *logic. part. I. cap.* 2. 2 *cit. loc. cap. XII.* §. 1. 2. 3. 3 *polymath. cap. XX. p.* 184. 4 *lib. X. ſegm.* 30. 5 *inſtit. logic. praef.* 6 *cit. loc.*

cauſſa,

caussa, quod cum aliis eruditionis partibus habet, in quarum emolumenta instrumenti fungitur munere, ideoque istam adpellarunt *philosophiam instrumentalem*, id quod fecit IO. FRANCISCVS BVDDEVS, vbi adnotare decet, quod logica ARISTOTELIS vocetur non solum ὄργανον, sed quoque ὄργανον ὀργάνων, *instrumentum instrumentorum*, quam inscriptionem alii ipsi ARISTOTELI; alii vero eius interpretibus vindicant, saltim ista ex Aristotelicæ doctrinæ fontibus hausta videtur multorum opinione, vide IO. NELDELIVM [1] & GERH. IO. VOSSIVM. [2] quum autem Peripatetici censerent, instrumentum esse logicam; partem philosophiæ istam absoluere negabant, cuius rei alia sententia placebat Stoicis, qui artem hanc veluti philosophiæ partem æstimabant. ex recentioris æui auctoribus est adhuc BACO de VERVLAMIO, qui scripsit *nouum organum* ad Peripateticorum exemplum, quo logicæ præcepta exhibet. alii quum meditarentur, quo modo opera sua logica inscriberent, fundamenti loco posuerunt cum obiectum, tum finem logicæ. sic adpellata est

PHILOSOPHIA RATIONALIS, quæ aptam reddere debet rationem humanam ad cognoscendam capiendamque veritatem, ad quod genus referri debent IO. FRIDEMANNI SCHNEIDERI *fundamenta philosophiæ rationalis ad recentiorum philosophorum mentem proposita*; EPHRAIMI

1 *de vsu organi Aristot. Part. I. cap. I.* 2 *cit. loc. cap. VI. §. 4.*

GERHARDI *delineatio philosophiæ rationalis*; IO. IACOBI SYRBII *institutiones philosophiæ rationalis*.

ARS COGITANDI, sic adpellata ab auctore haud nominato, cuius *ars cogitandi* peperit sibi multum existimationis; item a GOTTLIEB GERH. TITIO, cui quoque logicam debemus, quæ inscripta est *ars cogitandi*, quoniam logica viam monstrare debet, qua quis cogitationes suas ita dirigere ac formare possit, vt percipiat verum ac falsum.

MEDICINA MENTIS, quam inscribendi rationem adhibuerunt EHRENFRIED WALTHER a TSCHIRNHAVS & IOACH. LANGIVS, quoniam princeps logicæ munus esse debet, vt intellectum humanum a vitiorum sordibus purget ac morbis ipsius medeatur, antequam fiat idoneus ad veritatum cognitionem.

CYNOSVRA MENTIS, quam inscriptionem IO. BAYERVS logicæ suæ constituit.

SENSVS VERI & FALSI, quam adpellationem præ se habet logica ANDREAE RVDIGERI ita nominata, quoniam logicæ finis propositus est, vt cultores veritatis formet aptosque ad sensum veri & falsi reddat.

INTRODVCTIO AD PHILOSOPHIAM AVLICAM, quæ inscriptio placuit CHRISTIANO THOMASIO in primis propter tractandi modum, quapropter ipse præfatione dicit: *inscripsi vero hunc librum meum introductionem ad philosophiam aulicam, quia non tam ipsa præcepta ratiocinandi continuo nexu trado*; (*quæ admodum pauca futura essent, & vix plura, quam quæ Epicurus*

in

in sua canonica iam obseruauit) quam ipsos errores qua Cartesianorum, qua Peripateticorum ostendo. adeoque volui simul falsitatem doctrinæ communis perspicue deducere & ita introductionem hanc meam primario in vsum docentium dirigere, vt cognoscant, me non sine grauibus rationibus a doctrina consueta recessisse, neque adeo ex studio innovandi hanc operam suscepisse. discentium enim & maxime aulicorum tanti non interest, scire errores aliorum, si modo ipsi in vera doctrina recte informentur, vnde poterit facile quis præcepta pauca a controuersiis separare & paruo temporis spatio prudentiam ratiocinandi, in qua alias multiplici modo sudare cogitur iuuentus, auditoribus suis inculcare. de aliis inscribendi modis taceamus.

§. III. Dispiciamus de re ipsa atque breuiter exponamus, quo modo logica definita fuerit a philosophis. ARISTOTELES nullam dedit definitionem, cuius rei caussa controuersia quoque erat inter Peripateticos & PETRVM RAMVM; quum multum diuque disputarent, num & qua ratione posit definiri logica? ceterum quamuis Aristotelis sectatores assererent, logicam esse artem, veritatem & opinionem inueniendi; multas tamen contentiones de definitionis huius partibus, inprimis de genere fecerunt, siquidem præcipue scholastici vehementer acriterque disputarent, num logica sit ars, an facultas, an scientia, an habitus instrumentalis? vide CHRISTOPHORVM SCHEIBLERVM[1] & GERH. IO. VOSSIVM.[2]

1 *introd. logic. cap. I. qu. I.* 2 *de natura & constit. cap. 2.*

cuius-

cuiusmodi disputationem nullius esse momenti censemus, quoniam logica varia ratione considerari adeoque etiam varia genera in definitione ipsius possunt admitti, vti ostendit ANDREAS RVDIGER.[1] PETRVS RAMVS dicebat, logicam esse artem bene disserendi, qua interpretatione a proprio logicæ fine discessit, atque vsum tantum, quem logica in eloquentiæ studiis præstat, ante oculos sibi proposuit. quo & spectat definitio PHILIPPI MELANCHTHONIS, quod sit ars siue via recte, ordine & perspicue docendi. recentiori ætate propius philosophi ad indolem artis huius accesserunt, quod ista spectet ad cognitionem veritatum, atque rationem de cognitis veritatibus communicandi cum aliis, qui quamuis verbis inter se discrepent; re ipsa tamen siue differentia logicæ, quæ eo absoluitur, quod sit doctrina de veritate in genere, quum aliæ philosophicæ disciplinæ expromant veritates speciales, plerumque conueniunt, nisi quod interdum alter altero clariorem dederit definitionem & ad intellectum; alter vero ad ipsam veritatem eiusque cognitionem respexerit. hinc AVCTOR artis cogitandi[2] dicit: *logica est ars, bene vtendi ratione in rerum cognitione acquirenda tam ad sui ipsius, quam aliorum institutionem*, quæ definitio quidem vera est; sed nec satis clara, nec adæquata, quod & dicere possumus de definitione IO. CLERICI,[3] quod logica sit *ars bene ratiocinandi*, quoniam non omnis veritatis cognitio sola ratiocinatione absoluitur. nam veritas est vel certa, vel probabilis: certa nititur vel sola sensuum per-

1 *instit. erudit.* p. 16. ed. 3. 2 *praef.* 3 *praef. logic.* §. 10.

ceptio-

ceptione; vel idearum natura, quæ ope iudicii cognoſcitur, quæ poſterior autem abſoluitur modo enunciatione; modo ratiocinatione, quarum illa pendet a definitione & diuiſione idearum; hæc autem ab indole enunciationis, ſiue principii, vnde deducitur concluſio. vtramque autem veritatem & certam & probabilem cognoſcimus duplici ratione cum inueniendo, tum diiudicando verum & falſum. ex quibus patet quoque, quid ſentiendum ſit de definitione, præcipue in ſcholis ſcholaſticorum celebrata, quod logica ſit *ars conficiendi ſyllogiſmum*, præſertim quum ſyllogiſmus non ſynthetice, veluti medium veritatem inueniendi; ſed analytice, vti modus aliquid ratione quadam probandi conſideratur. IO. BAYERVS[1] exiſtimat, logicam eſſe *inſtrumentum quoddam vniuerſale, modum commonſtrans menti res quaſcunque cognoſcendi, expendendi & communicandi*; & IO. FRANCISCVS BVDDEVS[2] dicit: *prima pars philoſophiæ inſtrumentalis, quam logicam dicere moris eſt, intellectus vitiis medetur eumque aptum reddit ad veritatem inueſtigandam & inueniendam.* EPHRAIM GERHARDVS[3] cenſet, *logicam eſſe diſciplinam cognoſcendi, diiudicandi & communicandi veritatem*, qua definitione id tantum monemus, quod auctor ſine cauſſa videatur diſtinguere rationem cognoſcendi a ratione diiudicandi veritatem, quum cognitio ſit idea generalis, quæ complectitur & inuentionem & iudicium veri & falſi. ANDREAS RVDIGER[4] hanc tradit

[1] *cynoſur. ment. pr. §. 2. p. 1.* [2] *part. I. phil inſtrum. c. 1. §. 1.*
[3] *delin. phil. rat. lib. I. c. III. §. 20.* [4] *inſtitut. erud. p. 14 ed. 3.*

defini-

definitionem: *logica est doctrina rectæ rationis, de veritatis in genere natura & indole & hinc consequendo sensu veri & falsi*; vt de aliis taceamus, quas omnes recensere, opus esset superuacaneum, præsertim quum ex his, quæ dicta sunt, liceat cognoscere, quod recentiori ætate indoles huius disciplinæ in aperto posita fuerit verius.

§. IIII. Nunc videamus de *diuisionibus logicæ*. ARISTOTELES nullam diserte exhibuit diuisionem, nec eo ordine scripta logica, quo organo continentur, composuit, quamvis inter cognitionem veritatis, certam & probabilem posuerit discrimen. interpretes ipsius ac sectatores, quum de meliori disciplinæ conditione cogitarent, instituerunt diuisionem; sed non vna eademque ratione. alii enim, præcipue PHILOPONVS & SIMPLICIVS diuidunt logicam in ἀναλυτικὴν & διαλεκτικὴν, vtramque autem artem comprehendunt communi nomine συλλογιστικῆς. sed antequam hæc discatur, debeat præmitti pars logicæ στοιχειολογική, quæ comprehendat categoriarum librum & de interpretatione. analyticam autem & dialecticam habent pro diuersis artibus, quarum illa sibi proponeret verum; hæc autem simile vero, qua in re peccarunt contra diuisionis regulam, quoniam vtrumque & certo verum & probabile veluti species veritatis vno comprehenduntur genere, id quod ex inscitia demonstrationis & probabilitatis, quam minus recte posuerunt in opinione, ortum est. quodsi veritas logica, quæ a cogitationum conuenientia cum sensione pendet, non aliter diuidi potest, haud videmus, cur doctrinam de demon-

demonstratione a doctrina de probabilitate plane diuersam statuamus, quum tantum ratione gradus differant. vtraque doctrina vnam constituunt disciplinam, quamuis distincte propter diuersum cognoscendi modum proponendam esse, omnino fateamur, quo labore omnium felicissime functus est ANDREAS RVDIGER. cum hac diuisione conuenit illa GERH. IO. VOSSII,[1] quod logica diuidi possit in στοιχειολογικὴν & συλλογιστικὴν: συλλογιστικὴ in ἀναλυτικὴν & διαλεκτικὴν: ἀναλυτικὴ in προτέραν καὶ ὑστέραν: διαλεκτικὴ in τοπικὴν καὶ σοφιστικήν. alii ex Peripateticis fundamentum diuidendi petunt a diuersis intellectus operationibus, quæ sint simplex perceptio, iudicium & ratiocinatio, ad quas etiam libros logicos Aristotelis accommodant, ita vt agant *primum* de prædicamentis, prædicabilibus, definitione ac diuisione; *deinde* de enunciatione & *tertium* de syllogismo ratione cum formæ communis, tum triplicis materiæ. cum qua diuisione consentit illa, qua logica diuiditur in partem communem, quæ absoluatur generatim libris de syllogismo; & propriam, quæ speciatim tractet de syllogismo demonstratiuo, topico & sophistico. ex quibus Peripateticorum diuisionibus iterum cognoscere possumus, quod omnes curas ac meditationes logicas contulerint ad struendum syllogismum. STOICI duas logicæ partes constituebant *rhetoricam* & *dialecticam*, quibus nonnulli tertiam addiderunt *definitiuam*: SENECA[2] dicit: διαλεκτικὴ *diuiditur in duas partes: in verba & significationes: id est res quæ dicuntur, & vocabula, quibus*

[1] *de natura & constit. log. cap. IX. §. 12.* [2] *epist. LXXXIX.*

bus dicuntur, quæ quod dicantur ex mente Stoicorum, patet ex DIOGENE LAERTIO.[1] quam diuisionem haud probare possumus, quamuis recentiori ætate quidam existimauerint, eloquentiam partem logicæ absoluere. non negamus, quod logicæ magister iure ac merito agere possit ac debeat de terminis, item demonstrare, quo quis suas meditationes aliis possit proponere, quæ omnia autem philosophica ratione debent fieri. scilicet terminos, qui considerari possunt modo grammatice, modo philologice, modo oratorie, modo philosophice, explicat veluti philosophus ratione idearum; in doctrina autem, quomodo veritas cognita proponenda sit aliis, considerat tantum talem expressionem, quæ cogitationibus nostris respondeat accurate, & talem demonstrationem, quæ methodo auditori & rei recte adcommodata nitatur. nec negamus, quod sine philosophia nemo veram eloquentiæ laudem consequatur; at vero iis de caussis doctrinam oratoriæ, quæ pro sua propria indole peculiarem in litteris humanioribus disciplinam constituit, ad logicam referre, esset incongruum. verus philosophus de eo sollicitus est, vt cogitationum communicatio per sermonem fiat clara & adæquata; orator autem adhuc ornatum quemdam sectatur, quo & animos auditorum capere, commouere ac delectare possit, atqui id constituit eloquentiam. philosophus respicit intellectum aliorum; orator non solum intellectum; sed & voluntatem; philosophus & rebus earumque ordi-

1 *Lib. VII. segm.* 41.

ne

ne & verbis adſtrictior, quam orator, cui vtroque maior eſt licentia. recentiori tempeſtate philoſophi varias quoque logicæ diuiſiones fecerunt. PETRVS RAMVS duas logicæ partes *inuentionem* & *diſpoſitionem argumentorum* ſiue *iudicium* conſtituit, quam diuiſionem habet quoque CICERO, [1] & illuſtrat GERH. IO. VOSSIVS. [2] quum enim RAMVS perſuaderet ſibi, logicam eſſe artem diſſerendi, adeoque diſciplinam hanc inprimis ad eloquentiæ vſum adplicaret, illius quoque in hac diuiſione habuit rationem. multi retinuerunt Peripateticam diuidendi rationem pro diuerſis mentis operationibus, quarum tres, ideam, iudicium & ratiocinationem ſtatuunt; alii vero adhuc quartam, methodum ſiue diſpoſitionem addunt, & hinc quoque logicæ quatuor conſtituunt partes, quo pertinent A V-CTOR *artis cogitandi*, IO. CLERICVS, PETRVS GASSENDVS, I. P. de CROVSAZ & alii. quam viam ſecutus quidem vir venerandus IO. FRANCISCVS BVDDEVS, ac ſecundum operationes facultatesque intellectus doctrinam de cognitione veritatis propoſuit; ſed vti integras philoſophiæ diſciplinas ad medicorum methodum adcommodauit; ita eandem in arte logica obſeruauit, quapropter egit capite primo de *intellectu humano eiusque operationibus & facultatibus*; capite ſecundo de *intellectus humani vitiis & imbecillitatibus*; tertio de *intellectus humani ſanitate virtutibusque* ac quarto de *mediis emendandi intellectum ſanitatique reſtituendi.* ac quamuis ex

1 *Princ. topicor.* 2 *de natura & conſtitut. logic. cap. IX. §. 2. ſeqq.*

antiquioribus iam PHILO, discipulus CLITOMACHI teste STOBAEO philosophum similem esse medico dixerit, vide THOMAM STANLEIVM;[1] ex recentioribus vero VINCENTIVS PLACCIVS in doctrina ad mores spectante eundem tractandi modum sit secutus; venerandus tamen BVDDEVS istum multo magis ornauit, atque ad omnes philosophiæ partes adplicauit. alii ipsam logicæ doctrinam eiusque finem fundamenti loco posuerunt, ac diuiserunt istam in logicam *theoreticam* & *practicam* quarum illa tradat præcepta de veritate cognoscenda; hæc autem ostendat, quomodo præcepta cum in meditatione, tum communicatione veritatum debeant adplicari: atqui hæc diuisio placuit CHRISTIANO THOMASIO & RVDIGERO. hic enim *parte theoretica* differit de modis inueniendi & iudicandi verum, eamque iterum diuidit in duas sectiones, quarum altera naturam *demonstrationis*; altera *probabilitatis* persequitur; *parte practica* autem agit de meditatione synthetica & analytica. adhæc illustris THOMASIVS in *introductione ad philosophiam aulicam* prudentiam ratiocinandi diuidit in *partem communem*, quæ exhibeat doctrinas ad omnes eius partes speciales pertinentes; & *propriam*, quinque ratiocinationis momenta considerantem *meditandi*, *proponendi*, *intelligendi*, *iudicandi* & *contradicendi*. quam diuisionem instituerit IO. CLAVBERGIVS, iam superioribus [2] exposuimus.

1 *Hist. philos. p.* 408. 2 *lib. II. cap.* 1. *sect.* 3. §. 18.

§. V.

§. V. Placet nobis illorum diuiſio, qui logicam diuidunt in partem *theoreticam* & *practicam*. *theoreticam* autem iterum diuidimus in duas partes, quarum altera eſt *generalis*, ac tradit partim doctrinam de veritate generatim; partim media omni veritati, ſiue ſit certa; ſiue probabilis, cognoſcendæ neceſſaria, quo ſpectat doctrina de *recta ratione* veritatis ſubiecto; de *ſenſione*, veritatis in genere primo principio atque vltimo criterio; ac de *idea*, veritatis in genere principio ſecundo & criterio proximo; vel *ſpecialis*, quæ oſtendit modos ſpeciales inueniendi & diiudicandi verum cum *certum*, quo ſpectat doctrina de definitione ac diuiſione, de enunciationibus, de variis modis ratiocinandi; tum *probabile*. ad partem *practicam* autem pertinet doctrina de meditatione ac ratione veritates proponendi. inſtituamus igitur, has doctrinas ex hiſtoriarum monimentis illuſtrare, atque initium capere a doctrina de *intellectu humano*, de quo plerique logicorum nec ſine rationibus agunt. intellectus autem humanus duplici ratione debet conſiderari: *primum* ſecundum indolem ſuam naturalem, qua eſt tantum facultas cogitandi; *deinde* ſecundum inſtitutam per regulas atque exercitationem culturam, qua eſt facultas bene cogitandi & dicitur *recta ratio*, quod vtrumque hac hiſtoria reſpiciamus. quod ad prius momentum adtinet, quum intellectus humanus conſideratur vt lumen naturale, duplex quæſtio illuſtranda, quarum altera eſt: *quid ſit hic intellectus?* cuius indoles quum ſit ſpiritui propria, ex eius operationibus patet, quibus cognitis, apertæ quoque

fiunt ipsius facultates, a quibus operationes pendent. quapropter dispicere necesse est, quid de vtroque senserint philosophi, id quod haud diligenter a doctoribus logicæ antiquis fuit expositum. nec pro sua opinione, in quam de indole animæ humanæ ingressi fuerant, quidquam bene ac recte poterant cogitare, aut meditationibus adferre, quod ad ornandam iuuandamque disciplinam logicæ robur haberet quoddam, quum animum humanum ex mente diuina haustum tractumque; corpus autem ac materiam mali fontem esse existimarent. quæ opinio animis præcipue Platonicorum ac Stoicorum erat insita; ac Aristoteles eiusmodi sententiam de intellectu agente fouebat, quæ impietatis plenissima ac tam magno philosopho penitus indigna. plerumque tres operationes intellectus numerantur, *simplex apprehensio*, *iudicium*, *syllogismus* siue *discursus*, quibus alii addunt quartam, *methodum*, siue *dispositionem*; nec desunt, qui & hunc numerum amplificant, quæ controuersia nullius est momenti, ac ideo a multis agitata, vt rationem tractandi logicam tuerentur. rectius itaque sentiunt, qui omne id, quod in intellectu fieri solet, cum *passione* siue sensione; tum *actione* siue cogitatione, modo memoriæ, modo ingenii, modo iudicii absolui putant. notum est, quod SCHOLASTICI triplicem animam *vegetatiuam*, *sensitiuam* & *rationalem* esse sibi persuaserint, ac putauerint, quod *media* fungatur sensione externa atque interna, ad quam posteriorem pertineant *sensus communis*. *phantasia* & *memoria*, qua doctrina perturbant actiones & passiones intellectus, siquidem

dem phantasia & memoria non sunt passiones, qualis est sensio; sed actiones intellectus. memoriæ autem duplex officium adtribuunt, *vt species omnes sensibiles iudicatas atque cogitatas, tanquam depositum recondat & seruet, easque, quum opus fuerit, expromat*; ac phantasiam vocant, *quæ species a sensu communi perceptas vel a se formatas diutius retineat, ac diligentius examinet.* tandem sensus communis ipsis est, *qui omnium exteriorum sensuum species adprehendit, a se inuicem discernit & cognoscit*, quæ definitio satis declarat, quam obscure sibi & perturbatim mente sua proposuerint sensum communem, compositum ex sensione & iudicio. animam *rationalem* a vegetatiua & sensitiua ita distinguunt, quod ita instrumentis corporis haud vtatur, cuius intellectus sit *facultas animæ species intelligibiles intelligens, cognoscens atque diiudicans.* recentiores philosophi quum obseruarent, quam male, obscure ac confuse doctrina hæc sit tradita, siue voces hæ scholasticorum diuersas substantias, siue diuersas facultates debeant significare; pro officii sui ratione istam reiecerunt ac de alia, quæ maiorem veritatem vtilitatemque præ se haberet, cœperunt cogitare. atqui labore hoc functus est CARTESIVS, quamuis haud feliciori successu, quando de indole animæ, ac speciatim quoque intellectus ita sensit, vt grauissimis atque apertis erroribus, etiam si accuratius istos inspiciamus, impiis opinionibus se implicuerit. namque primum putauit, naturam mentis humanæ contineri in cogitandi viribus; [1] dein-

1 *Medit. II.*

de vero posuit duo cogitationum genera, quarum aliæ sint actiones animæ, id est cupiditates voluntatis; aliæ vero passiones, per quas ipsum intelligit intellectum: [1] quin etiam persuasit sibi, omnes actiones animæ nostræ esse voluntatis, siquidem dicit: [2] *cupere, auersari, affirmare, negare, dubitare sunt diuersi modi volendi.* cuius confusionis summa in eo sita est, quod cogitationem perturbauerit cum sensione & motibus voluntatis, siquidem ita [3] scribit: *sed quid igitur sum? res cogitans; quid est hoc? nempe dubitans, intelligens, affirmans, volens, nolens, imaginans quoque & sentiens*, quæ verba magnam produnt confusionem. etenim si vox *cogitare* apud Cartesium notat & passionem & actionem, est nomen duplicis significationis, quod Cartesius, quum naturam mentis absolui cogitatione existimat, minus potuit adhibere, nisi ipsum essentiam animæ æquiuocam statuisse dicere velimus, id quod esset absurdum. sic igitur cogitatio significat aut *actionem*, ex quo sequitur sensionem, quæ passio est, haud speciem esse cogitationis; aut *passionem*, hinc etiam ex Cartesii sententia cupiditas voluntatis minus referri potest ad cogitationem, siquidem existimat, actionem animæ tantum pertinere ad voluntatem. quid multa? quisque vi sensionis atque experientiæ certior reddi potest de Cartesii errore, quod intellectus semper patiatur; voluntas vero agat, nosque non intellectu; sed voluntate iudicemus de rebus. atqui constat ex superioribus, quod Cartesius iudicium

1 *De passionib. part. I. art. 17.* 2 *princ. part. I. §. 32.*
3 *medit. II.*

retu-

retulerit ad voluntatem, quod etiam ipſius ſectatores fatentur diſſerte. 10. CLAVBERGIVS [1] dicit: *vulgo iudicium referunt ad intellectum; ſed male*; LVDOVICVS de la FORGE: [2] *vt bene diſtinguamus duarum harum primarum & principalium potentiarum, intellectus & voluntatis, notemusque quousque ſe extendant fines earum ac limites, attende, quod quando concipimus rem aliquam, e. g. cogitationem, conceptus, quem de ea habemus, eſt actus noſtri intellectus, hoc eſt potentiæ, quam habemus percipiendi: verum quando porro ex omnibus illis, quæ in ea percipimus, aſſentimur, cogitationem non eſſe extenſam, aſſenſus ille, quem damus, eſt actus noſtræ voluntatis, non minus, quam quum indicamus, rem aliquam eſſe bonam aut malam, nosque propterea in animum inducimus, eam ſequi aut fugere*: adde ANTONIVM le GRAND, [3] PHILARETVM, [4] WITTICHIVM, [5] aliosque philoſophiæ Carteſii æſtimatores. quam falſa ſit hæc ſententia, aperte ex iudicii indole, propria ſenſione atque abſurdis concluſionibus, quæ inde ſequuntur, patet, vt non neceſſe eſſe putemus, multam operam in confutanda iſta conſumere. id autem nos deducit in admirationem, quod magiſtri philoſophiæ Carteſii logicam morbis ac vitiis intellectus euellendis conſecrent ac fateantur, quidquid arte hac contineri, ad intellectum, non ad voluntatem pertinere; attamen de iudicio quoque hac diſciplina tra-

1 *Not. ad Carteſ princ. p. 1. §. 32, p. 501. opp.* 2 *de mente humana cap. 8. §. 4. cap. II. § 17.* 3 *inſtit. philoſoph. part. I. pag. 59.* 4 *ethic. cap. III. §. 1.* 5 *theol. pacific. §. 47. anti-Spinoz. part. 2. prop. 35.*

ctent. sic ANTONIVS le GRAND quatuor logicæ partes constituit, quarum prima de ideis; secunda de iudicio siue propositionibus; tertia de discursu ac quarta de methodo agit: & IO. CLAVBERGIVS in *logica contracta* tres logicæ gradus facit, quorum primus intellectum ab obscuritate & confusione; secundus iudicium a dubitatione & errore, ac tertius memoriam ab obliuione liberet.

§. VI. Non possumus, quin mentionem faciamus IO. CLERICI, qui [1] putat, septem præcipuas mentis facultates esse, *intellectum, voluntatem*; *sentiendi facultatem*; *libertatem*, *phantasiam*, *memoriam*, *habitum*, ac per intellectum intelligit *eam mentis facultatem, qua res prorsus incorporeas intelligat*; ac voluntati iudicia quoque adtribuit, aliaque a communi opinione aliena tradit. at vero clarissimus vir plures species præter necessitatem constituit, ac quum intellectum opponat phantasiæ ac memoriæ, voce hac aliena vtitur significatione, siquidem alias phantasia & memoria habentur species facultatum intellectus. nec videmus, cur *habitum* inter mentis facultates, veluti peculiare earum genus referat, quum ille eiusmodi facultatum statum significat, quo per culturam exercitationemque aptiores ad efficiendum aliquid facilius sunt redditi, adeo vt nullus habitus esse possit sine facultate naturali. adhæc *libertatem* quoque vt peculiarem facultatem considerat, quod & IO. LOCKIVS fecit, & inde deduxit conclusionem, istam non posse vindicari voluntati, quæ & ipsa sit facul-

1 *Pneumatol. sect. I. cap. 3. & 4.*

tas,

tas, nisi dicere velis, facultatis dari facultatem, quod risu sit dignum. [1] sed venerandus IO. FRANCISCVS BVDDEVS [2] bene hæc obseruat: *at id sibi sumit LOCKIVS, non temere illi concedendum a quibusuis, libertatem esse facultatem seu potentiam distinctam a voluntate. est enim proprietas quædam voluntatis, in eius operationibus conspicienda.* nec silentio dimittere possumus sententiam PETRI POIRETI [3] de mente humana eiusque facultatibus, quippe quas in diuinas & inferiores diuidit. *diuinarum* numerat modo tres, *desiderium infinitum, intelligentiam*, quam & adpellat *intellectum passiuum*, & *adquiescentiam*; modo quatuor & addit *libertatem*; modo septem hoc ordine: *desiderium tenebrosum; agitationem inquietam; sensum viuidum ac discruciantem; impetum cum ardore; intelligentiam, adquiescentiam; subsistentiam animæ perfectam*, quibus facultatibus fundamenti loco ponit *fundum animæ*, de quo dicit: [4] *& hic quidem est ille animæ fundus tantopere nonnullis celebratus, quem nulla creatura, nec vero ipsamet creata mens, non modo replere, sed nec quidem mouere aut attingere possit: locus ideis vacuus, thronus Deo æterno sacer, eiusque solius æternas impressiones suscipere aptus.* facultatum vero *inferiorum* tres statuit species, *rationem, imaginatricem*, ac *facultates sensibiles*, cuiusmodi doctrinam relinquimus POIRETO, nec forsan sine rationibus existimamus, quod neque ingenium Poireti germanam

1 *De intellectu human. lib. II cap. 21.* 2 *instit. theol. moral. p. I. c. I. s. 4. §. II. not.* 3 *œcon. diuin. lib. I. cap. 15. 20. 23.* 4 *de eruditión. lib. I. p. 4. §. 4. p. 147.*

philo-

philosophiam; neque germana philosophia Poireti ingenium capiat. vulgaris philosophorum opinio est, quod intellectus humanus praeditus sit triplici virtute, memoriae, ingenii ac iudicii, quarum diuersitatem experientia, fidelis solidaque multarum rerum magistra confirmat. obseruamus enim, esse homines, qui grauiori pollent iudicio; in rebus autem memoriae aut ingenii nihil praestare possunt praeclari; quum contra alii aut memoria aut ingenio, aut vtroque valent multum; sed in eiusmodi negotiis, quae iudicii vim postulant, prosperiori destituuntur successu. anno MDCCXVII. prodiit *tractatus metaphysico-physicus de rationis natura, incremento, maturitate, decremento aliisque affectionibus* auctore FRIDERICO MVZELIO, quo multa momenta continentur, quae doctrinas logicas possunt illustrare; num autem auctor argumento huic satisfecerit, nec ne? id aliis iudicandum relinquimus.

§. VII. Nec defuerunt, qui singulas intellectus facultates speciatim explicare, atque in istas inquirere instituerunt, ad quam operam nonnulli *memoriae caussa* praecipue sunt adgressi. memoria diuiditur in *naturalem* & *artificialem*, quae quum interdum sit infirmior, cogitare coeperunt de variis mediis modo medicis ac physicis; modo arte quadam paratis, quibus istam excitari ac firmari posse, sibi persuaserunt. atqui sunt, qui huiusmodi mediorum varia recensent media, qualia sint logica, rhetorica, ethica, politica, & mnemonica speciali ratione sic dicta, quam in rem multi conscripti sunt libri, quos commemorant DANIEL

NIEL GEORGIVS MORHOFIVS [1] & GEORGIVS PASCHIVS. [2] recentiſſimus argumenti huius auctor eſt MARIVS D' ASSIGNY, qui gente anglus opus breuius de arte memoriæ compoſuit, quod etiam in teutonicum ſermonem noſtrum translatum atque obſeruationibus fuit illuſtratum. alii de *imaginationis* indole ac viribus explicandis extiterunt ſolliciti, quæ a plerisque quoque græca voce adpellatur *phantaſia*, quamuis accuratius ac verius *imaginatio* ipſam facultatem; *phantaſia* ipſius effectum ſignificat, de qua mentis vi non vna eademque philoſophis fuit opinio. PLATO duas facultatis huius poſuit ſpecies, quarum altera ſit εἰκαστική, quæ veras efficiat ſimilitudines; altera vero φανταστική, quæ in fictionibus verſetur. STOICI quum differerent de rebus, quæ ſint in anima, illas duplici ratione conſiderarunt, ac quidem vno modo quum ſint impreſſiones quædam in principe parte, hoc eſt ipſa mente atque intellectu factæ, quas dixerunt φαντασίας, ac per *phantasmata* intellexerunt *viſa*, cuiusmodi ſint ea, quæ in ſomnis aut per animi furores adpareant. qua ratione fiat phantaſiæ impreſſio, hac de re diſcrepant ſententiis; omnes autem facile inter ſe conſentiunt, dari quamdam præcipuam phantaſiam, quam καταληπτικὴν, *comprehenſionem* dicunt, quæue ſit vna & veritatis regula: confer PETRVM GASSENDVM, [3] & THOMAM STANLEIVM. [4] PERIPATETICI putant, phantaſiam eſſe *ſenſum internum, qui*

1 *Polyh. litt. lib. II. cap. 6.* 2 *de inuentis nou-antiquis cap. II. §. 33.* 3 *de orig. & varietate logic. cap. VI. pag. 50.* 4 *hiſt. philoſ. p. 556.*

ſpecies

ſpecies ſiue ideas a ſenſu communi oblatas vel etiam a ſe diutius retineat ac diligentius examinet. CARTESIANI quum animam diuiderent in *puram* atque *impuram*, factum inde eſt, vt animæ impuræ tres facultates, *imaginatio, appetitus ſenſitiuus* & *memoria ſenſualis* a multis conſtituerentur, qui per imaginationem intelligunt facultatem mentis, imagines per ſenſus externos ope ſpirituum animalium impreſſas percipiendi, conſiderandi, ſeparandi, componendi, dirigendi, aliaque ratione circa eas verſandi: confer AVCTOREM *artis cogitandi*, [1] IO. CLERICVM, [2] IO. FRANCISCVM BVDDEVM.[3] ceterum quum CARTESII ſectatores actionem ſoli tribuunt voluntati, mirum non eſt, quod MALEBRANCHIVS [4] adfirmauerit, imaginationem dependere a voluntate. ANDREAS RVDIGER [5] exiſtimat, quod ad memoriam pertineat *imaginatio*, quæ nihil ſit aliud, quam receptio idearum ex viſu enatarum; non confundenda cum phantaſia, quippe quæ ingenii ſit operatio: nec cum imaginatione magica, quæ ſit imagiuatio memoriæ cum firma perſuaſione de ſucceſſu intentionis. atqui experientia ſatis confirmat, eſſe quamdam occultam abditamque imaginationis vim, quam vehementem multi non ſolum in anima; ſed corpore quoque perceperunt, qua de re egerunt FRANC. PIC. MIRANDVLA, [6] THO-

1 *Part. I. cap. I.* 2 *pneumatol. ſect. I. cap. 4.* 3 *phil. pract. p. I. cap. 2. ſect. 2. §. 4. ſeqq. theolog. moralis part. I. cap. I. ſect. 5.* 4 *de inquirenda veritate lib. 2. c. I. §. 2.* 5 *de ſenſu veri & falſi lib. I. cap. 2. §. 27. add. phyſicam diuinam pag. 182.* 6 *tr. de imaginat.*

MAS FIENVS,[1] HONORATVS FABRI,[2] CAESAR CREMONINVS,[3] GERH. IO. VOSSIVS,[4] GOTTL. FRIDERICVS SEELIGMANN,[5] IO. FRANCISCVS BVDDEVS,[6] LVDOVICVS CHRISTIANVS CRELLIVS,[7] IO. IACOBVS SYRBIVS.[8] quæ doctrina de occulta vi imaginationis haud spectat ad logicam, quibus de caussis non est, quod argumentum illustremus copiose.

§. VIII. Quibus viribus quamuis cuiusque intellectus sit præditus; non vna tamen eademque virtus illarum apud omnes deprehenditur, ita vt modo memoria ingenio; modo ingenium iudicio; modo iudicium ingenio, aut memoria suo vigore sint superiora. atque inde gignitur diuersa indoles ingeniorum, quam & *temperamentum intellectus* dicere ac tria illius genera, temperamentum *corporis, intellectus ac voluntatis* ponere possumus. fuerunt quoque, qui operam suam in exponendis ingeniorum diuersis speciebus consumserunt cum generatim, quo spectant ANTONIVS ZARA,[9] IO. BARCLAIVS,[10] IO. CHRISTIANVS LANGIVS;[11] tum speciatim ratione habita culturæ litterarum, vt ostenderent, quænam ad istam sint idonea, quænam minus apta, cuiusmodi sunt IANVS HVARTVS,[12] EDMVNDVS RICHERIVS,[13]

1 *De viribus imaginat.* 2 *de homine lib. III.* 3 *de sensibus tr. II. lib. 4.* 4 *de idololatr. gent. lib. I. c. 8.* 5 *exercit. acad. n. XI.* 6 *thes. de atheismo & superstit. cap. X. pag. 778.* 7 *disp. de imagin. in mentem corpusque imperio.* 8 *philos. prim. pag. 445.* 9 *anatomia ingeniorum & scientiarum.* 10 *icone animorum.* 11 *protheoria erudit. human. cap. IV. quaest. 40.* 12 *scrutinio ingeniorum cap. II.* 13 *obstetrice animor. cap. IV. §. 7.*

NEV-

NEVHVSIVS, [1] DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, [2] IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [3] nobilissimum est argumentum ac dignum, quod vberius ac pro rei dignitate explanetur, quum ex cognitione huiusmodi indolis magna pars prudentiae adeoque felicitatis pendeat. diuersitas autem ingeniorum duplici modo debet considerari: primum generatim, vt obseruemus, quot illorum sint species, ac quaenam naturalis bonitas sit aestimanda, quam non ex vigore facultatum; sed voluntate ac fine diuino debemus metiri. etenim Deus ideo beneficium rationis in nos contulit, vt illius ope veritates cognoscere harumque luce viam ad felicitatem inuenire possimus: quapropter iudicii virtus inter alias summa eminet dignitate, cui memoria, etiam in probabilitate ingenium inseruire, atque auxilium ferre debent. ex quibus colligimus merito, illum naturali eaque vera bonitate esse praeditum, qui ad iudicandas res aptum se esse deprehendit, quum contra nimius vigor facultatum memoriae & ingenii, quando iudicium debilius est, partim *confusionem*; partim vero *stultitiam* gignat. deinde vero hanc ingeniorum diuersitatem speciatim per culturam litterarum, quae quum diuersi sint generis, varia quoque postulant ingenia, si felicior euenire debeat successus, exponendam esse censemus, cuius rei caussa praecipue scholarum magistri officium suum deberent obire, vt ingenia candidatorum musarum explorarent studiose. nobis obiicere quis posset, argumentum hoc

1 *theatro ingenii humani lib. I. cap. I.* 2 *polyhistore litterar. lib. II. cap. I.* 3 *de cultura ingenii cap. II. §. 8. sqq.*

de

de ingeniorum indole nullum habere commercium cum disciplina logica, nosque ideo attingere aliena a proposita dissertatione. sed quid respondeamus, iam habemus. nam quamuis logicæ doctores hac de re nihil fere adhuc disputauerint; meliorem ac præstantiorem tamen hac accessione effecissent doctrinam, si saltim demonstrassent, quod ingenium ad philosophiæ culturam sit aptum, quæue genuina ac salubris cogitandi libertas. multi sane auctores logicarum eam tractandi rationem obseruarunt, vt etiam de eruditione generatim disseruerint, qua occasione commode argumentum hoc attingere atque explanare potuissent. si quis autem materiam de eruditione eiusque cultura a logicæ disciplina separare atque opera singulari cum de hoc argumento, tum de diuersitate ingeniorum disputare, consultius esse putaret, ei quidem repugnare nolumus: quin etiam fatemur, doctrinam de ingeniorum generibus varia ratione posse considerari, modo per cultum scientiarum; modo per prudentiam viuendi, si modo logicæ doctor exponat, quodnam ingenium aptum sit ad philosophiæ culturam.

§. VIIII. Illustrauimus igitur doctrinam de natura intellectus humani. nunc videamus, *quomodo* ille a philosophis fuerit *diuisus*, quod est alterum momentum heic obseruandum. scilicet triplex illius diuisio in multorum doctorum scholas recepta est. *prima* est, qua diuiditur in intellectum *actiuum & passiuum*, quæ si mitiori ac sana sententia explicatur, ita vt actiuus respiciat cogitationem; passiuus vero sensionem, haud reiicienda est, siquidem

intellectus mouetur ac ſeſe mouet. at vero quam male ſenſerint veteres philoſophi, id ſuperioribus [1] a nobis expoſitum eſt copioſe. *ſecunda* diuiſio eſt, quod intellectus ſit vel *purus*, vel *impurus*, cuius fundamentum in eo plerique ponunt, quod anima agat modo inſtrumentis corporis adiuta; modo ſine iisdem, hincque eius facultates diuidunt in puras & impuras ſiue mixtas, quas poſteriores *imaginatio* & *adpetitus ſenſitiuus* conſtituant. *tertium* intellectum vel *theoreticum* vel *practicum* eſſe dicunt, quorum ille res ad contemplationem tantum ſpectantes; hic vero momenta vitæ atque actionum humanarum conſideret. atqui multi ſunt, quibus hæ diuiſiones ſeſe commendarunt; nonnulli autem duas poſteriores haud magnifecerunt, iis de cauſſis adducti, quod minus ſolido nitantur fundamento, cuius ſingularem rationem habere debeamus, ne pro arbitrio; ſed pro veritate cognoſcenda inueniendaque, cuius medium eſt diuiſio, res diuidamus in partes ac ſpecies. namque dicunt, neque commercium corporis cum anima, propter quod diuiditur in puram atque impuram; neque diuerſitatem rerum, cuius cauſſa dicitur modo theoreticus, modo practicus, intellectus diuerſitatem efficere; ſed ſemper eſſe vnum eumdemque intellectum. at vero, ſi inter membra diuiſionis ne vlla quidem differentia eſſentiæ illius rei, quæ diuiditur, eſt, iſta ſane diuiſio nullam habet vim ad cognitionem veritatis, id quod præcipue adverſus ſcholaſticos decet obſeruari: confer ANDREAM RVDIGERVM [2] & EPHRAIM

1 *pag. 302. ſeqq.* 2 *de ſenſu veri & falſi lib. I. cap. 9. §. 33.*

GER-

GERHARDVM.[1] nam vltimum diuisionum genus PERIPATETICI inprimis tradiderunt; secundum vero CARTESIANI, ac primi ipse ARISTOTELES dedit occasionem.

§. X. Hactenus de intellectu humano secundum indolem naturalem, quem quum sit facultas cogitandi, logica ad veritatum cognitionem formare & effingere debet, huncque in finem non solum præcepta de vero ac falso cognoscendo; sed & modum doctrinam adplicandi seque in meditatione exercendi tradit, vt inde gignatur *recta ratio*, siue facultas bene cogitandi. cuius solius ope ad sensum veritatis eruditæ ac philosophicæ peruenimus, quem vt cultores sapientiæ capiant, necesse est, in disciplina logicæ demonstrare partim *vsum rectæ rationis ac veram cogitandi libertatem*; partim doctrinam de *meditatione* explanare diligenter, ac viam ostendere, qua quis rectam assequatur rationem. quid senserint philosophi de priori momento, siue de vsu rectæ rationis legitimo, iam breuiter quidem exponere, ac primum quidem ipsum illius vsum generatim; deinde vero speciatim ratione sacrarum scripturarum, siue luminis gratiæ respicere vellemus; nisi vtrumque momentum a plerisque logicarum scriptoribus, non sine artis huius atque inde sperandæ vtilitatis detrimento silentio dimissum fuerit, quod quum obseruaret ANDREAS RVDIGER,[2] quædam de *carceribus rationis* edisseruit. extitit quidam natione anglus ANTONIVS COLLINVS, auctor libri de *libertate cogitandi*, qui

1 *delin. phil. rat. lib. I. cap. 4. §. 57.* 2 *de sensu veri & falsi lib. I. c. 5. §. 16. seqq.*

primum Londini MDCCXIII. lingua anglica; posthac gallica MDCCXIIII. Londini & iterum MDCCXVII. Amstelædami sub inscriptione: *discours sur la liberté de penser* prodiit, quippe quo COLLINVS maximo erga theologos odio occupatus id agit vnice, vt de industria omnem veram certisque limitibus circumscriptam cogitandi libertatem euertat, eamque cum licentia praua quiduis sentiendi confundat. sic illustre hoc argumentum, quod iure ac merito vindicat sibi logica, peruerse exposuit, ac vt improbitatis suæ atque aliorum ageret caussas, sectari se libertatem cogitandi, videri voluit; re ipsa autem fontem aperuit, vnde errores atque impiæ opiniones promanant. quapropter non immerito libidinem hominis huius in ipsa Anglia profligarunt, præcipue SAMVEL PYCROFT *in breui disquisitione de libertate philosophandi in rebus ad religionem spectantibus*, Cantabrigiæ MDCCXIII. RICHARD BENTLEIVS sub nomine PHILALEVTHERII LIPSIENSIS *in animaduersionibus in nuperum discursum de cogitandi libertate*, Londini MDCCXIII. præter quos aduersus ipsum disputarunt I. P. CROVSAZ *in exam. du traité de la liberté de penser*, Amstelodami MDCCXVIII. & ex germanis IO. FRANCISCVS BVDDEVS *commentatione de libertate cogitandi*, Ienæ MDCCXV. GOTTLIEB SAMVEL TREVER disputatione de *limitibus libertatis cogitandi*, Helmstadii MDCCXIIII. CORNELIVS DIETERICVS KOCHIVS *disquisitione philosophica de sententia media in dissertationem nuperam de libertate cogitandi*, Helmstadii MDCCXIIII.

MDCCXIIII. CHR. MATTH. PFAFFIVS *dissertatione priore de praiudiciis theologicis* §. XXIII. not. (i) quamuis autem praeter PYCROFTIVM & BENTLEIVM non solum in Anglia voluntatis divinae interpretes aduersus librum hunc dixerint grauiter; sed viginti quoque scripta & adhuc plura a diuersis auctoribus composita contra COLLINVM in publicam emissa sint lucem; fuerunt tamen, qui caussas ipsius tueri ac in dissertationibus defendere instituerunt. ipse liber diuisus est in tres partes, quarum prima continet definitionem libertatis, *quod sit licitus mentis nostrae vsus, quo elaboremus, sententiam cuiusuis propositionis aperire, considerando rationes, quae istam aut confirmare aut infringere possent, vt de ea feramus iudicium pro dignitate argumentorum.* secunda parte commonstrare vult, quam necessaria sit cogitandi libertas; ac tertia obiectiones remouet ac varios commemorat, qui libertatem hanc vsurpassent, SOCRATEM quippe, PLATONEM, ARISTOTELEM, EPICVRVM, PLVTARCHVM, VARRONEM, MARCVM CATONEM, CICERONEM, CATONEM *Vticensem*, SENECAM, SALOMONEM, PROPHETAS, IOSEPHVM *historicum*; ORIGENEM; MINVTIVM FELICEM; SYNESIVM, BAC. de VERVLAMIO, HOBBESIVM, TILLOTSONIVM. ex definitione, quam adtulimus, haud obscure quis potest colligere, qualem libertatem cogitandi COLLINVS mente sua formauerit, quippe quae ita comparata est, vt cum licentia quidem quiduis sentiendi; minus autem cum vera cogitandi libertate conueniat. quam si

 demon-

demonstrare ipsi fuisset animus, hæc inprimis momenta fundamenti loco debuisset ponere, primum *quod ratio nostra sit finita*, id est quum velit cogitare, debeat incipere a certis principiis, ac quum cogitauerit, in certo criterio adquiescere, ex quibus differentia intellectus diuini ac humani patet; deinde *quod deus talem cogitandi modum constituerit, vt absque ideis nulla cogitatio fieri possit, quodue omnes ideæ oriantur a sensione*; tertium *quod sensio pendeat ab eo, quod deus nobis aliquid naturale aut morale manifestum fecerit*; quartum, *quod hoc fieri possit ratione modo existentiæ; modo essentiæ rerum.* ex quibus consequitur, deum intellectui humano posuisse terminos; quorum gradus ex natura sensionis & idearum; harum autem gradus ex conditione reuelationis diuinæ siue per naturam, siue scripturam diuinam factæ dependere. qualis igitur reuelatio diuina; talis sensio; qualis sensio, talis idea; qualis idea, talis cogitatio; qualis cogitatio, talis meditatio & inde pendens libertas cogitandi. quæ si ad res ipsas adplicantur, ostendi potest, quod detur partim *ignorantia* sine culpa, quo spectant mysteria cum rationis, tum scripturarum diuinarum; partim *cognitio probabilis*, in quibus intellectus noster debet adquiescere, qui si quid supra vires suas per meditationem velit assequi, facile documenta stultitiæ prodere potest.

§. XI. Ad hanc doctrinam de vsu rectæ rationis pertinet quoque illa disputatio specialis: *num sit pugna inter lumen naturæ & gratiæ?* quam etiam logicæ doctor attingere potest, quamuis id iterum a plerisque fuerit neglectum.

glectum. nonnulli tantam pugnam inter rationem & fidem prodiderunt, vt summam vim aut rationi, aut religionis christianae doctrinae inferre necesse habuerint. alii, vt pugnam istam euitarent, rationis imperii longiores, quam par est, fines posuerunt, eique subiecerunt fidem, quod Socinianis, IO. LOCKIO, IO. TOLANDO, ANTONIO COLLINO aliisque solemne est, qui religionem christianam expertem esse mysteriorum putant. sunt quoque, qui vsum rationis nimis deprimere ipsique in doctrinis diuinis ac christianis nullum locum relinquere instituerunt, quo spectare videtur praecipue PETRVS BAELIVS, ideo inprimis a doctissimo IAQVELOTIO vocatus in disceptationem. etenim scripsit contra BAELIVM librum gallica lingua: *conformité de la foi auec la raison*, ad quas obiectiones ibi propositas quum responderet BAELIVS in libro: *response aux questions d'vn Prouincial*; iterum edidit *examen de la theologie de Mr. Bayle*; ac quum & BAELIVS multa aduersus ipsum acerbius dissereret in libro: *entretiens de Maxime & de Themiste*; composuit *responsé aux entretiens.* sic & illustris GOTTFRIED GVILIELMVS LEIBNITZIVS disputatione de *concordia rationis & fidei*, quae ipsius libro: *essais de Theodicée* praemissa est, contra BAELIVM solide disseruit, quod adhuc alii fecerunt, inter quos PETRVS POIRET [1] de ipso eiusque sententia bene iudicat: *vnde*, inquit, *dum rationem videtur supprimere velle, vt fidei soli detur locus, hanc potius pudendum in modum derisit & proculcauit*,

1 *praef. libr. fides & ratio collata p.* 30.

vt alteram omni molimine in altum eueheret. ceterum hanc in rem legi possunt PETRVS DANIEL HVETIVS,[1] IO. MVSAEVS,[2] HERMANNVS WITSIVS,[3] IACOBVS BERNARDVS,[4] IO. FRANCISCVS BVDDEVS,[5] GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS[6] aliique.

§. XII. Antequam historiæ doctrinæ de intellectu humano vltimam imponimus manum, vnicum tantum momentum, quod de industria reseruauimus ad extremum, attingere, non ab re esse ducimus. disputatum est: *num intellectui humano peculiaris vaticinandi facultas possit adtribui?* quod argumentum commercium habet quoddam cum doctrina logicæ, in qua recta ratio, vt subiectum veritatis consideratur, ac ostendi debet generatim, quibus modis veritas possit cognosci. voces: *facultas diuinandi siue vaticinandi* non vna sententia sunt adhibitæ, siue res, siue fundamentum diuinationum respiciamus. ANDREAS RVDIGER[7] diuidit spiritum hominis *in mentem* & *animam*, quam posteriorem vi diuinandi præditam esse censet; eam autem tantum ad præsentia extendit. plerique contra vocem *diuinationis* ita vsurpant, vt respiciat ad futura, eaque arcana & abdita plane, cuiusmodi cognoscendi ac prædicendi num insit vis quædam naturalis? disputatur. ex vetustioribus STOICI adfirmabant, homines tali naturali virtute pollere, quæ modo in ipsis

1 *quæst. Alnetan.* 2 *de vsu principiorum rationis & philosophia in controuersiis theologic.* 3 *de vsu & abusu rationis p. 11. n. 8. miscell.* 4 *de l'excell. de la religion.* 5 *instit. theol. moral. part. 1. cap. 1. sect. 2.* 6 *diatr. de vsu rationis in sacris.* 7 *physic. diuin. lib. I. cap. IV. sect. 4. §. 43. 46. 47.*

dormien-

dormientibus, modo furore concitatis, accedentibus præsertim caussis vim hanc excitantibus, se proderet. eadem sententia fuit PERIPATETICIS, ac ipse ARISTOTELES rationes, cur Sibyllæ ediderint vaticinia, deduxit ex calore, quæ opinio quoque tribuitur AMMONIO, auctoritate PLVTARCHI; [1] quamuis IO. IACOBVS SYRBIVS [2] moneat, argumenta inde collecta non esse AMMONII; sed PLVTARCHI ipsius. sic probauerunt diuinationem præter XENOPHANEM atque EPICVRVM, de quibus testatur CICERO, [3] etiam alibi id de EPICVRO confirmat, quando dicit: [4] *nihil tam irridet Epicurus, quam prædictiones rerum futurarum*; item [5] *doleo, Stoicos nostros Epicureis deridendi sui facultatem dedisse*; *non enim ignoras, quam ista derideant*: confer PETRVM GASSENDVM. [6] plerique negant, hominem vi quadam naturali prouidere ac prædicere posse futura; alii autem multorum exemplorum dignitate commoti hæc inter arcana & abdita animæ humanæ referunt, præcipue quum in aperto sit positum, diuinationes neque a Deo, neque a malo spiritu esse profectas. alii hominem per naturam accepisse peculiarem facultatem reuelationem a Deo, aut a genio quodam profectam recipiendi, asserunt, MOSES quippe MAIMONIDES, [7] BENEDICTVS SPINOZA, [8]

1 *De defect. oracul. t. II. opp. p. 429.* 2 *phil. prim. pag. 453.* 3 *de diuinat. lib. I.* 4 *de natura deorum lib. II.* 5 *lib. II. de diuinat.* 6 *syntagm. philos. Epicur. sect. II. cap. VI.* 7 *more neuoch. part. II. cap. 35. 36. 37.* 8 *tract. theolog. polit. cap. II. pag. 18.*

PETRVS PETITVS, [1] quos confutauit IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [2]

§. XIII. Hactenus de intellectu humano ac recta ratione, subiecto veritatis, cuius doctrinæ historiam quum breuiter simus persecuti, varia quidem momenta attigimus, quæ vel minus, vel breuiore industria a scriptoribus logicæ sunt tradita; sufficit tamen, ista cum arte hac summum habere commercium, inprimis quum simul demonstrare nobis sit animus, quibus doctrinarum accessionibus disciplinam hanc posse augeri atque emendari. iam convertimus nos ad doctrinam de *principiis ac criteriis veritatis cognoscendæ*, quæ quum ab omnibus fere philosophis distincta habeantur; de illis quoque disseramus separatim. quod ad *principia* adtinet, multum disputatum est, quodnam sit primum principium cognoscendi? per quod intelligunt eiusmodi propositionem, quæ sit vera, vniuersalis, euidens, nec possit demonstrari. PERIPATETICI putant, talem propositionem esse illud: *impossibile est, idem simul esse & non esse*, quos plerique philosophorum recentiorum sunt secuti: confer ARISTOTELEM [3] & CHRISTIANVM THOMASIVM. [4] GOTTLIEB GERH. TITIVS vero [5] non solum negat, dari tale principium vniuersale, quod omnes conclusiones veritatum specialium contineat; sed existimat quoque, hanc a Peripateticis at-

1 *De Sibyll. lib. I. cap. 9.* 2 *dissert. an naturali homines polleant raticinandi facultate: adde theses de ath. & superstit. pag. 281. histor. ecclesi. V. T. tom. I. p. 787.* 3 *lib. IIII. cap. 3. metaphys.* 4 *iurispr. diuin. lib. I. cap. 3. §. 18. philos. aulic. cap. VI.* 5 *arte cogit. c. III. § 75. sqq.*

que

que ab aliis commendatam propositionem neque vniuersalem, neque vtilem esse, aduersus quem EPHRAIM GERHARDVS [1] disputat. Iudaei traduntur, quod huius propositionis veritatem negent, ac statuant, idem simul posse esse, & non esse, vide IO. FRISCHMVTH, [2] cuius opinionis quoque sunt asseclae pontificis romani. PAVLLVS SARPIVS [3] adfirmat, Pataui multa scripti cuiusdam exempla inuenta fuisse, cuius regula decima tertia haec fuerit: *credendum ecclesiae hierarchicae, etsi nigrum esse dixerit, quod oculis album videtur:* GREGORIVS de VALENTIA [4] dicit: *quandoque potest contingere, vt quis teneatur conari ad eliciendum adsensum fidei supernaturalem circa id, cuius contrarium verum est.* quam in rem adhuc illustre exemplum proferamus. disputatur quippe: *num Maria soror Lazari a Maria Magdalena fuerit diuersa?* quae quaestio inprimis FRANCISCVM TVRRIANVM grauiter exercuit. quum enim constitutiones apostolicae,[5] quas habet genuinas, Mariam Lazari sororem a Maria Magdalena distinguant; & tamen breuiaria romanae ecclesiae vtramque esse vnam eandemque dicant; pro veritatis ratione habuisset necesse, aut officium ecclesiae romanae; aut constitutiones apostolicas insimulare erroris. sed vtrumque per superstitionis ac stultitiae morbos, quibus laborabat, ipsi nimis durum videbatur. quapropter ex apostolicis constitutionibus Ma-

1 *Delin. philos. rational. lib. I. cap. 7. §. 34.* 2 *dissert. an Ebraei statuant, idem simul posse esse & non esse.* 3 *lib. II. p. 48. histor. interd. Venet.* 4 *tom. III. disp. I. quaest. II.* 5 *lib. III. cap. 6.*

riam

riam Lazari ſororem eandem eſſe cum Maria Magdalena negat; attamen ſe non errare putat, ſi cum eccleſia pie adfirmet, Mariam Lazari ſororem eamdem eſſe cum Maria Magdalena, quamuis ſit falſum, quod dicat eccleſia: vide THOMAM ITTIGIVM, [1] cui addas TAVRELLVM, [2] & IACOBVM THOMASIVM. [3] alii, nonnulli quippe ſcholaſtici atque inprimis SCOTI hoc principium probauerunt: *ens eſt ens*, quæ propoſitio quidem vera, etiam clara; ſed quomodo inde aliæ veritates ac concluſiones poſſent deduci, haud videmus. ſunt quoque, quibus hoc: *quodlibet eſt, vel non eſt*, placuit, aduerſus quod varia monet IO. IACOBVS SYRBIVS; [4] nonnulli autem hoc cum illo: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe* coniungunt: confer STEPHANVM CHAVVINVM. [5] ex recentioribus RENATVS CARTESIVS [6] principium hoc: *ego cogito, ergo ſum*, commendauit, quod neque ſua indole principium demonſtrationi inſeruiens eſt, neque ab ipſo Carteſio tale habitum. etenim tantum ſibi perſuadebat, hanc eſſe primam eamque certam veritatem, qua quis contra dubitationem ac ſcepticiſmum ſe munire poſſet: id quod ex ipſis Carteſii verbis colligere poſſumus, quando dicit: *ſic autem reiicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes: facile quidem ſupponimus, nullum eſſe Deum, nullum cælum; nulla corpora; nosque*

1 *Opuſcul. variis p.* 328. 2 *triumph. philoſoph.* 3 *præfat. n. XLII. pag.* 137. 4 *inſtit. phil. ration. part. I. cap III. §.* 8. 5 *lexic. philoſ. pag.* 519. *ed.* 2. 6 *princ. philoſ. part. I. §.* 7. *& meditat, II.*

etiam

etiam ipsos non habere manus, nec pedes nec denique vllum corpus; non autem ideo nos, qui talia cogitamus, nihil esse: repugnat enim, vt putemus, id quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere. ac proinde hac cognitio: ego cogito, ergo sum *est omnium prima & certissima, quae cuilibet ordine philosophanti occurrat.* quapropter mirum est, quod GEORGIVS PAVLLVS ROETENBECCIVS scripserit dissertationem huius inscriptionis: *principii Aristotelici: impossibile est, idem simul esse & non esse, & Cartesiani: cogito, ergo sum, amica methodoque eclecticae conformi collatio; principii simpliciter & absolute primi dignitatem ab vtroque remouens*; atque demonstrare instituerit, quod inter vtrumque principium mira quaedam sit similitudo. P. BVFFIER [1] putat, primum principium esse hanc propositionem: *quodlibet est id, quod est, nec aliud quid*, persuadens sibi, esse adhuc clariorem ac priorem illa: *impossibile est, idem simul esse, & non esse*, quod autem sine caussa adfirmari videtur. nam ipsa haec propositio, quam principii loco ponit, probari debet & potest per illam, quod non possit fieri, vt idem simul sit & non sit. NICOL. HIERONYMVS GVNDLINGIVS [2] existimat, huiusmodi principii vim inesse huic enunciato: *quidquid sensibus ac definitioni rerum, id est ideis nostris congruit, verum est; & vicissim, quidquid non congruit, repugnat; quidquid repugnat, falsum est*, aduersus quam sententiam differit IO. IACOBVS SYRBIVS. [3]

1 *princ. du raisonem. logiqu.* 2. *art.* 21. *p.* 304. 2 *via ad veritatem part. I. p.* 50. 3 *instit. phil. ration. p.* 40.

§. XIIII.

§. XIIII. Per *criterium veritatis* intelligunt notam certam atque indubitatam cognitionis cuiuslibet veræ, cuius doctrinæ historiam iam illustrauit CHRISTIANVS THOMASIVS.[1] antiquioribus philosophis non vna fuit sententia de criterio veri, quæ discrepantia inde oriebatur, quod alii sensus fallaces esse, sibi persuadebant atque in sola mente fundamentum veritatis quærebant, id quod fecit PLATO; alii autem etiam sensus simul cum mente eiusque ideis admittebant, vt PERIPATETICI & STOICI. nemo autem tam sollicitus fuit de criterio veri, quam EPICVRVS, qui tria criteria *sensionem*, *anticipationem* & *passionem* posuit, de quibus iam supra dissеruimus ac iudicauimus. recentiori tempestate eodem labore functus est CARTESIVS, qui notam veritatis in eo quærit, si quid percipiatur *clare & distincte*,[2] quæ sententia quamuis multorum iudicio sit probata; criterium tamen hoc Cartesii non in omni veritate officii partes explere potest. namque id neque ad existentias rerum, quæ etiam ex obscuris & confusis ideis vere cognoscuntur, neque ad probabilitatem, quæ cum claris ac distinctis ideis nihil habet commune, potest adplicari. ceterum TSCHIRNHAVSIVS[3] principii, siue potius criterii loco ponit, *nos quædam posse, quædam vero nullo modo posse concipere*, quo fundamento in cognoscenda veritate si quis niti velit, rebus suis haud bene consulet, siquidem tantum diuersitatem rerum, quomodo se se ratione sensionis nostræ habeant, indi-

1 *Philos. aulic. cap. 5.* 2 *medit. IIII.* 3 *medic. ment. part. II. sect. I. p. 37.*

cauit:

cauit: alia quæstio est. num obiectum quoddam perduci possit ad sensionem? quæ huc non pertinet; alia vero: vnde cognoscatur, quod hoc verum, illud vero falsum, quæ duo momenta maxime distincta haud perturbanda sunt: confer THOMASIVM.[1] plerique recentiorum existimant, criterium veritatis positum esse in *euidentia*. ANDR. RVDIGERVS varia tradidit momenta, quæ a vulgari doctrina discedunt. discrimen illud inter principium & criterium, quod sibi persuadent, haud admittit atque existimat, quod principium sit in methodo synthetica, id esse criterium in methodo analytica. proinde rectius atque accuratius de diuersitate principiorum, quæ modo veritatem generatim, modo illius species certam & probabilem respiciunt, cogitauit, ideoque loco principii primi & criterii vltimi posuit *sensionem*, a qua oriantur omnes ideæ, quaue etiam *euidentia*, quam veluti criterium alii commendant, nitatur, qua ratione necesse habebat, vocem *principii* alia significatione vsurpare. heic quoque doctrinam de *certitudine sensuum* ac *scepticismo* adtingere possemus; de qua autem infra disputabimus commodius.

§. XV. Sequitur doctrina de *ideis*, quæ inprimis recentiori tempestate culta atque exposita fuit, ita tamen vt siue earum originem, siue naturam, siue species, siue coniunctionem respiciamus, vbique fere sententiarum diuersitatem deprehendamus. ex priscis seculis primum nominare decet PLATONEM, qui

[1] *Philosoph. aulic. cap. VI. §. 28. sqq.*

multa

multa quidem de ideis disputauit in Timæo & Parmenide; sed obscure. CICERO [1] dicit: *has rerum formas adpellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi grauissimus auctor & magister Plato: easque gigni negat & ait semper esse, ac ratione & intelligentia contineri: cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse vno & eodem statu.* scilicet PLATO ideas duplici ratione considerauit: priori retulit istas ad Deum, persuadens sibi, quod Deus istas ex sua mente produxerit, quod sint ab intellectu diuino separatæ, æternæ, haud possint mutari, ad quarum exemplar summum numen ea, quæ videmus sensibusque percipimus, condiderit. posteriori modo de ideis animæ humanæ disseruit, in eam ingressus sententiam, quod mens nostra ex diuino animo ipsoque Deo tracta ideas illas adeoque omnium rerum naturas cognouerit; ex quo autem tempore mens venerit in commercium ac societatem corporis, obliuionem harum idearum contraxerit. proinde iudicabat, intellectum humanum similem esse tabulæ rasæ, quod imagines, quas antea continebat, in eodem iam essent deletæ; atque in eo præcipuum philosophiæ munus atque officium ponebat, vt homo pristinas ideas reminiscendo sensim ac sensim recognosceret. ex quibus colligimus, hanc doctrinam magis propriam esse metaphysicæ, quam logicæ, quamuis re ipsa non solum absurda sit; sed & impia: conferri possunt ALCINOVS, [2] IACOBVS THOMASIVS, [3] SCIPIO AGNELLVS, [4]

1 *De orator num. 3.* 2 *delin. doctrin. Platonic. cap. LX.* 3 *orat. de Platonic. ideis exemplar. num. XIII. orat. & præfation. pag. 275.* 4 *disceptationib. de ideis trib. lib. Ven. MDCXV. 4.*

GEOR-

GEORGIVS PASCHIVS,[1] omnesque illi, qui de trinitate Platonica disputarunt, quos commemorat IO. ALBERTVS FABRICIVS;[2] ex vetustioribus etiam SENECA;[3] de ideis ex mente Platonis differit. a PLATONE eiusque doctrina de ideis plane discessit ipsius discipulus ARISTOTELES, siue ideas Dei, siue hominum respiciamus. nam primum ideas Platonicas ipse reiecit,[4] deinde aperte plane ab illis aliena tradidit; ex principiis autem doctrinarum, quæ sequitur, adhuc possumus colligere, quod Platonis placita haud probauerit. sic credebat, mundum extitisse ab æterno, deumque tantum supremo cælo præsidere, cum qua opinione ideæ Platonicæ haud cohærent, quas Plato quidem admittere poterat, quum censeret, mundum ex libero Dei cum congressu extitisse, vt supra[5] copiose obseruauimus. de ideis autem intellectus humani sentiebat, illas esse immersas rebus singularibus, quas mentem separare & sensim sibi effingere posse credebat, adeo vt nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. quapropter quum Plato intellectum cum *tabula rasa* compararet; Aristoteles contra illum *tabulæ nudæ* similem esse pronuntiauit.[6] in qua quum eiusmodi imagines nunquam fuerint depictæ, nec deleri deinde potuerint. atqui hac ratione bene quidem sensit, si modo hæc doctrina partim aliis ipsius opinionibus de anima atque intellectu agente accuratius re-

1 *Introd. ad rem litter. mor. vet. cap. I. §. 16. qua addit. libro de variis modis moralia tradendi p. 553.* 2 *bibl. græca lib. III. c. I. pag. 39.* 3 *epist. 58. & 65.* 4 *lib. I. cap. 7. metaphys.* 5 *pag. 260.* 6 *lib. 3. cap. 4. de anima.*

ſponderet, ſiquidem Ariſtoteles ſæpe plane ſibi contraria & repugnantia tradidit; partim in ſcriptis logicis diligentius eſſet explanata. etenim neque idearum indolem ac ſpecies; neque illarum conditionem, quam propter veritatem cognoſcendam habere debent, conſiderauit; ſed vti ſæpius grammaticorum; non philoſophorum more agit; ita & hoc momentum de ideis propoſuit grammatice nec de ipſis rebus & notionibus mentis; ſed ipſarum ſignis ac vocibus fuit ſollicitus, id quod patet ex eius libro κατηγορίαι inſcripto, etiam περὶ ἑρμηνείας, *de interpretatione.* STOICI quoque diſputarunt de ideis. verum iſtas neque cum Platone rebus ipſis habuerunt antiquiores; neque cum Ariſtotele rebus immerſas crediderunt; ſed eas nihil aliud eſſe tradiderunt, quam rerum in animo noſtro notiones atque reſplendentes & impreſſas intelligentiæ imagines. IACOBVS THOMASIVS[1] inde obſeruat, quod Stoicis vniuerſalia fuerint οὔτινα, id eſt, *nulla* atque ex hoc deducit appellationem ſophiſmatis dicti οὔτις, in quo ſcilicet ἐκ τοῦ τινὸς πρὸς τὸν οὔτινα, hoc eſt a ſingulari ad vniuerſale perperam progrederetur argumentatio. plerique hac in re diſcrepantes fuiſſe Peripateticos & Stoicos ſententiis exiſtimant, quam diuerſitatem non tanti eſſe momenti, quin etiam poſſe conciliari cenſemus. etenim ideæ conſiderari poſſunt partim ratione rei, ſiue obiecti, quod repræſentant; & heic bene ſentit Ariſtoteles, quod poſitæ ſint in rebus ſingularibus, id quod etiam

1 *De doctoribus ſcholaſticis* §. XVIII. *not.*

inde

inde confirmatur, quoniam omnes ideæ oriuntur a sensione; partim ratione ipsius formæ atque indolis, qua sunt ideæ & a sola mentis operatione dependent, quod adfirmarunt Stoici.

§. XVI. Quod ad SCHOLASTICOS adtinet, disseruerunt quidem de ideis diuinis; sed ieiuna ratione; nec meliora effecerunt, quum operationes intellectus humani considerarent, quo labore sequebantur Aristotelem & acerbissimas excitabant controuersias de *vniuersalibus*, quas supra attigimus, vt adeo haud necesse sit, istas heic iterum recensere. quam ob rem conuertamus nos ad tempora recentiora, quibus philosophi non solum censuram aduersus doctrinam Aristotelis fecerunt; sed & ista proscripta, meliorem de ideis disciplinam tradere elaborarunt. pars igitur illa logicæ Aristotelicæ, quæ primam mentis operationem respicere debet & complectitur doctrinam de *prædicabilibus*, *antepraedicamentis*, *prædicamentis* & *postprædicamentis* illis, qui adhibuerunt libertatem philosophicam, haud sese commendauit. sic GOTTLIEB GERH. TITIVS [1] existimat, doctrinam de *prædicabilibus* nullum habere nexum cum genuina ac solida cogitandi arte; CHRISTIANVS THOMASIVS [2] ita de ista iudicat: *quamuis mihi quidem confusissima videatur doctrina de tribus vltimis, quam proprio competat definitio accidentis & sit saltem nobilissima accidentis species, ac praeterea nullum habeamus distinctum conceptum differentiæ vllius sine conceptu*

1 *Arte cogitand. cap. XVIII. §. 3. 4.* 2 *introd. ad phil. aulic. cap. VII. §. 44.*

accidentis, ne quidem in ipso homine, quippe quum cogitatio actualis sit accidens hominis, quæ abest in profunde dormiente; facultas autem cogitandi denotat conceptum confusum. ac IO. CLERICVS [1] pronuntiat, hæc vniuersalia nullum nobis ad veritatem cognoscendam deducendis adferre præsidium, vt de aliis taceamus, qui huiusmodi instituerunt censuras. equidem cum IO. CHRISTIANO LANGIO [2] hæc Peripateticorum placita omni ex parte bene se se habere, haud adfirmamus; penitus autem reiicere iis de caussis haud possumus, quoniam si meliori emendantur cura & ad cognitionem veritatis rite adplicantur, non mediocrem nobis suppeditant vtilitatem. etenim vniuersalia non tantum debent considerari ratione rerum, multo minus rerum naturalium solum; sed adhibenda sunt in gratiam veritatis, ita vt idea *generis & differentiæ* definitioni; idea *accidentis* autem diuisioni constituendis debeant inseruire, quo instituto ideæ *speciei* & *proprii*, quod referri potest ad differentiam, haud necessariæ sunt. atqui id est, quod accurate ANDREAS RVDIGER [3] obseruauit. quod ad doctrinam de *prædicamentis* adtinet, in ista modo inuenienda atque exponenda; modo confutanda; modo emendanda exercuerunt se philosophi cum veteres; tum recentiores diligenter. ARCHYTAS Tarentinus scripsit de decem prædicamentis; THEMISTIVS vero negat, illum esse Pythagoricum antiquum; sed iuniorem Peripateticum hoc nomine, qui nouo operi vetustate

1 *Logic part. I. cap. 7. §. 10.* 2 *addit. ad nucleum logic. Weisian. p. 452.* 3 *de sensu veri & falsi lib. I. cap. 5.*

nomi-

nominis conderet auctoritatem. ARISTOTELES libro κατηγοριῶν inscripto disseruit quoque de illis, ac quamuis solide omnia diuideret in *substantiam* & *accidens*; passim tamen hæc decem prædicamenta probauit, licet quatuor posteriora minori consideraret æstimatione. dicebantur græce κατηγορίαι, quæ vox forensis & proprie significat *iudicium, accusationem*, vide AELIANVM; [1] transiit autem posthac ad scholas philosophorum, ex quibus præcipue ARISTOTELES istam vsurpauit pro serie rerum, quæ sub vno quodam genere continentur, & de aliis possunt prædicari. inter quam vtramque significationem nonnulli similitudinem quamdam obseruant. quemadmodum enim accusatio faciat indicium rei & aliquid de aliquo dicat; sic quoque κατηγορία in arte rationis indicet res, quæ de aliis possint prædicari, confer BARTHOLOMAEVM KECKERMANNVM [2] & IOH. CHRISTIANVM LANGIVM. [3] atqui in hac doctrina scholastici, quibus summa studia erga Aristotelem erant, operas suas posuerunt, & ingenia diligenter exercuerunt, ita vt inuentis his præsidium ac munimentum quoddam inesse sibi persuaderent; quam in rem commentarii, interpretationes ac peculiares libri de prædicamentis compositi testantur: vide LIPENIVM. [4] at vero ex quo auctoritas Aristotelis detrimentum quoddam capiebat, ac philosophi imperii talis impatientes libertatem suam reuocabant, & in hæc prædicamen-

1 *Variar. histor. lib. II. cap.* 13. 2 *system. logic. maior. lib. I. cap.* 2. 3 *addit. nucl. logic. Weisian. c.* 4. *pag.* 496. 4 *bibl. philosophica p.* 1239.

torum momenta fecerunt impetus, quorum alii constitutum ipsorum numerum improbare; alii vero hæc omnia penitus reiicere instituerunt. sic LAVRENTIVS VALLA [1] tria tantum prædicamenta, *substantiam*, *qualitatem* & *actionem* admittebat, & adhuc multi ex illis, quos recentius tulit æuum, doctrinam hanc perturbatam esse pronuntiabant, cuius rei confirmandæ caussa quædam colligamus testimonia. IO. CLERICVS: [2] *quare Aristoteles substantiam in genere memorat, nulla eius addita specie; accidente vero in genere omisso, nouem eius tradit classes? debuisset etiam, si accuratus esse voluisset, omnes accidentium species memorare, non quasdam tantum pro arbitrio seligere. omisit autem, exempli caussa quietem, accidens corporum; aliaque accidentia spirituum, quæ nequeunt referri ad hasce classes. vniuersales etiam ideæ continentur hisce categoriis, vt species, genus, differentia &c. igitur ea diuisio nequaquam diuisio adæquata est ac proinde accurata haberi nequit.* CHRISTIANVS THOMASIVS [3] obseruat, has classes partim haud complecti entia moralia, res transcendentales & artificiales; partim continere relationem, quæ non explicet modum existendi; partim melius ad septem genera posse reuocari, his versibus inclusa:

mens, *mensura*, *quies*, *motus*, *positura*, *figura*
sunt cum *materia* cunctarum exordia rerum;

1 *Dial. lib. I. cap. 13. & 17.* 2 *logic. part. I. cap. 5. §. 15.*
3 *introd. ad phil. aulic. cap. VII §. 25.*

partim

partim quoque tradere multa aperte falſa atque in inquirenda veritate exiguum habere vſum; cuius ſententiæ quoque eſt GOTTLIEB GERH. TITIVS. [1] quin etiam hanc inuentionem inutilem eſſe declararunt, quando AVCTOR *artis cogitandi* [2] dicit: Ariſtotelis categoriæ *parum vtiles ſunt, tantumque abeſt, vt ad rite formandum iudicium proſint, vt etiam ſæpiſſime noceant*; cuius opinionis duas memorat rationes; & NICOL. HIER. GVNDLINGIVS: [3] *quid vero his nugis, quæſo, lucrabatur philoſophia? res vulgares & omnibus notas nouis & quidem obſcuris vocabulis inuoluebant; de iis plures & innumeras fere regulas, quas nemo eſt negaturus, efformabant, eaque ratione ineptarum vocum dictionarium diſcentibus obtrudebant. vnde contemtus logicæ in mores irrepſit ac doctoribus pædantiſmi maculam affricuit. neque enim philoſophia verborum, ſed rerum eſt.* nec negare poſſumus, doctrinam hanc Peripateticam multis laborare morbis. *primum* magna eſt confuſio, quod conceptui generali *ſubſtantiæ* adiiciantur conceptus ſpeciales *accidentium*, id quod contra regulas bonæ diuiſionis, quæ iubent diuiſionem & ſubdiuiſionem haud permiſcere: quapropter debuiſſent entia ſiue res diuidere in ſubſtantiam & accidens; accidens iterum in ſuas ſpecies: *deinde* genera accidentium perturbatim ſunt propoſita, quæ pro veritate vel *abſoluta* ſunt, vel *relatiua*: abſoluta vel *mathematica* ſiue quantitates, vel *philoſophica*, quæ ſunt qualitates; *tertium* ſpecies

1 *Arte cogitandi cap. XVIII. §. 23.* 2 *part. I. cap. 3.*
3 *via ad veritat. part. I. p. 40.*

accidentium a Peripateticis commemoratæ non sufficiunt ipsis rebus, quoniam discrimen ponendum est inter illa, quæ essentiam rei constituunt; & ea, quæ ad propriam indolem haud pertinent; *tandem* hanc doctrinam metaphysica maiori iure sibi potest vindicare, quam logica, in qua nullam præstat vtilitatem.

§. XVII. Quum de prædicamentis Aristotelicorum edisserere instituerimus, pauca adhuc, quæ historiam hanc illustrare possunt, adiiciamus. scilicet PLATO quinque entis genera numerauit, *essentiam, idem, alterum, statum* & *motum*: STOICI duplicem rerum classem constituebant, quarum altera complectebatur corpora; altera res materiæ expertes, *enunciatum, vacuum, locum* & *tempus*: EPICVRVS dicebat, vniuersum constare ex *corpore* & *vacuo*, quæ pluribus exponit CHRISTIANVS THOMASIVS. [1] PETRVS RAMVS peripateticam de prædicamentis disciplinam faciebat nihili ac *locis topicis*, vti dicuntur, auctoritatem conciliare adlaborabat, de quibus vtraque ætate diuersis iudiciis senserunt philosophi. ARISTOTELES scripsit octo libros *topicorum*, de quibus iam supra disputauimus; PETRVS RAMVS autem quum discederet ab hoc philosophiæ doctore ac maiori studio sectaretur CICERONEM, alio instituto hos commendauit locos, atque effecit, vt eloquentiæ magistri per longum temporis tractum illis artem suam dicendi superstruxerint, quamuis doctrina hæc non vno modo a logica

1 *dodec. quæst. promisc. quæst.* I. §. 2.

&

& rhetoricæ diſciplinæ auctoribus fuerit tradita, qua de re legere poſſumus IO. CHRISTIANVM LANGIVM.[1] aduerſus quos locos topicos, veluti cauſſas eloquentiæ corruptæ diſputauit NICOLAVS HIERON. GVNDLINGIVS,[2] quos contra tales adcuſationes tueri voluit CHRISTIANVS IVNCKERVS;[3] & ANDREAS RVDIGER emendauit.[4] ſpeciem quamdam prædicamentorum præ ſe ferre videntur decem claſſes principiorum oppoſitorum, quas hoc ordine exhibet CASPAR KNITTELIVS:[5] pro metaphyſica *vnum, plura*; *bonum, malum*: pro phyſica *lumen, tenebræ*; *motus, quies*; *maſculinum, femininum*: pro mathematica *dextrum, ſiniſtrum*; *par, impar*; *quadratum, oblongum*; *rectum, curuum*; *finitum*, *infinitum*. de arte RAYMVNDI LVLLII, qui etiam certas conſtituit claſſes ſubſtantiarum, principiorum, ſuperioribus egimus. CARTESIVS eiusque ſectatores ſeptem rerum ſiue modorum genera ponunt, qualia ſunt *mens*, ſeu ſubſtantia cogitans; *materia* ſeu ſubſtantia extenſa; *menſura*, id eſt magnitudinis partium ratio; *poſitura*, ſeu partium ad ſe inuicem ſitus; *figura*; *motus*; *quies*.

§. XVIII. Non ſolum recentiores philoſophi de doctrina Peripatetica iudicarunt, obſeruantes illius vitia; ſed meliorem quoque de ideis diſciplinam excogitarunt, quamuis non vbique eandem amplexi ſint ſententiam.

1 *Addit. ad nucleum logicæ Weiſian. p. 541. ſqq.* 2 *obſeru. Hal. tom. I. obſeru. 17. p. 231.* 3 *diſſertationib. apologeticis pro locis topicis.* 4 *de ſenſu veri & falſi lib. IIII. cap. 4. §. 6. ſqq.* 5 *via reg. part. IV. art. 15.*

primum ſolliciti fuerunt de *natura ideæ* explananda. ex recentioribus CARTESIVS primus vocem *ideæ* adhibuit; nunquam autem clare definire iſtam inſtituit, quod ſolide in ipſo PETRVS GASSENDVS [1] reprehendit; quin etiam AVCTOR *artis cogitandi* [2] dicit: *idea nomen eſt ex eorum numero, quæ adeo clara ſunt, vt vlterius explicari per alia non poſſint, quia alia non habentur vel clariora, vel ſimpliciora.* ſed latet anguis in herba. ideo enim definitionem ideæ dare noluit, ne illius originem a ſenſione admittere ſicque propriam de innatis ideis opinionem labefactare cogantur. ceterum plerique amplexi ſunt definitionem IO. LOCKII, [3] quod idea ſit *id obiectum, quod immediate menti noſtræ obſeruatur, dum cogitat, ſiue imaginationi ſubiiciatur; ſiue ab omni ſymbolo corporeo ſit commune*, quamuis haud ſit adæquata, dum indolem & naturam haud exponit, etiam complectitur diuiſionem idearum, quod eſt contra regulas bonæ definitionis. rectius igitur & accuratius obſeruat ANDREAS RVDIGER, [4] quod *ideæ* vox ſumatur ſententia modo ampliore, vt ſignificet omnem intellectus actionem & memoriæ & ingenii & iudicii, ſicque opponatur ſenſioni; modo ſtrictiore pro ſola actione memoriæ, vt adeo idea ſit *actio intellectus, ſpeciatim memoriæ, qua impreſſiones ſenſuum ſine affirmatione & negatione, vt oblatæ fuerunt, concipit.*

§. XVIIII. Nunc videamus, quomodo *ideæ a philoſophis diuiſæ fuerint in ſuas ſpecies?* quod quum diuerſa ratione ſit factum, princi-

1 *diſquiſit. metaphyſ. p.* 171. 2 *part. I. cap. I.* 3 *de intellectu humano lib. II. cap. I.* 4 *inſtitut. erudit. p.* 26. *ſeqq.*

pes

pes tantum diuisiones obseruare, nobis est propositum. *primum* ideae diuisae sunt *ratione subiecti*, in quo gigni putantur, ac quidem 1) in ideas *sensibiles & intelligibiles*, quae diuisio solemnis est peripateticae scholae doctoribus, quumue nitatur doctrina & falsa & confusa de intellectu agente & patiente, cuius sit pretii, facile praeuidere possumus. scilicet persuadent sibi, quod obiecta, quae in sensus cadant, species seu imagines sui emittant: quas species a sensibus externis perceptas sensus communis adprehendat, a se distinguat & cognoscat; phantasia vel a sensu communi perceptas, vel etiam a se formatas diutius retineat, ac diligentius examinet, a qua facultate adpellantur phantasmata: quas species sensibiles siue phantasmata intellectus agens illustret, in gradum specierum magis subtilem euehat, & faciat intelligibiles, quas deinde intellectus patiens recipiat & cognoscat: confer IACOBVM THOMASIVM.[1] ratione subiecti porro ideae diuisae sunt 2) *in innatas & adquisitas*, multumque de prioribus est disputatum, siue illarum essentiam, siue existentiam respiciamus. CARTESIVS hanc doctrinam produxit atque existimauit, triplex in nobis esse idearum genus, quarum aliae sint *aduentitiae*, cuiusmodi idea solis, quam ex conspectu solis quisque habeat; aliae *factitiae*, cuiusmodi idea solis, qualem rationibus suis inueniant astronomi; aliae nobis *ingenitae*, cuiusmodi sint ideae dei, mentis naturarum, quae essentiae vocantur, formarum geometricarum, axiomatum, quibus vtantur mathematici, aliarumque rerum simi-

1 *physic. cap. XLIX.*

lium.

lium. [1] quid autem sint ideæ innatæ, id CARTESIVS numquam declarauit diserte, quin etiam sibi ipse repugnat, dum illam dicit esse modo facultatem cogitandi; modo formam quamdam cogitationum. [2] quibus de caussis multi hæc ficta a Cartesio confutarunt, quo pertinent AVCTOR *obiectionum quintarum*; [3] PETRVS GASSENDVS; [4] PETRVS DANIEL HVETIVS; [5] IO. LOCKIVS; [6] IO. CLERICVS, [7] ANDREAS RVDIGER, [8] FRIDERICVS MVZELIVS, [9] aliique. [10] quum autem CARTESIVS ad innatam ideam de deo prouocauerit, ipsum exsistere demonstraturus, hanc fecit ratiocinationem: *est in me idea entis summe perfecti & infiniti, idea huius entis non potest esse aliunde, quam ab ente summe perfecto & infinito: ergo datur ens summe perfectum*; cuiusmodi ratiocinandi ratio plane ieiuna est. primum enim prior propositio maxime falsa; deinde non necessario sequitur, ideam entis perfectissimi, quam mente mea concepi, esse ab ipso deo eiusque probare existentiam, quoniam talem ideam ex idea entis finiti quis sibi potest fingere. quamobrem fuerunt quoque, qui grauiter contra hanc probandi rationem dixerunt, MASTRICHT [11] quippe, SAMVEL WERENFELS, [12] IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [13] quas ideas in-

1 *medit. III. tom. II. epist. 54.* 2 *tom. I. epist. 59.* 3 *in med. III.* 4 *disquisition. metaphys. p. 155.* 5 *in censura philosoph. Cartes. c. III. §. 9.* 6 *de intellectu humano lib* 1. c. 2. 3. 7 *pneumatol. sect. I. c. 5. §. 16.* 8 *de sensu veri & falsi lib. I. c. 2.* 9 *de rationis natura sect. I.* 10 *vide diarium Parisiense* 1710. *mens. febr. p.* 234. 11 *gangran. nouit. Cartes. p.* 198. 12 *in iudicio de argum. Cartes. pro exist dei ab eius idea petito.* 13 *selecta iuris natur. p.* 206. *thesibus de atheismo & superst. p.* 369.

natas

natas Cartesii quamuis plerique proscripserint, qui in schola ipsius haud educati sunt; nonnulli tamen istas admiserunt; alia vero ratione, ac Cartesius istas formauerat animo suo. sic EPHRAIM GERHARDVS [1] putat, dari vnicam tantum ideam connatam, ideam quippe *contradictionis* siue *contrarietatis*, ex qua gignatur axioma illud: *nihil posse simul esse & non esse*, cui sententiæ haud fauere possumus. nam ista idea, vti dicitur contrarietatis menti haud inesse potest, nisi quis antea res a se diuersas per sensus cognouerit atque inde hanc ideam collegerit. alii contendunt, inditam esse menti humanæ propensionem quamdam, quibusdam principiis statim præbendi assensum, quo sensu posse admitti ideas & principia innata, quod pluribus demonstrant IO. MVSAEVS noster, [2] & IO. FRANCISCVS BVDDEVS [3] contra IO. LOCKIVM, quibus addas ZACHARIAM GRAPIVM. [4] hactenus de prima classe idearum, quam sequitur secunda, qua considerantur ratione *obiecti* ac diuiduntur 1) *in ideas puras & impuras*, quarum illæ ad res materiæ expertes; hæ vero ad corpora spectent & coniunctam habeant quamdam imaginem, cuiusmodi diuisionem CARTESII spectatores diligenter tradunt atque existimant, quod ideæ puræ sint clariores impuris, quorum sententiæ accedere videtur GOTTLIEB GERH. TITIVS; [5] repugnat autem IO. FRANCISCVS BVDDEVS, [6] adfirmans,

1 *delin. philos. ration lib I. cap. 5 §. 6.* 2 *introd. in theolog. cap. II. §. 19.* 3 *theol. moral. part. II. cap. 2. §. 5. not.* 4 *theol. recens controu. t. I. c. I. qu. 3.* 5 *arte cogitandi c. 11. §. 9.* 6 *elem. phil. instrum. P. I. cap. I. §. 46.*

ideas

ideas impuras maiorem præ ſe ferre lucem, quam puras: quin etiam CHRISTIANVS THOMASIVS [1] plane negat, eſſe vere ideas puras. porro 2) diuiduntur in ideas *ſubſtantiarum* & *modorum*, vbi obſeruandum, quod recentiores philoſophi adhibuerint vocem *modus* pro *accidens*, quoniam ſit dubiæ ſignificationis: quibus generibus nonnulli addunt tertium, idearum quippe *relationum*; cui autem alii nullum relinquunt locum. namque monent, quod fundamentum relationum poſitum ſit in modis, quibus iſtæ non poſſint opponi; ſed rectius debeant diuidi in modos abſolutos & relatiuos. 3) in *ideas adaequatas & inadaequatas*, cum qua diuiſione quidam & hanc coniungunt, quod ſint vel *veræ*, vel *falſæ*, quas ſpecies alii iis de cauſſis haud admittunt, quoniam in prima mentis operatione neque veritas, neque error detur. quam controuerſiam EPHRAIM GERHARDVS [2] credit, poſſe remoueri per diſtinctionem inter veritatem mentis, quæ cadat in ideas, & propoſitionis, quod bene ſe haberet, niſi hac ratione veritas metaphyſica cum logica confundi videretur. 4) in ideas *ſingulares*, *particulares* & *vniuerſales*, vbi tantum obſeruare decet, quod nonnulli logici recentiores occaſione idearum vniuerſalium Peripateticorum prædicabilia explicent, deque illis diſſerant. tandem tertia claſſis complectitur ideas conſideratas *ratione modi*, quæ diuiduntur 1) in *ideas claras & obſcuras*. CARTESIVS [3] adfirmat,

1 *introd. ad phil. aulic. cap. III. §. 3. 4. philoſ. ration. c. III. §. 24.*
2 *delin. philoſ. rational. lib. I. cap. 7. §. 3.* 3 *princip. philoſ. part. 1. §. 45.*

ideam

ideam esse claram, *quae menti attendenti, praesens & aperta est, sicut ea clare a nobis videri dicimus, quae oculo intuenti praesentia satis fortiter & aperte illum mouent.* ANDREAS RVDIGER [1] autem monet, Cartesium claritatem idearum mathematicam perturbare cum philosophica: quum igitur philosophus hic poneret criterium veri & falsi in clara & distincta idea, quid mirum, quod etiam ideas fictas veluti veras admiserit in philosophia? praecipue quum claram & distinctam ideas esse vnam eandemque, existimaverit. P. BVFFIER [2] putat, nullam ideam sua natura esse obscuram & confusam, quae affectio ab aliis causis externis proficiscatur. 2) in *ideas simplices & compositas*: cuius diuisionis fundamentum plerique deducunt ex diuersitate obiectorum, quod aliud sit simplex, materiae expers; aliud vero compositum ac constans ex variis partibus; nonnulli autem discrimen positum esse in diuersa forma, qua tales ideae concipiantur, putant.

§. XX. Sic historiam doctrinae de natura ac variis generibus idearum illustrauimus: quapropter conuertamus nos ad aliud momentum, ac quid philosophi de origine notionum mentis senserint, videamus breuiter. *prima* sententia est Peripateticis & scholasticis, quod ex obiectis ipsis manent quaedam simulacra iis similia, quae ab illis adpellantur *species impressae*, quia ab obiectis imprimantur sensibus externis, vnde deferantur ad sensum communem, & hinc ad intellectum agentem & patientem.

1 *instit. erudit. p. 42. edit. 3.* 2 *princip. du raison. p. 428.*

secunda

secunda opinio eſt, quod mens producat ideas, ex quo inſtrumenta ſenſionis per obiecta fuerint commota. *tertia* eſt ANTONII ARNALDI, qui putat, quod ideæ & perceptiones idearum differant tantum relationibus, & idea proprie ad obiectum referatur, quod mens conſideret; perceptio vero ad mentem ipſam, quæ percipiat, vt adeo duplex illa relatio ad vnam mentis modificationem pertineat. *quartam* commemorat MALEBRANCHE,[1] quod ideæ a deo nobiſcum productæ, vel demum producantur, qui & ipſe ſingularem hac de re fouet ſententiam. etenim perſuaſit ſibi, mentem noſtram immediate coniunctam eſſe cum deo, quumue in illo omnium rerum proprietates contineantur, inde effecit concluſionem; nos omnium rerum ideas in deo eiusque ſubſtantia contemplari. quam ſententiam fuſe exponit[2] ac putat, quod talis idearum origo menti diuinæ maxime ſit conſentanea, quodue generalem rerum a deo productarum teneamus cognitionem, antequam iſta, quæ aſpectu ſentiantur, cognoſcamus, quæ idea abſtracta ex idea extenſionis intellectu tantum percipiendæ in deo oriri poſſit. quæ opinio non ſolum omni deſtituta eſt fundamento, ſed & facile viam ad errores non leuioris momenti parare poteſt, illique ingenio eſt propria, quod ad adflatus diuinos fingendos ſibi procliue eſt. quapropter non defuerunt, qui MALEBRANCHIVM ſunt adgreſſi ac vocarunt in diſceptationem, ex quibus præcipue ANTONIVS ARNALDVS multum grauiter-

1 *de la recherché de la verité lib. III. cap. 4. & 6.* 2 *lib. III. part. 2. pracip. c. 6. ſeqq. de inquir. verit.*

que

que aduersus ipsum disputauit. princeps enim ipsi erat propositum, MALEBRANCHII doctrinam de *natura & gratia* euertere, quae quum & hac sententia de ideis niteretur, istam confutare necesse habebat. quam ob rem edidit opus *des vrayes & des fausses idées contre ce, qu'enseigne l'auteur de la recherche de la verité, a Cologne* MDCLXXXIII. quo accusauit MALEBRANCHIVM falsarum opinionum & contradictionum atque obseruauit, admittendas esse in deo ideas particulares, si quis statuat, nos in deo res cum materia coniunctas cognoscere. contra quas adcusationes caussam suam defendit MALEBRANCHIVS, ac scripsit librum huius inscriptionis: *responſe de l'auteur de la recherche de la verité ou liure de Mr. Arnaud des vrayes & de fausses idées*, Roterodami MDCLXXXIIII. quo ARNALDI sententiam, quam de modo cognoscendi sequitur, examinat, & perceptiones animae nostrae omnino ab ideis res materiae repraesentantibus distinctas esse ostendit, repetitis fere illis argumentis, quae libro de *inquirenda veritate* fuerant exposita. sed quamuis consultius fuisset, si controuersiam hanc composuissent; iterum tamen in certamen descenderunt. namque anno MDCLXXXIIII. Coloniae prodiit *defense de Mr. Arnauld contre la response ou liure des vrayes & fausses idées*, quo libro continetur epistola quaedam ad amicos, qua Malebranchio multa momenta Arnaldus obiicit, ac inprimis ipsius parte quinta responsionem eius examinat accuratius & XXIIII. exemplis probat, Malebranchium difficultates haud remouere posse. contra quas easque nouas adcusa-

cuſationes in lucem prodierunt *trois lettres de l'auteur de la recherche de la verité, touchant la defenſe de Mr. Arnauld*, Roterodami MDCLXXXV. quarum prima auctor aduerſus Arnaldum probare contendit, *ſe in deo formalem quamdam extenſionem haud quaquam ponere, nec deum adeo facere corporeum*; ſecunda vero & tertia controverſiam hanc de ideis haud attingit ac quædam tantum vltima de origine certaminis huius commemorat. [1] præter ARNALDVM, cogitationes haſce de origine idearum, quibus MALEBRANCHIVS ſeſe tradiderat, reiecerunt PETRVS POIRET,[2] IO. LOCKIVS,[3] IO. CLERICVS,[4] IO. GEORGIVS PRITIVS[5] aliique. in tanta ſententiarum diſcrepantia de idearum origine IO. CLERICVS[6] ignorantiam ſuam profiteri ingenue, conſultum eſſe cenſet, quando dicit: *nos hoc in negotio ἐπέχειν & naturam inter ea numerare, ad quorum cognitionem aut omnino peruenire non licet, aut adhuc ſaltem non licuit, tutius cenſemus. neque hoc mirum videatur, quando ne mentis quidem ipſius natura nobis nota eſt, qua ignorata, numquam omnes eius operationes ſatis plene noſcemus.* id quidem ſatis apertum eſt, quod omnes ideæ oriantur a ſenſione, recteque doceant Peripatetici, nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu, id quod ANDREAS RVDIGER[7] ex inſtituto demonſtrauit; modum autem, quo iſta origo

1 *confer. l'hiſtoire de la vie & des ouvrages de Mr. Arnauld p* 189. 2 *cogit ration. lib. III cap* 10. *contin* § 51. 52. 3 *opuſc. poſthum.* 4 *pneum ſect. I. cap* 5. §. 12 13. 5 *diſput. de enthuſiaſmo Malebranchii.* 6 *cit. loc.* §. 15. 7 *diſſ. de eo, quod omnes ideæ oriantur a ſenſione.*

fiat,

fiat, haud facultas nobis est cognoscendi. tandem recentiores philosophi doctrinam *de associatione idearum* siue *imaginum* accuratius exposuerunt, ex quibus IO. LOCKIVS [1] primus istam tradidit atque obseruauit, hanc connexionem fieri vel arbitrio studioque hominum, vel casu; quem secutus & momentum hoc adhuc vberius illustrauit IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [2]

§. XXI. Veritas, cuius cognitionem propositam sibi habet logica, est vel certa vel probabilis, quæ vtraque duplici ratione cognoscitur modo inueniendo, modo diiudicando verum & falsum, ad quem duplicem modum necessaria sunt principia & criteria his veritatis speciebus propria. *veritatis* igitur *certæ* principium etiam criterium proximum constituunt *definitio* & *diuisio*, ex quibus formantur propositiones siue *axiomata* & ex his *conclusiones*. quod ad doctrinam de *definitione* adtinet, PLATO dialectici munus esse censebat, vt recte res diuideret & definiret, vide PETRVM GASSENDVM; [3] ac STOICI idem quoque argumentum de definitione ac diuisione adtingebant, quorum doctrinas tradit THOMAS STANLEIVS; [4] necnon ARISTOTELES de definitione quidem disseruit, [5] etiam species eius diuersas posuit; sed ita, vt neque illius veram indolem, neque genuinum vsum, neque modum definitiones accurate struendi demonstrauerit. nec poterat non grauissimum hoc logicæ momentum leuiore adtingere in-

1 *de intellect. hum. lib. II. cap. 33.* 2 *theol. moral. part. I. cap. I sect §. §. 9 not p. 233.* 3 *de orig. & variet. logic. cap. IV.* 4 *histor. philos. p. 569.* 5 *lib II. cap. 10. anal. poster. & alibi.*

dustria, quum eiusmodi tantum traderet praecepta, quae ad iudicium de vero & falso; minus vero ad inuentionem veritatis pertinent: confer PETRVM GASSENDVM.[1] atqui his de caussis haud mirum, quod sectatores Aristotelis & scholastici non meliora effecerint, quin etiam studia sua in disputationibus inutilibus, ex quibus genuina ars cogitandi nulla cepit incrementa, consumserint, ac more suo tradiderint ieiuna. sic multum sese exercuerunt in quaestionibus: num doctrina de definitione pertineat ad metaphysicam, an logicam? quaenam res definiantur? quaenam sint partes definitionis? num omnis definitio habeat genus? quomodo possint definiri substantia & accidentia? quaenam sit via compositiua inueniendi definitionem? aliisque, quae si perspicue & accurate expositae fuissent, omniaque ad veritatis sensum accommodata, vtilitatem quidem potuissent adferre; sed ab huiusmodi ingeniis quid boni poterat exspectari? quapropter PETRVS RAMVS saepius & hanc doctrinam Peripateticorum perstrinxit, nec non recentiores philosophi purgare istam ab omni labe, quam contraxerat, eaque, quae heic necessaria sunt, meliori studio exponere adlaborarunt. sic obseruarunt, duplicem esse definitionem, alteram nominis; alteram vero rei, in quarum priore explananda etiam IO. CHRISTIANVS LANGIVS[2] diligens versatus est; ac tradiderunt, quibus partibus absoluatur definitio, ac quaenam res possint definiri? multi existimarunt, quod idea simplex carens partibus haud

1 *exercit. parad. aduersus Aristotel. lib. II. exercit. V.*
2 *addit. nuclei logic. Weis. p. 589.*

defini-

definitione explicari possit, vti præter alios IO. CLERICVS; [1] IO. FRANCISCVS BVDDEVS; [2] & EPHRAIM GERHARDVS [3] obseruarunt; quibus se IO. IACOBVS SYRBIVS [4] opposuit: *qua de caussa*, inquit, *neque cum recentioribus quibusdam facimus, qui ideas simplices minime definiri posse autumant; Peripateticis tamen in eo cautiores sunt; quod hi ideas simplices cum rebus simplicibus confundere videntur*; rectissime autem ac solide ANDREAS RVDIGER [5] omnia, quæ heic obseruare decet, breuiter comprehendit, quando dicit: *omnia, quæ nec infra eruditionem sunt, nec supra eandem, definiri possunt: supra eruditionem sunt res infinitæ, infra eandem res sensuales & vulgares.* adhæc varias definitionis conditiones proponunt, vt sit prima, propria, adæquata, clara, vide AVCTOREM *artis cogitandi*, [6] IO. CLERICVM, [7] IO. FRIDEMANNVM SCHNEIDERVM; [8] multa autem maxime necessaria atque inutilia non solum reliquerunt intacta; sed & ea, quæ deberent proponi distincte, perturbarunt. sic germanum definitionum vsum minus significarunt, & omnino IO. LOCKIVS [9] a veritate aberrauit, quum definitionis munus in eo posuerit, vt res incognitas ante sensui, iam per sensum cognoscamus, siquidem ideo res debemus definire, vt inde capiamus principia, & ex his efficiamus conclusiones. nec ea industria ac fide,

1 *logic. part. I. cap. 2. §. 14.* 2 *philos. instrum. part. I. cap. 4. §. 7. seqq.* 3 *delineat. phil. rat. lib. II. c. 3. §. 37.* 4 *phil. ration. part. I. c. 10. §. 9.* 5 *instit. erudit. p. 58 edit. 3.* 6 *part. II. cap. 15.* 7 *logic. lib. II. cap. 13.* 8 *fundament. philosoph. rational. cap. IIII. §. 8. seqq.* 9 *de intellect. human. lib. III. cap. 4. §. 8. seqq.*

qua decet, viam ad definiendi artem ostenderunt, ac satis habuerunt, præcipere de indole ac quibusdam proprietatibus definitionis. quæ omnia quam imperfecta esse, quum obseruauerit ANDREAS RVDIGER, [1] hanc quoque doctrinam emendare, ornare, perpolire, nouisque accessionibus non leuioris incrementi augere instituit ac genuina definitionis fundamenta, id est ideas claras, distinctas atque essentiales rite indicauit; definitionem realem bene diuisit in logicam & caussalem; & caussalem iterum in physicam, & moralem, & adhuc quinque regulis actionem definiendi commonstrauit.

§. XXII. Ad historiam doctrinæ de *diuisione* inprimis pertinet illa controuersia: *num possit certus partium numerus constitui, quem semper in diuisione sequi debeamus?* cuius occasionem dedit illorum sententia, qui omnia in duo membra diuidenda esse censuerunt hacque ratione *dichotomiam* commendarunt, id quod præ aliis PETRVS RAMVS eiusque sectatores fecerunt. [2] quæ opinio aliis inepta videbatur, qui iudicarunt, quod legitima diuisio certo partium numero haud adstringi possit, sed rei, quæ in species & partes debeat diuidi, naturam sequatur, vt pro ista tot partes totque species sint constituendæ, quot ipsa rei natura constituat, vide CHRISTIANVM WEISIVM [3] & CHRISTIANVM THOMASIVM. [4] at vero alii obseruant, dichotomias

1 *instit. erudit. p. 54. de sensu veri & falsi lib. I cap. 9.*
2 *vide Rami dialectic. & Talai praelect. lib. I. p. 137. 158. lib. II. p. 352.*
3 *doctrin. logic. part 2. lib. I. c. 2. thes. 13. p. 250.* 4 *cautel. circa praecogn. iurisprud. c. X. §. 22.*

non

non ideo laudari, ac ſi diuiſio non poſſit ſecundum naturam fieri per plura membra; ſed quod in dichotomia ſecundum quoque ipſam naturam ſit omnium perfectiſſima diuidendi ratio, nec vlla detur diuiſio, quæ diſtinctionem & oppoſitionem membrorum clariorem & firmiorem poſſit præſtare: confer DAVID SCHRAMVM,[1] IO. PHILIPPVM TREIBERVM,[2] & IO. CHRIST. LANGIVM.[3] nonnulli delectati ſunt *trichotomia*, qua diuiſio in tria membra inſtituitur, quo pertinet præcipue IO. AMOS COMENIVS;[4] etiam *tetrachotomia*, cuius ſpecimen dedit ERHARDVS WEIGELIVS.[5] nec de variis ipſius diuiſionis ſpeciebus philoſophis vna eademque fuit ſententia, quæ diuerſitas præcipue ex eo nata eſt, quod diuerſa totius diuidendi poſuerunt genera. PERIPATETICI aliam diuiſionem eſſe *nominum*; aliam *rerum* tradunt, & poſteriorem iterum in *primariam* & *ſecundariam* diuidunt & varia primariæ genera conſtituunt pro diuerſis totius ſpeciebus, id quod ſit vel totum integrale, vel eſſentiale, vel vniuerſale, confer IACOBVM THOMASIVM,[6] FRID. BECHMANNVM,[7] CHRISTOPHORVM SCHEIBLERVM[8] & alios. cui doctrinæ emendandæ recentiores operam dederunt. AVCTOR *artis cogitandi*[9] dicit, duplex eſſe totum; aliud *integrale*, cuius diuiſionem adpellat partitionem; aliud vero *vniuerſale*, cuius diuiſionis quatuor genera ponit, quando

1 *legibus philoſophandi leg VII p. 244.* 2 *logic. iuridic. part. I. cap. I. theſ. 34.* 3 *addit nucl. logic. Weiſ p. 704.* 4 *vide præludium panſophiæ.* 5 *in tetracty.* 6 *erotemat. logic. c. 52.* 7 *inſtit. logic. lib. IIII. cap. 8.* 8 *oper logic. p. II. c. 29.* 9 *part. II. cap. 13.*

genus diuiditur per species; per differentias; terminus communis per accidentia opposita, quorum sit capax; vel secundum subiectorum aut temporis diuersitatem; item quando accidens diuidatur in varia subiecta, quae diuisionis ratio a GOTTLIEB. GERH. TITIO [1] dicitur incongrua. STEFHANVS CHAVVINVS [2] putat, diuisionem ipsam diuidi posse ex parte hominis diuidentis; ex parte thematis, quod diuidatur, & ex parte modi, quo homo ille thema id ipsum diuidat; sic quoque IO. CHRISTIANVS LANGIVS [3] varias diuisiones & subdiuisiones diuisionis constituit. at vero plerique scriptorum logicorum verum & genuinum diuisionis finem haud considerarunt, qui respicere debet, vt inde deducamus conclusiones, hinc quoque haud firmum diuidendi fundamentum posuerunt. nam aliud est: *quando diuisio sit consentanea rationi & ad sensum veri & falsi vtilis*; aliud vero: *quando possumus diuidere?* quod discrimen quum haud obseruauerint, mirum non est, quod tam multas apud philosophos deprehendamus diuisiones, quae sunt nullius momenti, nullius vtilitatis.

§. XXIII. Conuertamus nos ad doctrinam de *variis ratiocinandi modis*, cuius historiam tradamus breuiter. non disserimus de naturali facultate ratiocinationes efficiendi, quippe quae omnibus inest hominibus; sed de arte conclusiones ex ante positis propositionibus deducendi, de qua praeceperunt philosophiae magistri, quippe quam ab antiqua aetate longe

1 *artis cogitandi cap. VIII. §. 25.* 2 *lexic. philos. p. 195. ed. 2.*
3 *addit. nucl. logic. Weisian. p. 702.*

repe-

repetere possumus, quamuis saepius per pravos hominum adfectus ad fallacias struendas; minus vero ad veritatis incrementa fuerit adhibita. in schola Eleatica ZENO tradidit artem *consequutionum* deducendarum ex quadam posita propositione, vt ostendit PETRVS GASSENDVS;[1] & Megarica EVCLIDES *methodum*, vti dicitur, *hypotheticam* introduxit. scilicet LAERTIVS[2] commemorat, quod aliorum demonstrationes ὀ κατα λήμματα, ἀλλὰ κατ᾽ ἐπιφορὰν, id est per absurdas conclusiones, quas ex aliorum sententiis collegit, confutauerit. quam rationem argumentationis IO. FRIDEMANNVS SCHNEIDERVS[3] ita explicat: *est nimirum methodus hypothetica modus quidam argumentandi, quo assumtam aduersarii hypothesin conclusionibus continuis impugnare solemus eo vsque, dum absurda inde nascatur conclusio, a qua retrogrediendo ad ipsam hypothesin dicimus: atqui absurda est vltima conclusio; ergo absurda est penultima, ergo antepenultima & sic porro, ergo tandem absurda est ipsa aduersarii hypothesis.* adhaec EVCLIDES argumentum ductum a comparatione censebat esse minus firmum, siue id a similitudine, siue dissimilitudine sumeretur. successor Euclidis EVBVLIDES multa fallaciarum genera, superioribus iam a nobis exposita protulit, iisque vt vera argumentationum doctrina corrumperetur, effecit. nec non de PLATONE obseruauimus, quod inprimis commendauerit *inductionem*, argumentationis speciem, & existimauit, quod sit λόγος διά τινων ἀληθῶν τὸ ὅμοιον ἑαυτῷ ἀληθὲς

1 *De origine & varietate logic. cap. II.* 2 *lib. II. segm. 166.*
3 *de variis argumentandi methodis sect. 6. p. 33.*

οἰκείως ἐπιφέρων, *oratio ex veris quibusdam ſimile ſibi verum proprie colligens atque inferens*, cuius duas ſpecies admiſit. altera fuit *κατ᾽ ἐναντίωσιν*, quæ fit *ex contrario*, quum interroganti in omni reſponſione inferatur contrarium, exempli gratia: *pater meus aut alius eſt, quam pater tuus, aut idem. ſi igitur alius eſt pater meus, quam pater tuus, quum ſit alius patris, non erit pater. ſi idem eſt, qui pater meus, idem exiſtens qui pater meus, meus erit pater.* quæ inductionis ſpecies non ad veros argumentandi modos; ſed ad ſophiſmata pertinet, quare iſta vſus eſt PLATO, quum rixæ fuerit locus. altera ſpecies erat *ἐκ τῆς ἀκολουθίας*, ex *conſequenti*, quæ iterum duplex fuit, altera quidem id, quod in parte quæritur, per id, quod eſt in parte, demonſtrat: altera, quod vniuerſaliter per id, quod in parte eſt, probat, vt habet DIOGENES LAERTIVS, [1] qui autem obſeruat, prius genus rectius pertinere ad ſcholas rhetorum. ALCINOVS [2] autem tradit inductionem vel a ſimili ad ſimile, vel a ſingulis transire ad vniuerſa, qui etiam putat, Platonem ſyllogiſmos feciſſe iuxta tres figuras ab Ariſtotele expoſitas: confer PETRVM GASSENDVM [3] & IO. FRIDEMANNVM SCHNEIDERVM, [4] qui etiam in auctorem huius argumentationis inquirit. atqui hoc genus ratiocinationum etiam ARISTOTELES explanauit, & nouam adhuc ſpeciem addidit, qua concluſio fit ab vno ſingulari ad vniuerſum; [5] vt adeo tres ſpecies inductionis ſint

1 *lib. III. ſegm. 53. ſqq.* 2 *de Platon. doctr. c. 5.* 3 *de origine & variet. logic c. 4.* 4 *de variis argumentandi modis ſect. IV.* 5 *de cælo lib. II. c. II. adde* ZEIDLERVM *analyſ. p. 407.*

cele-

celebratæ: *prima* conclusio instituitur a simili ad simile; *secunda* a partibus singulis ad totum & a singularibus collectis ad vniuersale; & *tertia* ex vna singulari specie ad vniuersale. ex quibus diuersis speciebus præcipue vsu logicorum celebris est secunda; ita vero a plerisque tradita, vt omnino emendatione & maiori cura egeat. primum enim discrimen inter inductionem mathematicam, quæ procedit a singulis partibus ad totum, & philosophicam, qua ex speciebus colligitur conclusio de genere, haud obseruant: deinde nonnulli diuidunt inductionem in *perfectam* & *imperfectam*, qua posteriore haud omnes partes & species enumerarentur, quod sine caussa fieri solet. nam inductio imperfecta, si etiam formula: *non datur exemplum contrarium*, addatur, non efficere potest conclusionem certam; sed tantum probabilem. tandem quidam inductionem ad certum syllogismorum ordinem reducere elaborarunt, vide STEPHANVM CHAVVINVM; [1] id quod partim per terminorum multitudinem; partim per vulgares syllogismorum regulas fieri non potest.

§. XXIIII. Quod ad ARISTOTELEM adtinet, constat, quo in honore ipsi fuisse syllogismum & qua cura industriaque hanc doctrinam eum exposuisse, siquidem princeps erat propositum, vt artem syllogismorum demonstraret, id quod pleniori opere PETRVS GASSENDVS [2] exposuit. quæ hanc in rem dederit præcepta, non est, quod heic recenseamus, quum ista longiori & frequentiori philo-

1 *Lexic. philos. p. 315 ed. 2.* 2 *de orig. logic. c. 5. adde exercit. parad. aduer. Aristot.*

sopho-

sophorum vsu sint celebrata adeoque satis cognita. quapropter id tantum obseruamus: num gloria artis huius inuentae Aristoteli vindicanda sit, nec ne? FRANCISCVS PATRICIVS [1] loca Platonis collegit, ex quibus pateat, philosophum hunc eadem ratione, qua Aristoteles vocem *syllogismi* vsurpauerit, adhibuisse nomen hoc, & adhuc dixit: *syllogismos, inductiones, exemplum, τεκμήρια apud antiquiores habemus vsu & adpellatione*; sic etiam ALCINOVS syllogismorum formas & figuras ex Platone commemorat, vt paullo ante a nobis fuit adnotatum. verum de hoc momento nulla est controuersia: num Plato fecerit syllogismos? siquidem & alii homines, quamuis arte dialectica haud exculti sint, tales argumentationes struere possunt; sed ea est princeps caussa, de qua disputare debemus: num quis ante Aristotelem manum industriamque negotio huic admouerit, vt artem ac praecepta de syllogismis eosque struendi ratione adferret, cuiusmodi nostro iudicio nullus produci potest. quamuis studia ipsius, quae in hanc logicae partem contulit, non sunt mediocria, praesertim si conditionem disciplinae huius illa tempestate reuocamus in mentem; non omnia tamen effecit perfecta, ac prout inueniendi veritatem modos haud demonstrauit; ita syllogismum quoque ad examen tantum veri & falsi adcommodauit, etiam multa ratiocinationum genera eaque maxime vtilia transmisit silentio. post excessum Aristotelis THEOPHRASTVS & EVDEMVS adde-

1 *Discuss. Peripatetic. tom. II. lib. I. pag.* 188.

dide-

diderunt doctrinam de *syllogismis hypotheticis*, vt ex BOETHIO probat GERH. IO. VOSSIVS.[1] STOICI multum ingenia sua in variis argumentorum generibus exercuerunt, quorum λόγος a syllogismo Aristotelis tribus modis differt: primum enim syllogismus Aristotelis saltem duas præmissas propositiones postulat; ad λόγον vero vnica sufficere poteſt, v. g. *viuis E. respiras*: deinde in syllogismis aliud quid conceditur in conclusione, quam in præmissis erat; sed in λόγῳ conclusio eadem esse poteſt cum præmissarum vel vtraque vel vna. prius si fiat, λόγοι dicuntur διαφορούμενοι, v. g.

si dies eſt, dies eſt
atqui dies eſt
E. dies eſt.

secundi generis syllogismi ἀδιαφόρως περαίνοντες dicuntur, v. g.

vel dies eſt, vel nox eſt
ſed dies non eſt.
E. dies non eſt.

tandem in syllogismis conclusio necessario sequitur conditionem præmissarum; Stoici vero tria genera λόγων habebant, quibus consequentia ex indole præmissarum haud pendebat. duo autem erant genera argumentorum, *concludentia* & *non concludentia*. *concludentia* ratione habita *materiæ* sunt vel *vera*, quæ ex sumtionibus veris veram illationem instituunt; vel *falsa*, in quibus res se se habet contraria ratione; verorum autem argumentorum alia sunt demonstratiua; alia minus; ratione autem habita *formæ*, concludunt vel

1 *De natura & constit. logic. cap. VIII. §. 8.*

syllo-

ſyllogiſtice, vel minus: nomine ſyllogiſmorum comprehendunt tantum *hypotheticos*, qui vel connexi ſunt, vel disiuncti, vel coniuncti, & diſponuntur iuxta modos, quorum duo ſunt genera. primum ſimplicium eſt & vocatur proprie τρόπος; qui ſit genus figuræ argumenti; alterum genus eſt compoſitorum modorum, quales λογότροποι vocantur, quod ex argumento pariter modoque componantur. argumenta, quæ ſyllogiſtice non concludunt, ſunt illa, quæ via ſyllogiſmorum concluſionem non eliciunt: v. g.

& diem eſſe & noctem falſum eſt:
ſed dies eſt
E. non nox eſt.

denique *argumenta non concludentia* ſunt, quibus oppoſitum concluſionis repugnat nexui ſumtionum, quorum quatuor ſunt genera, quum ſint talia vel per diremtionem; vel per redundantiam, vel eo quod ſint in figura incommoda, vel per defectum, quod pluribus perſecutus eſt THOMAS STANLEIVS. [1] EPICVRVS doctrinam de ſyllogiſmo haud dignam cultura cenſebat, rem exigui momenti eſſe ſibi perſuadens, *ſiue* quis dicat, omnis homo eſt animal ratione præditum, Plato eſt homo, ergo animal ratione præditum; *ſiue*: Plato eſt homo, ergo animal ratione præditum; *ſiue*: Plato eſt animal ratione præditum, quoniam homo eſt; *ſiue* omnis homo eſt animal ratione præditum, igitur & Plato; *ſiue* quia Plato eſt homo, igitur eſt animal ratione præditum, vide CHRISTIANVM THOMASIVM. [2]

1 *Hiſt. philoſ. p. 583.* 2 *philoſ. aulic. cap. IX. §. I.*

§. XXV.

§. XXV. Tempore *ſcholaſticorum* & *Peripateticorum* omnis logica arte componendi ſyllogiſmum abſoluebatur, de qua multum diſputarunt; re autem ipſa nihil ad incrementa diſciplinæ huius contulerunt. etenim generatim obſeruare poſſumus, quod hi doctores ſyllogiſmum non adhibuerint, veluti medium inueniendæ veritatis; quod de iſto more grammaticorum, non ea ratione, quæ decet philoſophum, diſſeruerint; quod de aliis ratiocinandi modis excogitandis non fuerint ſolliciti, quodte in nugis & inutilibus diſputationibus diligenter ſe ſuaque ingenia exercuerint adeoque doctrinam ſubtilem, ſpinoſam ac vtilitatis expertem tradiderint. quod ad ſyllogiſmum *ſimplicem* eumque *abſolutum*, vti dicitur, adtinet, acriter diſputarunt de definitione, quam dedit Ariſtoteles, ac primum quidem de genere ipſius, num λόγος ſignificet *rationem*, an *orationem*, prout quoque alii generis loco poſuerunt *argumentationem*; alii *habitum inſtrumentalem*, *inſtrumentum*, *diſpoſitionem*. differentiam vero huius ſyllogismi plerumque in ſcholis ſignificant per principia *materialia*, *formalia*, *canonica* & *perfectiua*, vti adpellantur. ad principia *materialia* referuntur termini & propoſitiones, vbi ratione concluſionis varias quæſtiones nullius momenti propoſuerunt: *num concluſio poſſit dici propoſitio? num ſit pars ſyllogiſmi? num ſit illius effectus, aut forma?* ratione principiorum *formalium* inſtituerunt varia exercitia grammatica ope figurarum & modorum ſyllogiſmorum, quum genuinum meditationis huius Ariſtotelicæ finem haud aſſecuti ſint, nec

in

in illis fundamenta diuersarum argumentorum rationum cognouerint. per principia *canonica* intellexerunt canones & regulas, quas ad bene formandos syllogismos magna copia constituerunt, quorum alia dicuntur *primaria*, quo spectat *dictum de omni* & *dictum de nullo*; alia vero *secundaria*. tandem principiis *perfectiuis* comprehendunt doctrinam de reductione atque expositione syllogismorum. syllogismus simplex *determinatus* diuiditur in modalem & exponibilem, de quibus multas fecerunt disputationes, nec non de syllogismis compositis, & elenchis sophisticis. quae omnia distincte recensere, non necessarium est, praecipue quum ex libris logicis, quorum incredibilis extat copia, peti possunt & cognosci. etenim non solum hanc doctrinam in scriptis logicis copiose exposuerunt; sed seorsim quoque pertractarunt, quales commemorarunt SPACHIVS, [1] BOLDVANVS, [2] DRAVDIVS [3] LIPENIVS, [4] MORHOFIVS. [5]

§. XXVI. PETRVS RAMVS duas dialecticae partes constituit, quarum altera de argumentorum inuentione; altera vero de iudicio disseruit, ac iudicium in *axiomaticum* & *dianoëticum* diuisit, & ratione dianoëtici etiam tractauit de syllogismo, *quo quaestio cum argumento, vt posito antecedente, necessario concludatur*. syllogismi autem duas partes fecit, antecedens, quod propositione & assumtione constet, & consequens, quod sit ipsa conclusio. si alterutra antecedentis pars desit, fit enthy-

1 *Nomenclat. philos. p.* 233. 2 *bibl. philos. p.* 126. 3 *bibl. philos. pag.* 1496. 4 *bibl. philos. pag.* 1446. 5 *tom. II. l.* 5. *n.* 4.

mema;

mema; si qua accedat, prosyllogismus. divisit syllogismum in simplicem & compositum: simplicem in *contractum* & *explicatum*. *contractus* fit, quando argumentum quasi in exemplum assumatur, v. g. *quaedam confidentia est virtus, vt constantia*; *explicatus* vero, quando omnes eius partes deducantur, v. g. *constantia est virtus, quaedam confidentia est constantia; ergo quaedam confidentia est virtus.* explicati duas species siue figuras facit: alteram, quando argumentum tam in propositione; quam in assumtione sequatur; alteram vero, quando argumentum antecedat in propositione & in assumtione affirmatum sequatur. ad priorem refert quatuor modos secundae figurae Aristotelicae; ad posteriorem quatuor primae, etiam nonnullos proprios addit. syllogismus compositus diuiditur in *connexum & disiunctum. connexus* fit duorum modorum: aut enim assumat antecedens & concludat consequens, v. g. *si dii sunt, diuinatio est igitur*; aut tollat consequens, vt tollat antecedens, v. g. *si nulli rei sapiens assentietur vnquam; aliquando etiam opinabitur: nunquam autem opinabitur; nulli igitur rei assentietur.* disiunctus vero duorum etiam fit modorum. nam vel vnum tollat, vt reliquum concludat, veluti: *aut dies est, aut nox est; at dies non est, nox igitur est*; vel assumat vnum, vt reliquum tollat, vt: *aut dies est, aut nox est; at dies est, non igitur nox est*: confer PETRVM GASSENDVM.[1] FRANCISCVS BACO de VERVLAMIO inductionem multum commendauit, & syllogismum reiecit.

[1] *De origin. logic. cap. IX.*

§. XXVII. Recentiores philoſophi doctrinam quoque de ſyllogiſmo attigerunt, quamuis non vna eademque ratione, ſiquidem *alii* aduerſus iſtam fecerunt cenſuras; *alii* vero eam ſimul ad veriorem vſum tranſtulerunt alioſque adhuc ratiocinandi modos excogitarunt: & *alii* denique placita Peripatetica retinuerunt, contra adcuſationes defenderunt, nouiſque auxerunt acceſſionibus. *primum* genus eſt illorum, qui in dignitatem doctrinae Ariſtotelicae & ſcholaſticae de ſyllogiſmo accuratius inquiſiuerunt, cum generatim, tum ſpeciatim. generatim obſeruarunt, ſyllogiſmum haud medium eſſe veritatis inueniendae; ſed ad inuentam veritatem, quae in concluſione ſita eſt, probandam & certa quadam ratione proponendam facere. IO. LOCKIVS [1] dicit: *ſyllogismus magis ad victoriam in diſputationibus conſequendam, quam ad veritatem inueniendam accommodatus eſſe videtur*; & paullo poſt: *ſyllogiſmus cognitione poſterior & proinde inutilis eſt*; item: *ſyllogiſmus ad ſummum ars tantum eſt, pauxilla iſta, quam habemus, cognitione cum aliis dimicandi, ſine vlteriori quouis argumento.* quod iudicium adprobat ANDREAS RVDIGER, [2] ſi intelligatur de vulgari doctrina: nec non CHRISTIANVS THOMASIVS. [3] & NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLINGIVS [4] bene obſeruat, quod, antequam ſtruatur ſyllogiſmus, nota ſit concluſio adeoque veritas, &

1 *De intellectu humano lib. IIII. cap. 17. §. 4. 6.* 2 *philoſ. ſynth. p. 114. ed. 3.* 3 *caut. circ. prae. iurispr. c. X. §. 3. not. b) & introd. ad philoſ. ration. cap. XII.* 4 *via ad verit. part. I. pag. 109. ſqq.*

hinc

hinc dicit: *quod vero iam notum eſt, id ſane interueniente forma ſyllogiſmi nec noue detegendum eſt, nec noue detegitur*; & quibusdam interiectis: *ergo ſi quid conducat ſyllogiſtica forma, diſputantibus ſane conducet, atque adverſarium impudenter apertas conſequentias negantem confundet.* ſpeciatim vero nonnulla momenta doctrinæ Ariſtotelicæ examinarunt, &, quid illis inſit, demonſtrare elaborarunt. Peripatetici igitur laudant tres figuras ſyllogiſmorum; CHRISTIANVS autem THOMASIVS [1] dicit: *figuras ſyllogiſticas quod adtinet, poſſemus carere ſecunda & tertia, tantum abeſt, vt quartam prioribus putemus eſſe ſuperaddendam, quia concluſiones tam affirmatiuæ, quam negatiuæ, tam vniuerſales, quam particulares comprehenduntur ſub modis primæ figuræ*; & GVNDLINGIVS: [2] *eminet inter omnes figuras prima. ceteris tuto caremus*: adde TITIVM. [3] quartam figuram, quæ vocatur *galenica*, non ſolum Peripatetici; ſed & recentiorum philoſophorum plerique reiecerunt; nonnulli autem, AVCTOR quippe *artis cogitandi*; [4] TITIVS; [5] IO. CHRISTIANVS LANGIVS; [6] ANDREAS RVDIGER [7] iſtam probarunt, quumue vulgares illius modi ſint *barbari, calentes, dibatis, feſpamo, freſiſom*, duos tantum RVDIGERVS retinuit, quoniam *calentes, feſpamo, freſiſom* pertineant ad ſecundam figuram, & pro *bar-*

1 *Philoſ. aulic. cap. IX. §. 12.* 2 *cit. loco p. 120.* 3 *arte cogitandi cap. X.* 4 *part. III. cap. 8.* 5 *arte cogit. c. X. §. 3.* 6 *addit. nucl. logic. Weiſ. p. 215.* 7 *phil ſynth. p. 127. de ſenſu veri & falſi lib. II. cap. 6. §. 36. diſſ. de variis ratiocin. adminic. c. III. §. 11. ſqq.*

bari poſuit *barbara*, ſicque fecit concluſionem pro particulari vniuerſalem. conditores logicarum peripatetici magnam regularum copiam ad ſtruendos ſyllogiſmos proponunt, quibus recentiores philoſophi haud æquale poſuerunt pretium. ſic generatim IO. CLERICVS [1] de illis ita iudicat: *verum quidquid dicant dialectici, hæ regulæ inanes ſunt, ſine rei, de qua agitur, cognitione; quoniam ſæpiſſime ſenſum vocabulorum intelligere non poſſumus, adeoque an ad regulas exactum ſit argumentum dignoſcere, niſi rem aliunde noſcamus. contra re cognita ſine regularum vſu haud difficulter falſitatem ratiocinationis deprehendimus; vnde colligere licet, inania eſſe logicorum pollicita, qui ſe effecturos ſpondent, vt quiſpiam ope ſolius dialectices poſſit quidlibet defendere & oppugnare*: confer GVNDLINGIVM [2] & GERHARDVM. [3] ſpeciatim vero regulam illam vulgarem, quod medius terminus non ingredi debeat concluſionem TITIVS [4] pronuntiauit, fruſtra eſſe poſitam: & IO. LOCKIVS [5] item ANDREAS RVDIGER obſeruarunt, quod canon ille, *nihil ſequi ex propoſitionibus particularibus*, ſit falſus. nec minori induſtria doctrinam de *ſyllogiſmis compoſitis* examinandam emendandamque eſſe cenſuerunt. nonnulli putarunt, ſyllogiſmos compoſitos duplicis eſſe generis: vel conſtet ex propoſitione compoſita, quo ſpectet ſyllogiſmus *conditionalis*, *diſiunctiuus*, *copu-*

1 *Logic. part. IV. cap. 5. §. 2.* 2 *cit. loc. p. 121.* 3 *delin. philoſ. ration. lib. II. cap. 4. §. 26.* 4 *de intellectu human. lib. IIII. cap. 17. §. 8.* 5 *de ſenſu veri & falſi lib. II. c. 6. §. 34. 35. philoſ. ſynth. p. 126.*

lati-

latiuus, & *comparatiuus*; vel conſtet ex pluribus ſyllogiſmis ſimplicibus, cuius generis ſit *dilemma* & *ſorites*: vide IO. CHRISTIANVM LANGIVM.[1] TITIVS[2] conſtituit duplicem ſyllogiſmum compoſitum: vel enim eundem ſyllogiſmum bis exhibeat, ſed imperfecte; vel plures ſyllogiſmos ſimplices, occultata vna aut altera propoſitione, contineat. ad priorem claſſem ſpectet ſyllogiſmus *copulatiuus*, *disiunctiuus*, qui & complectitur *dilemma*, & *conditionalis*; ad poſteriorem vero *ſorites*: cuius ſententiæ quoque eſt IO. FRANCISCVS BVDDEVS.[3] NIC. HIERON. GVNDLINGIVS[4] exiſtimat, quod ſyllogiſmus compoſitus in prima ſtatim propoſitione ſubiecti & prædicati collationem cum media idea oſtendat; ſitque vel *coniunctiuus*, vel *disiunctiuus*, illeque iterum vel *conditionalis*, vel *copulatiuus*. ANDREAS RVDIGER[5] obſeruauit, quod ratiocinatio disiunctiua & comparatiua non admittant formam ſyllogiſmorum, quia plures quam quatuor termini occurrant; concluſio non ſequatur partem debiliorem, & hinc in nulla figura nulloque modo ſit.

§. XXVIII. *Secundum* genus eſt illorum, qui vulgarem doctrinam de ſyllogiſmo non ſolum emendarunt & ad vſum veritatis cognoſcendæ adcommodarunt; ſed de aliis ratiocinandi modis excogitandis ſolliciti quoque fuerunt. atqui huc ſpectat ANDREAS RVDIGER. nam quum obſeruaret, quod claris-

1 *addit. ad nucl. log. Weiſ. p.* 187. 2 *arte cogit. cap. XII. §.* 1. 3 *philoſ. inſtrum. part. I. cap. I. §.* 36. 4 *via ad veritat. part. I. p.* 121. 5 *philoſ. ſynth. p.* 134.

ſimi viri CARTESIVS, CLAVBERGIVS, AVCTOR *artis cogitandi*, TSCHIRNHAVSEN, CLERICVS, THOMASIVS, aliique, qui in purganda hac doctrina a ſordibus ſcholaſticis multum operæ ac ſtudii poſuerant, partim nimis generalia præcepta tradiderint; partim modos inueniendi veritates haud demonſtrauerint; animum adpulit ad negotium hoc logicum, idque magna fide & induſtria in incrementum diſciplinæ huius egit. quam in cauſſam anno M DCCIIII. Lipſiæ edidit diſſertationem de *nouis ratiocinandi adminiculis*, cuius capite primo differit de *principiis demonſtratiue ratiocinandi proximis* ac fundamenta oſtendit, quibus propoſitiones, quum adfirment quid, aut negent, ſint vniuerſales, aut particulares nitantur; ſecundo *de modo ratiocinandi ſimpliciori, receptis doctrinis haud adcommodato*; tertio *de modo concluſiones nouas eliciendi receptis doctrinis accommodato*; & quarto de *vſu huius doctrinæ*. qua diſputatione multas quidem emendationes doctrinæ Peripateticæ & acceſſiones non leuioris incrementi fecerat; curis tamen & meditationibus, quibus animum penitus conſecrauit, poſterioribus meliora & præſtantiora præſtitit omnia. quapropter quum anno M DCCVII. ederet *philoſophiam ſyntheticam*, ei inprimis curæ fuit; quemadmodum viam non ſolum ad examen veri; ſed inuentionem quoque commonſtraret; præcepta de examinandis ratiocinationibus exhiberet & ratiocinationem quatuor terminorum & obiectiuam exponeret. ſed anno M DCC VIIII. librum *de ſenſu veri & falſi* emiſit in lucem publicam,

quo

quo omnia pleniore & clariore ratione explanauit, atque inprimis discrimen inter ratiocinium mathematicum & philosophicum ostendit, etiam de ratiocinatione grammatica egit. anno MDCCXI. iterum *philosophia synthetica* publici vsus fiebat, qua editione addidit ratiocinium a maiori ad minus, & a minori ad maius; & anno MDCCXVI. prodibat ipsius *physica diuina*, qua copiose disseruit de differentia ratiocinii mathematici & philosophici. tandem tertia editione *philosophiae syntheticae* anno MDCCXVII. duo ratiocinationum genera, *caussalem* & *practicam* adiecit, etiam de *possibilitate*, *cognitione vulgari*, *ratiocinatione negatiua consequentiae adparentis* & demum *composita* egit, cuius doctrinae de variis ratiocinandi modis a RVDIGERO traditae iam exhibebimus summam, secuti editionem tertiam philosophiae syntheticae. diuidit igitur veritatem ratiocinatiuam in *sensualem*, *idealem* & *grammaticam*. *sensualis* siue mathematica ex circumstantiis quantitatis applicatione sensuum immediata colligitur, quod discrimen inter ratiocinationem mathematicam & philosophicam RVDIGERVS primus distincte exposuit, praesertim *physica diuina*, [1] quae caussa quoque, cur saepius aduersus Cartesium, eius sectatores ac plerosque mathematicos disserat. quam differentiam alii quidem ante RVDIGERVM obseruarunt, ISAACVS NEWTON, [2] IO. CLERICVS, [3] GVIL. GILBERTVS; [4] nemo tamen istam tam copiose & distincte exposuit. *idealis* veritas ratioci-

1 *Lib. I. cap. 1. §. 40 p 13 sqq.* 2 *philos. natur. princ. math.* 3 *logic. part. III. c. 13.* 4 *de magnet. lib. VI. cap. 3. 9.*

natiua siue philosophica, est vel generalis, vel specialis. *generalis* vel duobus solum constat terminis, vel tribus & quatuor, vel pluribus. quae duobus solum constat, diuiditur in *conversionem* & *oppositionem*, quas in speciebus ratiocinationum numerat, quum a Peripateticis habeantur adfectiones propositionum. veritas ratiocinatiua idealis, quae constat tribus & quatuor terminis, est syllogistica; considerat autem RVDIGERVS syllogismum synthetice, veluti medium inueniendi nouas veritates. quibus de caussis fundamenti loco ponit propositionem, & inde deducit nouam ideam, quam complectitur conclusio, quae noua idea si coniungitur cum illa idea, vnde deducta est, efficere potest propositionem minorem adeoque formam syllogismi. dicitur igitur haec ratiocinatio *assumtiua*, quia nondum positus terminus siue idea assumitur: quae idea deducitur modo ex subiecto, modo praedicato tantum, modo simul ex subiecto & praedicato propositionis fundamentalis, vt inde duo genera veritatis ratiocinatiuae assumtiuae, alterum per *tres terminos*; alterum vero per *quatuor terminos* gignantur. qua doctrina exponit momenta de figuris & modis syllogismorum, eaque ita explanat, vt variis ratiocinandi modis ad inueniendas veritates debeant inseruire. quibus traditis, explicat veritates ratiocinatiuas, quae ad syllogismorum formas haud possunt adcommodari, quales sunt *transsumtiua*, quam diuidit in *disiunctiuam* & *comparatiuam*; *obiectiua*, *practica*, *caussalis*, & addit doctrinam de diuersis ratiocinatiuae assumtiuae formis. tandem disserit de veritate ratiocinatiua

natiua *verbali*, qua rectum verborum vſum concludimus.

§. XXVIIII. *Tertium* genus eſt illorum, qui placita Peripatetica ac ſcholaſtica retinuerunt, notisque illuſtrarunt & acceſſionibus auxerunt. quo ſpectat vir clariſſimus IO. CHRISTIANVS LANGIVS, qui additamentis ad *nucleum logicæ Weiſianæ* multam operam doctrinæ huic de ſyllogiſmo dedit, varias imagines ad modos ſyllogiſmorum facilius percipiendos ſpectantes exhibuit, & omnino admodum ſubtilis regularum extitit auctor, vt non omnis ingenii eſſe cenſeamus, ipſius præceptis animum ad artem hanc cognoſcendam exercendamque præparare. equidem Peripateticorum placita non tam ſancta conſiderauit æſtimatione, vt ab illis nonnunquam diſcedere, nefas atque impium eſſe crediⅾiſſet; in explicandis tamen atque illuſtrandis doctrinis inutilibus maxime fuit diligens, easque retinuit, quarum magnam partem potuiſſet dimittere ſilentio, etiam confutare, niſi forſan ſingulari quadam cauſſa adductus tale ſeruauerit inſtitutum. quos modos ſyllogiſmorum tradiderit IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS, idem doctiſſimus LANGIVS [1] obſeruat.

§. XXX. Perueniamus ad doctrinam de *demonſtratione*, quæ vox non vna ſententia vſurpatur a philoſophiæ magiſtris. notat enim generatim probationem, ſiue ſit certa, ſiue probabilis; ſpeciatim vero probationem certam, modo illam, quæ ſenſione ipſa nititur; modo eam, quæ ex indole idearum ſiue notionum mentis deducitur, quæ poſterior a ple-

[1] *p.* 398.

risque *demonstratio*; prior autem *ostensio* adpellatur. quodsi philosophorum monimenta perlustramus, non obscure ex illis colligere possumus, quod per longum temporis tractum doctrina Aristotelis multis in magno fuerit pretio atque honore; tempestate vero, qua noua lux philosophiæ orta est, magna ceperit detrimenta, & quæ de demonstratione tradi debent, ratione plana, euidenti atque vtili sint exposita. ARISTOTELES quippe ex omnibus philosophis, quos ætas vetus protulit, in hoc logicæ argumentum incubuit diligentissime, ideoque ab asseclis suis singulari æstimationis cultu est adfectus ac creditus, quod cælesti motu quodam incitatus ad opus hoc adgressus, eiusque partes diuinis auspiciis peregerit felicissime. scripsit autem ARISTOTELES libros duos *priorum analyticorum* & libros totidem *analyticorum posteriorum*; ἀναλύειν autem est *resoluere quæstionem ad propriam caussam*, vt ex THEMISTIO [1] colligi potest. erat enim ipsi princeps propositum, artem syllogismum componendi tradere, cuius tres species, *demonstratiuum*, *dialecticum* & *sophisticum* constituebat, quam in caussam quum syllogismus compositus sit ex propositionibus; & propositiones constent ex terminis, præmisit libros de enunciationibus & categoriis. de syllogismo igitur demonstratiuo egit libris analyticorum, ac quidem *prioribus* de syllogismo generatim; *posterioribus* de demonstratione speciatim, quam dicit esse syllogismum ἐπιστημονικόν, confer PETRVM GAS-

1 *lib. 1. poster. analyt.*

SENDVM.

SENDVM.[1] quapropter GALENVS[2] indicat, veram & antiquam inſcriptionem analyticorum priorum fuiſſe περὶ συλλογισμῦ, quod etiam confirmat BOETHIVS:[3] *ſcripſit autem duos reſolutorios libros de ſyllogiſmo*; poſteriorum autem analyticorum antiquum titulum fuiſſe περὶ ἀποδείξεως, *de demonſtratione.* demonſtrationem, cuius effectus ſit ſcientia, diuiſit Ariſtoteles in demonſtrationem τῦ διότι, & τῦ ὅτι, quarum prior eſt, qua probatur effectus per cauſſam propriam, & dicitur quoque demonſtratio *a priori*, quæ ſecundum Ariſtotelem conſtare debet ἐξ ἀληθῶν, καὶ πρώτων, καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτίων τῦ συμπεράσματος. atqui hac ratione quatuor proprietates principiorum, quibus nitatur demonſtratio, poſuit. primum enim dicit, hæc principia debere eſſe *vera*, quoniam ex falſo verum haud poſſit cognoſci, ac quidem *neceſſario vera*, cuius neceſſitatis tres gradus ex ARISTOTELE obſeruant, κατὰ παντὸς, καθ' ἀυτὸ & καθόλυ. principia κατὰ παντὸς dicuntur, vbi prædicatum de ſubiecto omni ſemper vere dicatur; κατ' ἀυτὸ, ſi prædicatum comprehendat notionem differentiæ ſubiecti; & καθόλυ, ſi prædicatum ratione *ſubiecti* ita ſe habeat, vt reciprocando poſſit efferri. ſecundum principia debent eſſe *prima* & *immediata*, quæ per alia non ſint demonſtranda; diuiduntur autem iſta in *axiomata* ac *theſes* & has in definitionem & hypotheſin. tertium putauit Ariſtoteles, demonſtrationem eſſe inſtituendam ex *principiis notioribus* &

1 *De origin. & varietat. logic. cap. V.* 2 *de libris propriis tom. IIII. p. 367.* 3 *II. de interpretat.*

prioribus,

prioribus, non nobis; sed natura. scilicet alio loco [1] tradit distinctionem inter notiora natura & nobis, inter γνωριμώτερα κατὰ τὸν λόγον & γνωριμώτερα κατὰ τὴν αἴσθησιν, id est, *notiora secundum rationem & secundum sensum*, illa vero longissime a sensu abesse & esse maxime vniuersalia docet. [2] quæ omnia si colligamus, deprehendimus, quod notiora natura siue secundum rationem sint *vniuersalia*; notiora nobis vero siue secundum sensum *singularia*, quam sententiam plane falsam & erroneam cur amplexus sit Aristoteles, definire non possumus: ac quamuis nonnulli crediderint, ipsum per PLATONIS doctrinam, quod ideæ veri fuerint in mente, antequam sit coniuncta cum corpore; in hanc opinionem esse deductum; constat tamen ex aliis locis, Aristotelem his Platonicis nugis nullum præbuisse assensum. ceterum non mirum, quod existimauerit, cognitionem nostram incipiendam esse ab vniversis & ducendam ad singularia, [3] quoniam totum sit notius suis partibus, & vniuersale sit totum, hincque aliis adhuc adductus caussis physicam tradiderit ad rationem metaphysicorum. sed tamen confundit philosophus hic totum logicum siue vniuersale cum toto physico. de hoc verum est, quod sit notius suis partibus, quoniam propius adpositum est sensibus, quam eius partes, quod autem nemo dicat de vniuersali. tandem principia huius demonstrationis debent esse *conclusionis caussæ*. quod autem ad demonstrationem τοῦ ὅτι adtinet, illa ignobilior priore habetur ac defini-

[1] *physs. lib. I. c. 5.* [2] *analyt. poster. lib. I. cap. 2.*
[3] *physic. auscult. lib. I. c. 1.*

tur,

tur, quod sit *scientia, qua cognoscatur scientifice, hanc vel illam adfectionem huic vel illi subiecto inesse*, cuius tria genera ex ARISTOTELE numerant Peripatetici & adhuc multas speciales regulas tradunt.

§. XXXI. Non defuerunt, qui hanc Aristotelis doctrinam commentariis illustrarunt, explicarunt, ac per longum temporis spatium propagarunt, ea mentis opinione occupati, quod in ista summum logicæ præsidium positum sit. ex vetustioribus in posteriorum analyticorum libros vtrosque scripserunt THEMISTIVS & IO. PHILOPONVS; in librum secundum EVSTRATIVS aliique, quorum opera haud seruata sunt, nec non AVERRHOËS, confer GERHARDVM IO. VOSSIVM [1] & IO. ALBERTVM FABRICIVM. [2] posthac præcipue tempestate scholasticorum hanc quoque logicæ Aristotelicæ partem coluerunt diligenter, nec solum istam in scriptis logicis exposuerunt; sed & seorsim tradiderunt ac de demonstratione peculiares scripserunt libros. ex quibus præ aliis VIOTTVS & SCHEGKIVS celebritatem ac famam nominis sibi compararunt, quamuis non omnia, quæ Aristoteles ea de re sensit, consentione sua confirmauerint, vti de hisce operibus iam supra disseruimus. præter quos alii idem argumentum sunt persecuti, SEBAST. FOXIVS, IO. LVD. HAVENREVTERVS, ANDR. LIBAVIVS, ANDREAS PLANERVS, quorum monimenta recensent BOLDVANVS, [3]

1 *De natur. & const. logic. c. XII. §. 7.* 2 *bibl. græc. lib. III. c. 6. p. 114.* 3 *p. 130.*

DRAV-

DRAVDIVS,[1] & LIPENIVS[2] bibliothecis suis philosophicis.

§. XXXII. At vero qui philosophiam Aristotelis non sancta & deuota animi religione coluerunt, ac suo ingenio veritates sapientiæque arcana perscrutari instituerunt, de hac quoque doctrina iudicarunt liberius, ipsamque diligenter examinatam non adeo grauiorem esse pronuntiarunt. PETRVS RAMVS[3] multa in Aristotelis præceptis de demonstratione atque in libris analyticis de assidua obscuritate queritur; quum contra PROCLVS[4] Aristoteli vitio vertat, quod ipsius analytica nimis sit perspicua, vt a quouis non plane stupido possit intelligi. atqui huiusmodi censuram aduersus rem laude omnino dignam merito reiecit GERHARDVS IO. VOSSIVS;[5] qui autem, quum obseruasset, quod in analytica posteriora nemo melior *Zarabella* & *Crellio* scripserit, de RAMO ita iudicat:[6] *Rami furiosa conuitia in demonstrandi artem, quam non intelligit, nec asse emptitem. sane dum inutiles herbas se ex logicis runcare velle promittit, euellit longe vtilissimas, dumque arborem totam pollicetur, ramum tantummodo exhibet: Thessali & aliorum similis, qui vt Galenus primo methodi libro ait, haud exquisite accurateque instituendo morborum diuisiones, perinde faciunt, ac si litteras dispescerent in vocales & consonas, ac sic belle se defunctos putarent, quasi non & illæ suas habeant differentias ac species.* nostro iudicio & RAMVS & VOSSIVS affecti-

1 *p.* 1334. 2 *p.* 376. 3 *scholis dialect. lib. IX.* 4 *scholiis* [illegible] *Platonis Cratyl.* 5 *de natura & constit. logic. c. XII. §. 3.* 6 *cit. loc. §. 7.*

bus

bus aliquid dederunt, & humani quid passi sunt. ille, quod acerbius interdum Aristotelem perstrinxerit; hic vero, quod nimio erga philosophum hunc amore incitatus vehementer disseruerit aduersus Ramum, nec discrimen inter res ipsas, & modum disputandi fecerit, qui reprehensione quidem dignus esse potest, quamuis res ipsa suum pretium habeat. PETRVS GASSENDVS vt grauissime de integra Aristotelis philosophia sensit ac iudicavit; ita & in hoc argumentum ad demonstrationem spectans animaduersiones instituit accuratius. etenim [1] obseruat non solum generatim in hac doctrina multa deesse; multa haud vtilia; sed inania, quin etiam sibi contraria & repugnantia proponi; sed & speciatim singulari industria magnaque iudicii vi demonstrat, neque talem demonstrationem, neque scientiam dari, qualem exposuit Aristoteles, cuiusmodi obseruationes dignæ omnino sunt, quas omnes diligenter legant mentisque meditatione assidua contemplantes expendant. CHRISTIANVS THOMASIVS [2] quum breuiter placita Aristotelis de demonstratione attigisset, addit: *his omnibus missis, partim vt euidentibus, partim vt inutiliter subtilibus, partim vt falsis*; & IO. FRANCISCVS BVDDEVS [3] dicit: *cetera, quæ prolixe de demonstratione præcipiunt, dum de quæstione, quæ demonstrari possit, de immedietate rationum probantium, de gradibus necessitatis operose disputant, futilia sunt & inepta. sicut & illud*

1 *exerc. parad. aduersus Aristot. lib. I. exerc. V. seqq. p. 125. tom. III. opp. lib. II. exerc. V. & VI.* 2 *introd. ad philos. aulicam cap. VIII. §. 4.* 3 *philos. instrument. p. I. c. 3. §. 21.*

inepte

inepte satis & ridicule asseritur, quod in demonstratione apex scientiæ humanæ, immo omnis felicitatis consistat. veritas enim indemonstrabilis præstat demonstrabili: & vero similitudinis interdum maior est vtilitas, quam scientiæ. ANDREAS RVDIGER [1] obseruauit, quod principia, quæ Aristoteles ad demonstrationem τῦ διότι necessaria esse putauit, aperte significent confusionem demonstrationis mathematicæ & philosophicæ; alio autem loco [2] ostendit rationem, qua hæc doctrina sit exponenda. nec negari potest, quod Aristotelis præcepta non solum perturbatim & sæpe obscure sint proposita; sed & multa contineant, quæ in nugis numeranda, & momenta haud leuiora silentio prætermittant. nam ante omnia ignorantiam veræ indolis veritatis cum certæ, tum probabilis deprehendimus, nec non discriminis demonstrationis, quæ modo immediate ex sensione; modo ex definitionibus idearum est instituenda. multæ dantur demonstrationes maxime firmæ ac solidæ, quæ haud principiis immediatis ac primis nituntur, nec niti possunt. nec in gradibus necessitatis, quos tradidit Aristoteles, verum adsecutus est fundamentum, siquidem necessarium nexum inter subiectum & prædicatum, ex quibus enunciatio composita est, ex subordinatis & diuersis ideis, num idea prædicati pertineat ad essentiam subiecti, an accidentia, nec ne? demonstrare debemus, ex quibus facile potest colligi, num propositio sit pronuntianda vniuersa, an particulares. quod si ita est,

1 *phys. diuin. lib. I. cap. I. sect. 2. §. 67. seqq.* 2 *de sensu veri & falsi lib. IIII. cap. 4.*

sicuti

ſicuti eſt, hanc doctrinam rectius ac verius tradendam eſſe putamus, quod hac ratione noſtro iudicio fieri poteſt. demonſtratione philoſophica vel adprobamus, vel refutamus concluſiones. priori modo concluſiones noſtras probamus per definitiones noſtras, quæ eſt demonſtratio *a priori*; definitiones autem & alias veritates demonſtramus per ſenſionem, quæ eſt demonſtratio *a poſteriori*. refutamus autem aliorum concluſiones ex definitionibus ipſius ac diuiſionibus, quas ſi ipſi quoque admittimus, eſt demonſtratio *κατ' ἀλήθειαν*, ſin minus, *κατ' ἄνθρωπον*. definitiones vero ac diuiſiones aliorum refutamus vel per ſenſiones, quæ eſt *deductio ad impoſſibile*; vel per concluſionem manifeſte falſam, quæ eſt in theoreticis *deductio ad abſurdum*; in practicis *deductio ad incommodum*: confer ANDR. RVDIGERVM. [1]

§. XXXIII. Ratio ordinis poſtulat, vt doctrinam de *probabilitate* ex hiſtoriarum monumentis illuſtremus breuiter. veteres philoſophi ante Ariſtotelem nihil tradiderunt de hac ſpecie veritatis, ſiquidem ſatisfeciſſe aliis perſuadebant ſibi, quando argumentandi artem demonſtrarent. ARISTOTELES differentiam conſtituebat inter *analyticam*, id eſt, doctrinam de demonſtratione, cuius finis ſit ſcientia; & *dialecticam*, quamuis hæc vox a Peripateticis non vna adhibeatur ſententia. quando enim dialecticam opponunt analyticæ, dialectica apud Peripateticos eſt ars ex probabilibus diſſerens: hinc a SVIDA quoque definitur, quod ſit *μέθοδος δι' ἐνδόξων περὶ*

1 *Philoſ. ſynthetic. p. 218. ed. 3.*

παντὸς τοῦ προκειμένου συλλογιστική, *methodus, qua per probabilia de qualibet propoſita quæſtione ratiocinatur.* at vero quum aliquid vel vere ſit probabile, vel tantum tale adpareat; vocem *dialectica* vſurparunt modo ampliori ſententia pro vtraque ſpecie probabilitatis, qua ratione dialectica in organo Ariſtotelis complectitur ipſius libros *topicorum* atque *elenchorum ſophiſticorum*; modo vſu ſtrictiori pro ea doctrina, quæ tantum vere probabilia tractet, & octo libris topicorum exponatur. quibus Ariſtoteles proponit ſyllogiſmum probabilem, dialecticum, quem adpellat *epichirema*; probabile autem ipſi eſt *propoſitio, quæ omnibus, aut pleriſque, aut ſapientioribus, iisque vel omnibus, vel pleriſque, vel celeberrimis vera videtur.* [1] id, de quo inſtituitur heic diſputatio, dicitur *problema*, item *quæſtio*, vt adeo dialectica tradat artem de rebus vere probabilibus diſſerendi, bene interrogando, apteque ad interrogata reſpondendo, vſque dum deducatur probabile: atqui hæc eſt cauſſa, cur doctrina talis dicatur ἐρωτηστική καὶ ἐξεταστική. quapropter Ariſtoteles multa dat præcepta cum *interroganti*, tum *reſpondenti*, atque exiſtimat, quod hæc logicæ pars animam præparare debeat ad argumenta, quæ gignant ſcientiam. nam ipſi dialectica eſt πρώτη ἀνάλυσις; & analytica eſt ſecunda & ἀνάλυσις vera: triplicem autem vſum ſpeciatim commemorat dialecticæ, [2] ad *exercitationes*, ad *colloquia* & ad *philoſophiæ ſcientiam.* at vero quum exiſtimat Ariſtoteles, omnem diſputationem inſtitui de problemate & quæſtione, ad quam poſſit re-

1 *Lib. I. top. cap. I.* 2 *lib. I. cap. II. top.*

ſpon-

ſponderi *eſt* aut *non eſt*; omne problema pertinere putat ad rei, de qua quæſtio inſtituatur, aut definitionem, aut genus, aut proprium, aut accidens, confer GERH. IO. VOSSIVM [1] & PETRVM GASSENDVM. [2] exſtant e græcis commentaria in libros Ariſtotelis *topicorum* ALEXANDRI *Aphrodiſei*; THEMISTII autem commentarius periit: e latinis huc ſpectant CICERONIS *topica*, quæ libris ſeptem expoſuit BOETHIVS, cuius latina interpretatio topicorum Ariſtotelis quoque exſtat, confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [3] ſophiſtæ & rhetores transferebant vſum topicorum ad ſtudia eloquentiæ, & corruptam exercebant artem, qua de re quadam in vtramque diſſeruerunt partem, id quod GERH. IO. VOSSIVS [4] quoque obſeruauit, quamuis alieno a mente noſtra iudicio. namque tale inſtitutum probat vehementer, quod nos iis de cauſſis reprehendendum eſſe cenſemus, quoniam genuina diſciplina & logicæ & eloquentiæ inde multum cepit detrimenti: illa quod dialecticam ſiue doctrinam de probabilitate ad oratoriam præcipue pertinere exiſtimauerint; hæc vero, quod mutata fuerit in ſophiſticam artem de omnibus rebus diſſerendi in vtramque partem, id quod munus quidem eſt ſophiſtarum; minus vero germanorum oratorum ac rhetorum. veteres STOICI quidem diſcrimen poſuerunt inter *ſcientiam*, *opinionem* & *comprehenſionem*: *ſcientia* erat firma ac ſtabilis comprehenſio, quam ne ratio quidem

1 *De natur. & conſtit. logic. cap. XII.* 2 *de origin. & variet. logic. c. V. p. 47.* 3 *bibl. græc. lib. III. cap. 6. p. 115.* 4 *cit. loc. §. XI. XII.*

mutare possit: *opinio* autem imbecilla & falsa assensio & *comprehensio* assensio visi comprehensibilis, quod ita verum, vt non possit esse falsum. hinc colligitur, in solis sapientibus scientiam; opinionem vero in stultis esse; vtrisque autem communem esse comprehensionem, vt quae sit id, per quod verum diiudicatur: confer THOMAM STANLEIVM.[1] sic quoque Stoici argumenta vera diuiserunt in demonstratiua & minus demonstratiua; sed indolem genuinam probabilitatis minus exposuerunt.

§. XXXIIII. Peripatetici non adeo solliciti fuerunt de hac logicae parte, qua de re queritur GER. IO. VOSSIVS:[2] *pars haec logices negligenter admodum tractari in scholis solet, siue vt facilis & obuia, siue vt inutilis.* atqui omnino haec Aristotelis doctrina, si iudicare velimus ex veritate, est inutilis & admodum lubrica, quae nullo fundamento nititur. etenim quaerit Aristoteles probabilitatem in opinione aliorum, quae cum veritate nihil habet commune, quum potius quaerenda sit in ipsa re: quin etiam si posita est in opinionibus hominum, opiniones debent iam esse cognitae, quarum si nulla est probabilis; excogitanda quidem esset noua, quod autem secundum haec principia haud fieri potest. nam vbi nulla est opinio, ibi nulla est probabilitas. nec solide illos determinat, quorum opinionem in cognoscenda probabilitate debeamus amplecti, quando dicit: probabile est, *quod videtur omnibus, vel pluribus, vel sapientioribus.* quis

1 *Hist. philos. p. 565.* 2 *cit. loc. §. VIII.*

enim *plures* coniungat cum *sapientibus?* idem esset ac si quis de vita pie instituenda consulere Christum & Belial iuberet, siquidem plures affectibus dediti longe absunt a sapientia, vt adeo mens nihil probabile possit adsequi, si plures quid affirmant; sapientes autem negant. quando autem Aristoteles opiniones sapientum probabile quid efficere censet; error hic ipsi communis fuit cum Stoicis, quos lepide perstringit CICERO:[1] *quod dicunt, omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem; probarem, si id ipsum rudes & indocti iudicare potuissent: statuere enim, quid sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis.* ceterum corruptæ eloquentiæ cultoribus, qui id in summa laude ponunt, quando in vtramque partem disserere aliisque fucum facere possunt, hæc Aristotelis placita non possunt non placere.

§. XXXV. Merito igitur recentiores nonnulli philosophi, quibus inerat summa iudicii vis studiumque veritatis, peripateticam doctrinam hanc examini suo submiserunt, inter quos PETRVS GASSENDVS præcipue negotio hoc functus est feliciter. *primum* obseruat, libris topicorum Aristotelis omnia magna confusione esse perturbata;[2] *deinde*[3] dicit: *nugas, quibus libri topici scatent, commemorare quis valeat? obseruari dumtaxat velim doctrinam vanissimam, quae libris praesertim IV. V. VI. per negationes traduntur. tertium*[4] notat multa erronea & in illis præcepta duo, quorum alterum est, vt in disputatione loquamur

1 *Lib. IV. quaest. acad. c. 5. p. 127. t. III. opp.*
2 *exerc. parad. aduers. Aristot. lib. I.*
3 *exercit. VI. p. 133.*
4 *ibid. exerc. VII. p. 138.*

mur ambigue; vt potius quidquid obuenerit animo, effutiamus, quam vt cedamus aduersario nobis. in eodem quoque censu habet, quod doceat, disputationem cum plebe instituendam esse non per syllogismos; sed inductionem, quasi homo plebeius ac rudis vim syllogismorum haud capere possit; item quod orationem, quæ concludat additis detractisque quibusdam, vitiosam pronuntiet, quasi enthymema sit vitiosum, cuius tamen longe frequentior sit vsus, quam integri syllogismi. *tandem* [1] ostendit, multa hisce libris contineri, quæ sibi sint repugnantia & contraria, cuiusmodi censura satis est iusta & firma, quamuis ad rem ipsam probabilitatis speciatim haud spectet, nec significet, quam ieiuna & arida, etiam falsa heic sint præcepta Aristotelis.

§. XXXVI. Qua cura & industria RAMVS & ipsius asseclæ *locos topicos*, veluti sedes argumentorum tradiderint, satis notum & iam supra a nobis obseruatum est. recentiori tempestate philosophi magnis quidem studiis logicæ artem emendare, illamque nitidiore ornatam facie exhibere elaborarunt; sed pars hæc de probabilitate aut a plerisque logicarum scriptoribus minus exposita; aut leuiori industria nec pro rei dignitate tradita. atqui omnino est, quod talem miremur negligentiam. probabilitas est species veritatis, ex cuius præstantia de illius quoque excellentia debemus iudicare, præcipue quum plurium rerum, quæ ad cognitionem nostram possunt venire, probabilis tantum sit notitia, adeo vt ope eius neque homo doctus, neque rudis lit-

1 *Cit. loc. exercit. VIII. p. 144.*

tera-

terarum carere possit. sic doctrina, quae res naturales explicat, quaeue praecepta de consiliis & prudentia viuendi tradit, probabilitate nititur, quod celeberrimi ac grauissimi physicae doctores professi sunt ingenue. nec historiarum studia felicius possunt coli, aut interpretationes scriptorum prospere institui, nisi doctrina haec de probabilitate lucem praeferat suam, vt multa alia taceamus momenta, in quibus illius vtilitas maxime est insignis ac conspicua. pauci igitur sunt, qui accurate copioseque disputarunt de probabilitate. PETRVS GASSENDVS [1] putat, in eo consistere naturam probabilitatis, *quod plus habeat euidentiae, quam obscuritatis*: siquidem dicit: *syllogismus suasorius, probabilis, opinabilisque talis dicitur propter notitiam confusionis, quam ita persuadet, probatque, vt tametsi plus euidentiae, quam obscuritatis habeat, relinquat nihilominus haesitationis aliquid & idcirco dici opinio mereatur. opinio quippe, quatenus volunt eam differre a scientia, nihil aliud est, quam notitia non plane certa, sed cum quadam formidine imbecillitateue assensus. heinc ὑπόληψις etiam graece dicitur, quasi sit suspicio, ne forte fallamur.* sed hac ratione GASSENDVS probabile quidem distinguit ab eo, quod haud probabile est; minus vero a demonstratiue vero, de quo etiam dicere possumus, quod plus habeat euidentiae, quam obscuritatis. IO. LOCKIVS [2] duobus fundamentis probabilitatem niti, adfirmauit, quod alterum sit *rei cuiusuis conuenientia cum cognitione, obseruatione &*

1 *Instit. logic. part. III. canon. 18. p. 117. t. I. opp.* 2 *de intellect. human. lib. IIII. cap. 15. §. 4.*

experientia nostra; alterum *testimonium aliorum*, *quo ea confirmant*, *quae obseruarunt atque experti sunt*; quae principia LOCKII vera quidem sunt; minus vero adaequata. etenim experientia pertinet tantum ad probabilitatem medicam, & testimonium ad probabilitatem historicam, praeter quas adhuc aliae sunt species, quae haec principia haud admittunt. ceterum quum testimonium, velut principium generale probabilitatis posuerit, videtur procliuis ad sententiam Aristotelis, qui vult, vt in studiis probabilitatis consulamus *omnes*, *plures* & *sapientes*. CHRISTIANVS THOMASIVS [1] censet, quod probabilitas *sit ostensio assertionis per connexionem non necessariam*; & alio loco [2] duo criteria probabilitatis commendat, alienam quippe experientiam probam; & propriam notionem mentis accidentium. IO. CLERICVS [3] putat, quod probabilitas nitatur aliena auctoritate, rei natura, cognitione ac experientia nostra siue vera, siue falsa, animique nostri adfectione & ratiocinationibus, quem sequitur IO. FRANCISCVS BVDDEVS. [4] EPHRAIM GERHARDVS [5] differit quoque de hoc veritatis genere ac putat, ea, quae cognitionem reddant verosimilem, versari vel circa propositiones singulares, vel circa vniuersales; ac singulares effici partim per experientiam, partim per testimonium, quae est vulgaris doctrina.

§. XXXVII. Nemo autem ex omnibus philosophis tam solide, accurate ac diligenter ex-

1 *Phil. aulic. c. VIII. §. 5.* 2 *introd. ad phil. ration. cap. X.* 3 *logic p. II. c. 8.* 4 *philos. instrum. part. I. c. 3. §. 32.* 5 *delin. phil. ration. lib. I. cap. 9.*

posuit

posuit hanc doctrinam, ac ANDREAS RVDIGER; qui non solum indolem ac genuinum probabilitatis fundamentum indicauit; sed diuersas ipsius species distincte quoque posuit. scilicet[1] ab ipso definitur probabilitas, *quod sit ratiocinatio, qua ex eo, quod plures sensiones in suppositione aliqua seu hypothesi sensui immediate haud obuia, conueniunt, concludamus ad veritatem hypotheseos, ea certitudine, quae omni exceptione haud sit maior*; qua definitione bene ac perspicue probabile distinguit ab eo, quod fieri potest, a fuco oratorio, a prouerbiis, auctoritate, similitudinibus. diuidit probabilitatem in *theoreticam* & *practicam*; & theoreticae duas constituit species, quarum altera spectet ad memoriam, quae sit probabilitas *historica*; altera vero ad iudicium, quae sit vel *physica*; vel *politica*; vel *hermeneutica*; per practicam autem eam intelligit, *qua ex concursu plurium caussarum futurum aliquem praedicamus euentum*, quae sit vel physica, vel moralis. atqui haec omnia copiose explanat, exemplis illustrat & aliorum praecipue Peripateticorum ac CARTESII errores feliciter omnino non solum obseruat, sed quoque in refutandis illis singularem ostendit industriam. cuius expositae doctrinae praestantiam posthac in physica demonstrauit, ac partim generatim istam esse doctrinam probabilitatis, firmis confirmauit argumentis; partim speciatim argumentationes erroneas Cartesii eiusque asseclarum, qui saepius id, quod fieri potest, veluti probabile amplectuntur, coarguit grauiter.

1. *Instit. erudit.* p. 164. ed. 3.

 §. XXXVIII.

§. XXXVIII. Peruenimus ad doctrinam de *meditatione*, ac speciatim de *praeiudiciis*, vti dicuntur, & *dubitatione*, ex quibus illa sunt eiicienda; haec vero legitime instituenda, si meditatio suos ferre debeat fructus. primum igitur dispiciamus *de praeiudiciis*, de quibus philosophi praecipue a tempore BACON. de VERVLAMIO vsque ad nostram aetatem multum ac copiose disseruerunt, siue ad illorum adpellationes; siue indolem, siue ad diversas species, siue ad originem & occasiones, siue denique ad effectus, qui inde gignantur, respiciamus. quod ad *adpellationem* adtinet, obseruarunt primum varias significationes vocis *praeiudicii*. etenim praeiudicia interdum notant principia generalia & propositiones vniuersales, quas gallica voce *préiugés* adpellare solent, siquidem plures fuerunt ex ecclesiae romanae doctoribus, qui methodo quadam generali placita protestantium, vti dicuntur, refutare atque argumentis generalibus illorum religionem euellere sunt conati, de quo instituto & scriptis ad id pertinentibus disserit CHRISTOPH. MATTHAEVS PFAFFIVS.[1] apud interpretes iuris ciuilis praeiudicium notat vel eiusmodi iudicium, quod institui debet, antequam ad aliud procedamus; vel rem quamdam iudicatam, cuiusmodi lata sententia posthac iudicibus in pari caussa exemplum praebet ad consequentiam, vide ASCONIVM PEDIANVM apud DIONYSIVM GOTHOFREDVM.[2] quodsi vocem hanc ratione originis consideramus, significat iudicium, quod

1 *Dissert. I. de praeiud. theol.* § 2. 2 *auctorib. latin. lingu. pag.* 1362.

ante

ante legitime institutam meditationem fertur, siue sit verum, siue falsum, quæ significatio autem in philosophorum scholis haud recepta est. illi enim intelligunt per præiudicia principia maxime generalia eaque erronea, ex quibus alia iudicia erronea gignantur, quæ quamuis a plerisque dicantur *præiudicia*; aliæ tamen adhuc illorum sunt adpellationes. sic appellantur *opiniones præiudicatæ*, *præconceptæ*, vide IOH. CLAVBERGIVM; [1] *idola mentis a* VERVLAMIO; [2] *opiniones præsumtæ, a* GVNDLINGIO, [3] vt de aliis taceamus. quamuis hæc præiudicia a philosophis varia definiantur ratione; re ipsa tamen, quod sint errores generales, ex quibus alia iudicia erronea veluti conclusiones proueniant, vnius sunt sententiæ, nisi quod alter altero accuratius dederit definitionem. varia præiudiciorum genera a philosophis numerantur. CHRISTIANVS THOMASIVS [4] duo principalia ponit præiudicia, alterum *auctoritatis*; alterum *præcipitantiæ*; IOH. FRANCISCVS BVDDEVS [5] in tribus vitiis voluntatis quærit originem præiudiciorum, ita vt oriantur ex voluptate & ignauia voluptatis filia præiudicia *auctoritatis* & *præcipitantiæ*; ex ambitione præiudicium *electæ* aut *receptæ hypotheseos*; ex auaritia *obsequiositas*. IOACHIMVS LANGIVS [6] ista deriuat ex intellectu & voluntate, vt adeo sint vel *intellectus*, vel *voluntatis*: praua vero voluntas respiciat vel *personas*, qui-

1 *Logic. proleg. cap. I.* 2 *organ. lib. I. aphor. 38.* 3 *via ad verit. part. I. p. 52.* 4 *introd. ad phil. ration. c. XIII. §. 41. adde introd. ad phil. aulic. cap. VI.* 5 *phil. instr. part. I. cap. 2. §. 30. sqq.* 6 *medicin. mentis p. 2. c. 4. §. 7. 12.*

bus homo vel nimium *confidat*, vel *diffidat*; vel *res ipsas* & sic regatur a tribus illis vitiis cardinalibus, cupiditate honoris, opum & voluptatum. hinc quatuor classes constituit praeiudiciorum, *ignorantiae*, *nimiae confidentiae*, *nimiae diffidentiae & prauarum cupiditatum*. ANDREAS RVDIGER,[1] praeiudiciis illis *auctoritatis* & *praecipitantiae* addit adhuc duo alia, *planitatis* & *subtilitatis* ratione obiecti, de cuius natura duplex detur persuasio. BACO de VERVLAMIO[2] in quatuor classes distribuit idola mentis siue praeiudicia, quum alia sint *tribus*, alia *specus*, alia *fori*, alia *theatri*: confer IO. BAYERVM[3] & PETRVM GASSENDVM,[4] vt de aliis taceamus. nec minori industria philosophiae doctores elaborarunt, caussas & occasiones praeiudiciorum ostendere, & quum inde magna impedimenta, quo minus studia veritatis possint promoueri, proficiscantur, viam commonstrare, qua ista sint euellenda hisque morbis adferenda medicina.

§. XXXVIIII. Scriptores, qui huc pertinent, sunt vel *generales*, vel *speciales*: illi argumentum hoc de praeiudiciis generatim exposuerunt modo ex instituto; modo vero simul in scriptis logicis. prioris generis sunt THOMAS BROVNE *pseudodoxia epidemica*, IO. de HISPANIA, siue *Iean d'Espagne* libro gallico de *erroribus popularibus*; ABRAHAMVS HEIDANVS de *origine erroris*; HERBERTVS de *caussis errorum*, de quibus iudi-

2 *De sensu veri & falsi lib. IIII. cap. I.* 2 *nou. organ. lib. I. aphor. 39.* 3 *cynosura mentis p. 2. cap. I. sect. I. part. I. p. 139.* 4 *de orig. & variet. log. cap. X.*

cat

cat CHRISTIANVS THOMASIVS; [1] illis autem adiicere possumus BALTHAS. SCHVPPIVM, inter cuius scripta germanica extat quoque opus de hisce falsis opinionibus. nec non huc referri possunt, qui peculiares dissertationes de hoc argumento conscripserunt, quales sunt IO. GABRIEL DRECHSLER dissertatione de *praeiudiciis*; IO. CHRISTIAN. LANGIVS de *praeiudiciis*; ROMANVS TELLER de *praeiudiciis ex ignoratione sui ortis*; HENRICVS BALTHASAR SELLMANN de *praeiudiciis*; GOTTLIEB SAMVEL TREVER *de principiis & remediis praeiudiciorum*; ZWINGERVS *de praeiudiciis*; SCHROEDERVS *de praeiudiciis merito & falso suspectis*. posterioris generis sunt, qui in scriptis suis logices disseruerunt de hoc argumento, quo inter alios spectant IO. CLAVBERGIVS, [2] MALEBRANCHE, [3] AVCTOR *artis cogitandi*, [4] CHRISTIAN. THOMASIVS, [5] IO. FRANCISCVS BVDDEVS, [6] IO. LANGIVS, [7] GOTTLIEB GERH. TITIVS, [8] NIC. HIER. GVNDLING, [9] EPHRAIM GERHARD, [10] IO. LOCKIVS, [11] IO. FRIDEMANN SCHNEIDER, [12] IO. P. de CROVSAZ [13] aliique. speciatim vero nonnulli explicarunt praeiudicia ac falsas opiniones, quibus homines de rebus sacris ducuntur, siue ad doctrinas, siue vitae

1 *Caut. circ. praecogn. iurispr. cap. X. §. 33. not.* 2 *prolegom. logic. c. 2 sqq. p. 770. opp. & part. I. cap. II p. 799.* 3 *de inquirenda veritate variis locis.* 4 *part. III. cap. 20.* 5 *introd. ad phil rat. c. XIII & phil. aul. c. 6.* 6 *phil. instrum. part. I. c 2. §. 29.* 7 *med. ment. part. 2. c. 4.* 8 *art. cogit. c. 4. §. 19.* 9 *via ad verit. p I. pag. 52.* 10 *delin. philos. ration. lib. I. cap. II.* 11 *de intellectu humano lib. IIII. cap. 20.* 12 *fundamentis philos. ration. c. III.* 13 *syst. de reflex. p. II. c. 6. & 7.*

actio-

actiones spectent, cuiusmodi labore functi sunt in primis IO. HENRICVS BARTHIVS, qui disputationes theologicas edidit *de praeiudiciis* & CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS duabus dissertationibus *de praeiudiciis theologicis*, quippe quae multa praeclara continent & cultoribus sacrarum litterarum, praecipue hac tempestate commendandae sunt diligentissime.

§. XL. Recte ac vere sentiunt philosophi, quod animus ad veritatis cognitionem possit praeparari per dubitationem, si modo legitima instituatur ratione. namque duplex dubitandi modus est, quorum alter, quando sine caussa aliquid vocamus in dubitationem, nec tam de probationibus, quam de ipsa re sine rationibus dubitamus, id quod sceptici fecerunt; alter vero est, quum dubitandi caussae nobis sunt, qualis dubitatio dicitur sobria & duplici modo fit. primum enim in rationes, quae in probationem rei cuiusdam proferuntur, inquirimus, num sint solidae, nec ne? deinde vero si deprehendimus, rationes productas haud esse firmas, de melioribus ac vere solidis excogitandis sumus solliciti, quorum prius si facimus, dubitamus *de probationibus*; posterius autem, *de ipsa re*. vetustiores philosophi exercuerunt quidem dubitationem modo sobrie ac continenter; modo vero licentius, quam par erat. prioris generis sunt, qui philosophiae rationem eclecticam, vti dicitur, sunt secati, in quibus principem locum tenet meritoque occupat SOCRATES, qui a scriptoribus antiquae aetatis singulari adficitur laude & dicitur *philosophiae parens*, *rex philosophorum*, *doctissi-*

doctissimus omnium philosophorum. celebre quidem habuit hoc prouerbium: SE NIHIL SCIRE, NISI HOC VNVM, QVOD NIHIL SCIAT, [1] quod nonnulli ea sententia intellexerunt, vt ipsum inde insimulauerint opinionis, quasi nullam dari scientiam humanam, existimasset. sic LACTANTIVS [2] de effato hoc Socratis ita disserit: *Socrates vt ceterorum argueret inscitiam, qui se aliquid tenere arbitrantur, ait, se nihil scire, nisi vnum, quod nihil sciret. intellexit enim doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil veri.* quam sententiam autem LACTANTII doctrinæ Socratis ex XENOPHONTE, PLATONE, STOBAEO aliisque scriptoribus a THOMA STANLEIO [3] collectæ haud probabilem esse, confirmant. vt itaque ab accusatione scepticismi Socratem absoluerent, existimarunt nonnulli, ipsum hoc prouerbio per ironiam vsum fuisse, id quod obseruat MORHOFIVS; [4] quam coniecturam cum ipsius satis celebrata modestia haud conuenire, alii monent, ac credunt, Socratem effatum hoc adhibuisse, vt tumorem sophistarum, qui se omnia scire gloriabantur, redargueret. ceterum sæpius euenit, vt verba ab hominibus bona mente prolata ab aliis modo prauis affectibus, modo inscitia, modo imprudentia adductis in malam transferantur partem, quod non modo exemplum Socratis, sed & Epicuri, nec non secta Sadducæorum testantur. namque quum Antigonus Sochæus

1 *Arist. elench. soph. lib. II. c. 14. Lucian. Hermot. t. I. p. 54. opp. Laert. lib. II. segm. 32. Cicer. lib. I. ac. quæst. Minuc. Fel. in Octau.*
2 *de ira Dei cap. I.* 3 *hist. phil. p. 116.* 4 *polyhist. tom. II. lib. 2. c. 9. §. I.*

doce-

doceret, Deo non ita obediendum esse, vt servi dominis, spe mercedis commoti praestant obedientiam; Sadok pariter & Baithus haec ita intellexerunt, ac si dixisset, Deo esse seruiendum sine spe retributionis, & hinc porro collegerunt, nullas poenas, nulla praemia post hanc vitam esse exspectanda, animas hominum cum corpore interire, vide IO. FRANCISCVM BVDDEVM.[1] praeter Socratem dubitationes adhibuerunt PLATO, ARISTOTELES, EPICVRVS, aliique, quoniam alias nihil inuenire nec quidquam diiudicare potuissent; sed remota penitus dubitatione, omnes praeceptorum doctrinas sancte conseruare ac propagare habuissent necesse. posterioris generis sunt, qui licentius iusto de rebus praeter necessitatem dubitationes instituerunt, aut, vt rectius iudicemus, ea quae in aperto fuerunt posita, negarunt, id quod solemne erat scepticis, de quibus paullo post disseramus. aduersus quos alii quidem disputarunt, veritatem eiusque certitudinem defendentes ideoque adpellati *dogmatici*; ipsam autem dubitationis genuinam indolem, aut modum, quo in salutem & gratiam sensus veri & falsi debeat ista fieri rite, minus demonstrarunt.

§. XLI. Recentiori tempestate praecipue CARTESIVS doctrina de dubitatione largissimam disputandi dedit occasionem, etiam apud nonnullos excitauit suspicionem atheismi aut scepticismi. de praeiudiciis cognoscendis atque eiiciendis leuiore egit industria, nec grauiter atque accurate de illorum indole, ve-

[1] *Introd. ad hist. phil. Ebr. p. 86. ed. 2.*

ra

ra origine ac modo, quo illis medicina possit adhiberi, disseruit. præcipue vero doctrinam de dubitatione, in qua multum momenti positum est, si rem ipsam accurate inspiciamus, omnino corrupit, atque ea tradidit, quæ cum genuina dubitandi ratione ac cognoscenda veritate nihil habent commune. nam commendauit cultoribus philosophiæ talem dubitationem, quæ non est dubitatio, sed negatio: hinc dicendi genera *dubitare, reiicere, habere falsa, euertere* & alia vsurpat promiscue, quasi sint eiusdem significationis; quin etiam aperte indicat, quid per dubitationem intellexerit, quando dicit: [1] *quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, vtile erit habere pro falsis, vt tanto clarius, quidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inueniamus*; & alio loco: [2] *illa omnia, quæ prius vt vera quam maxime credideram, propter hoc vnum, quod de iis aliquo modo posse dubitari, deprehendissem, plane falsa esse suppossui.* at vero quum CARTESIVS certitudinem sensuum negaret, quid mirum, quod dubitationem ad eiusmodi quoque res traxerit, quæ per sensus & vere & clarissime percipiuntur, vt de illis dubitandi nobis neutiquam relicta sit facultas. quapropter dicit: [3] *facile supponimus, nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora, nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique vllum corpus.* ex quibus patet, quod etiam de Deo dubitationem institui posse, existimauerit, quod & aliis locis confirmat, siquidem [4] *supponam,* ait, *non optimum Deum fon-*

1 *Princip. part. I. §. 2.* 2 *meditat. IV.*
3 *princ. part. I. § 7.* 4 *medit. I.*

tem veritatis; *ſed genium aliquem malignum, eumdemque ſumme potentem & callidum omnem ſuam induſtriam in eo poſuiſſe, vt me falleret*: item: [1] *num quid eſt aliquis Deus, vel quocunque nomine illum vocem, qui mihi has ipſas cogitationes immittit? quare vero hoc putem, quum forſan ipſemet illarum auctor eſſe poſſim.* præcipue dubitationem iis de cauſſis commendauit, vt hoc medio falſæ opiniones generales eiicerentur ex mente, etiam animus poſſet præparari ad puriores cogitationes & notiones concipiendas.

§. XLII. Propter hanc doctrinam de dubitatione RENATVS CARTESIVS varias cenſuras expertus eſt. alii ipſum adcuſarunt atheiſmi, quod fecit LOENIVS [2] ex ea ratione, quoniam Carteſius de omnibus dubitauerit, etiam, vt expreſſe ipſius verba adhuc teſtentur, de exiſtentia Dei; quum autem ipſius dubitatio nihil aliud fuerit, quam negatio, ſequeretur inde, illum negaſſe Dei exiſtentiam. MARTINVS SCHOOCKIVS, profeſſor philoſophiæ Grœningenſis, eandem inſtituit adcuſationem, quamuis poſthac coram magiſtratu, ſe Carteſio feciſſe iniuriam, profiteri coactus fuerit, id quod commemorat ADRIANVS BAILLETTVS: [3] nec non GISBERTVS VOETIVS huiusmodi grauioris cenſuræ extitit auctor, ex cuius diſcipulis quidam edidit *admirandam methodum nouæ philoſophiæ Renati des Cartes*, qua Carteſium non ſolum occulti atheiſmi accuſat; ſed etiam comparatio-

1 *Medit. II.* 2 *ſelect. phil. proœm. diſſert. I. §. 25.* 3 *vita Carteſii tom. II. p. 252.*

nem

nem inter ipſum & Vaninum inſtituit. alii accuſarunt ipſum ſcepticiſmi, quod omnem ſenſuum fidem remouerit & easdem dubitandi rationes, quibus vſi ſint ſceptici, adtulerit, in quibus adcuſatoribus eſt SAMVEL PARKER [1] aduerſus quem cauſſas Carteſii egit ANTONIVS le GRAND: [2] adde PETRVM DANIELEM HVETIVM. [3] alii quidem negant, Carteſium iure ac merito in atheis ac ſcepticis poſſe numerari, ſiquidem, ſi ſpectamus ad atheiſmum, exiſtentiam Dei tantum in dubium vocauerit, quum iſta ex lumine naturæ ſit cognoſcenda, & inter dubitationem ipſius ac ſcepticiſmum hoc diſcrimen ſit poſitum, quod ſceptici ſemper in dubitatione permaneant, id quod Carteſius minus fecerit. at vero neceſſe omnino habent profiteri, quod Carteſius talia de dubitatione tradiderit, quæ facile quemdam in atheiſmum ac ſcepticiſmum poſſent deducere, vide IACOBVM GVILIELMVM FEVERLINVM: [4] adde VALENTINVM ALBERTI, [5] MASTRICHT, [6] GEORGIVM PASCHIVM [7] GOTTLOB FRIDERICVM SEELIGMANNVM, [8] IOH. FRANCISCVM BVDDEVM. [9] nec defuerunt ex ſectatoribus CARTESII, qui ipſius auctoritatem tueri elaborarunt, obſeruantes, quod haud ſerio dubitauerit, video IO. SCHO-

1 *De Deo & prouid. diſp. 6.* 2 *apolog. pro Renato Carteſ. contra Parkerum.* 3 *cenſura philoſ. Carteſian. cap. I. §. 15.* 4 *diſſertationibus de dubitatione Carteſiana; item: in quantum Carteſio atheiſmus atque ſcepticiſmus posſint imputari.* 5 *diſp de Carteſianiſm. & Coccei. cap. I. §. 9. c. II §. 3.* 6 *gangr. nouit. Carteſian. pag. 29.* 7 *de inuentis nou-antiqu. p. 150. & introd. in rem litter. mor. vet. c. VI. §. 9.* 8 *exerc. acad. p. 697.* 9 *de atheiſm. & ſuperſtitione p. 152.*

TANVM.[1] at vero, qui alienus eſt a ſtudio prauorum affectuum ac partium Carteſii, remque accurate ac ſolida meditatione conſiderat, omnino poteſt cognoſcere, quod Carteſii dubitatio fuerit negatio, quæ nihil habet commune cum veritate, ſed viam parat ad atheismum & ſcepticiſmum.

§. XLIII. Variæ autem doctrinæ ſunt, quarum hiſtorias tradere, e re eſſet, ſi id per ſpatii rationem ac temporis fieri poſſet. quapropter vt nobis propoſitam breuitatem obſeruemus, paucis tantum de *arte diſputandi* ac *methodo* ex hiſtoriarum monimentis ediſſeramus, præcipue quum nobis ſit in animo, ſpecimen modo huiusmodi hiſtoriæ logicæ exhibere. quod ad prius momentum adtinet, varii modi diſputandi celebrati apud philoſophos poſſunt commemorari, quorum principes recenſere inſtituamus. non eſt, quod dicamus de oratione continua, quam in diſputationibus adhibuerunt antiquiſſima ætate, vt pluribus oſtendit IO. FRIDEM. SCHNEIDER;[2] quoniam artem logicæ ex hiſtoriis illuſtramus adeoque artem quoque diſputandi reſpicere, neceſſe habemus. apud veteres græcos celebris extitit modus diſputandi per *dialogos*, de cuius auctore diuerſa ratione diſſeritur. etenim inuentio eius vindicatur modo ALEXAMENI TEIO; modo ZENONI *Eleati*, qui ſcripſerit dialogos; modo SOCRATI, modo PLATONI, quæ diuerſæ opiniones facile inter ſe poſſunt conciliari, ſi dicamus, quod poſt ZENONEM hoc ſcribendi

1 *Diſcuſſ cenſura Huetian. cap. I. art. I.* 2 *de variis argumentandi methodis ſect. II.*

ac

ac disputandi genus maiori cura coluerint atque ornauerint SOCRATES ac PLATO. inprimis autem obseruamus, rationem hanc disputandi præcipue adtribui a scriptoribus SOCRATI, etiam adpellari *methodum Socraticam*, quoniam istam Socrates præcipue contra sophistas, qui illa frequentissime vsi sunt, adhibebat felici successu. hinc & alias leges præcipiebat, ac sectatores fallaciarum, siquidem vnicuique liberum relinquebat respondere, quidquid ipsi videretur, quin etiam iubebat alios, cum quibus disputabat, opiniones suas explanare. methodi huius exempla reperiuntur in PLATONIS dialogis, & in XENOPHONTE, qui plurima refert Socratis colloquia, vere, vt videtur, habita, quum PLATO multa finxerit, ex quibus IO. CLERICVS [1] regulas heic obseruandas collegit diligenter. sic ante Aristotelem sine ope syllogismorum fiebat disputatio per dialogos, quod colloquia quoque, quæ Iobus cum amicis instituit, confirmant: nec non post ætatem Aristotelis modus hic adhuc vigebat, quam in rem saltim disputationes seruatoris nostri cum iudæis, pharisæis & sadducæis testari possunt. recentissimo tempore CHRISTIANVS THOMASIVS [2] magnum pretium modo huic disputandi statuit eumque cultoribus logicæ commendauit studiose: ANDREAS RVDIGER [3] vero de isto hoc tulit iudicium: *vt non dicam, methodum per quæstiones conclusiones solum efficere κατ' ἄνθρωπον, non κατ' ἀλήθειαν, tædiosa ambagibus ideo est, quod alter non potest*

[1] *Logic. part. IIII. cap. 9.* [2] *cautelis circa prac. iurispr. cap. X. §. 60.* [3] *de sensu veri & falsi lib. IV. cap. 5. §12.*

obligari, vt perpetuo aiat vel neget, sed ipsi vtique etiam permittendum, vt se nescire quaesiti rationem respondeat. iam si callidus sit, tamdiu ait & negat, donec ad quaestionem palmariam perueniat alter; ad hanc per τὸ nescio respondet: sic noua series quaestionum alteri erit instituenda, ad quarum principalem si processum denuo sit, iterum eodem modo eludere eum potest: confer CAROLVM SIGONIVM,[1] GEORGIVM PASCHIVM,[2] IO. ANDREAM SCHMIDIVM,[3] IO. PHILIPPVM TREVNERVM,[4] IO. FRIDEMANNVM SCHNEIDERVM.[5]

§. XLIIII. Apud veteres celebris quoque extitit *modus disputandi Megaricus*, cuius inventio tribuitur EVCLIDI, conditori sectae Megaricae. namque teste LAERTIO,[6] philosophus hic aliorum sententias ac conclusiones confutauit per conclusiones, quae varia continebant absurda & incommoda, prout iam supra[7] verba LAERTII sumus interpretati. confer PETRVM GASSENDVM[8] & IO. CASPAREM GVNTHERVM.[9] inprimis vero ratio disputandi per *syllogismos* longo temporis tractu in scholis celebrata fuit, cui ARISTOTELES praecipue multam dedit operam. etenim quod ad illius inuentionem adtinet, discrepant auctores sententiis suis, cui haec laus debeatur, siquidem alii hac in caussa fauent Aristoteli; alii vero obseruant, quod non so-

1 *De dialogo.* 2 *diatr. de vsitat. veterum exempl. ratione tradendi per dialogos.* 3 *de processibus disputandi diuersis.* 4 *de antiquo interrogandi modo.* 5 *de variis argumentandi methodis sect. III.* 6 *lib. II. segm.* 106. 7 *p.* 509. 8 *de origine & variet. logic. cap. III.* 9 *dissertatione de modo disputandi Megarico, Ienae* 1707.

lum

lum vox *syllogismi* more Aristotelico adhibita deprehendatur in Platone; sed & res ipsa, prout ALCINOVS perfectas syllogismorum formas ex eo demonstrauerit: confer IO. ANDREAM SCHMIDIVM,[1] & IO. FRIDEMANNVM SCHNEIDERVM.[2] quidquid sit; modus hic disputandi vsum multorum seculorum obtinuit, adeo vt & nostra ætate, qua philosophia per operam atque industriam clarissimorum virorum a sordibus purgata est, consuetudo ista per syllogismos disputandi, præsertim in academiis, sit stabilita & confirmata. atqui multi persuadent sibi, eam vim arti huic disputandi inesse, vt nulla alia ratione veritas inuestigari atque in lucem proferri possit, etiam ægro ferunt animo, si quis a more isto discedere atque alio modo ad disceptationem adgredi velit. recte iudicat de methodo hac ANDREAS RVDIGER:[3] *syllogistica methodus etsi hoc non laboret, laborat tamen grauiore incommodo. opponenti enim licet argumentari a baculo ad angulum & respondentem si non pondere, saltem copia inanium argumentorum tamdiu lacessere, donec tempus præstitutum sit elapsum. respondenti conceditur ad maiorem vel nihil respondere, sed thesin modo suam probare, vel ineptis distinctiunculis vim argumentorum tamdiu eludere, donec iure suo excipere queat, animum iam esse in patinis, & differendam adeo huius rei disceptationem in aliud tempus esse.* adhuc ex antiquioribus commemorare debemus DIOGENEM *Cynicum*, qui ad-

1 *Disquisitione de diuersis disputandi processibus.* 2 *de variis argumentandi methodis sect. XII.* 3 *de sensu veri & falsi lib. IV. cap. 5. §. 3.*

versariis sibi non ratiocinatione quadam; sed actione ipsa, qua ipsos deducebat ad sensionem, obuiam ire solitus est. quapropter DIOGENES LAERTIVS [1] de eo tradit, quod ratiocinanti cuidam & concludenti, illum habere cornua, manu frontem palpans dixerit, *equidem illa non video*: & dicente quodam, non esse motum, exsurgens ambulauerit. cuiusmodi ratio disputandi in illis rebus, quæ ipsa nituntur sensione, potest adhiberi, si modo cum illis agendum est, qui certitudinem sensuum admittunt, qua remota, ne hoc quidem disputandi genus pondus quoddam habere potest.

§. XLV. Ceterum plerique veterum philosophorum studio altercandi aliisque fallacias struendi tenebantur, seque tradebant contentionibus non in gratiam veritatis, sed pravorum adfectuum libidinem. sic in schola Eleatica ZENO auctor disciplinæ *eristicæ* a quibusdam habetur, quamuis etiam artem dialogorum coluerit. PROTAGORAS scripsit *artem contentionis* & libros *contradictionum* & ipse adhibuit sophismata. Megarici dicebantur ἐριστικοὶ siue *contentiosi*, & inter discipulos EVCLIDIS erat EVBVLIDES, qui varia argumenta captiosa produxit, supra [2] a nobis commemorata atque illustrata: cuius auditor ALEXINVS Eliensis dicebatur *elenxinus* a contradicendi studio, teste LAERTIO. [3] auctor scholæ Eretriacæ MENEDEMVS vehemens adeo fuit disputator, vt liuida sæpe facie discederet, quod obseruat THOMAS STAN-

1 *Lib. VI. segm.* 39. 2 *p.* 510. 3 *lib. II. segm.* 109.

LEIVS;

LEIVS; [1] STOICI autem fallaciarum plenis disputationibus fuerunt addictissimi. duplex illis erat genus disputationis: alterum breue, subtile, spinosum, ipsisque proprium; alterum vero vulgare, quod vel continua oratione, vel interrogando vel respondendo absoluatur, vide THOMAM STANLEIVM. [2] non est, quod de hoc argumento disseramus, quoniam id superioribus satis est expositum ac dignis testimoniis confirmatum.

§. XLVI. Recentiori aetate plerique scriptorum logicorum operi huic satis fecisse sibi videntur, quando demonstrant, quomodo ars disputandi per syllogismos possit institui atque exerceri: quapropter pauca sunt, quae in gratiam historiae huius a nobis obseruari debent. IO. CLERICVS edidit dissertationem philosophicam *de argumento theologico ab inuidia ducto*, qua hanc argumentationem, quum ad aduersariorum sententias non solide respondeant; sed id agant, vt erga illos excitent inuidiam eoque imperitos ab inquisitione rerum controuersarum auocent & ad assensum perducant; elegantissime exposuit. recenset varios modos, quibus efficitur inuidia, quando *sententia, quae oppugnatur, male explicatur: nominibus inuidiosis infamatur: cum inuisorum hominum dogmatibus confertur: exaggeratur momentum quaestionis: inuisi redduntur boni, quod vocibus nonnullis a theologis inuentis vti nolint: studiose occultantur rationes, quibus refutanda sententia nititur: tacentur incommoda, quibus premitur sententia defendenda: praetermittuntur ea, quae inuidiam amoliri*

1 *Hist. phil. p.* 275. 2 *cit. loc. p.* 589.

 possent:

possent: inuidiosa consectaria deducuntur ex sententia eorum, qui oppugnantur; malignis suspicionibus premuntur: nouitas illis obiicitur, quasi crimen: consensu hominum potentiorum opprimuntur: miscentur in disceptationibus, quae cum iis habentur, multa, quae ad rem nihil faciunt, sed quae inuidiae creandae apta sunt: in deteriorem partem accipiuntur indifferentia: prouocatio fit a peritis iudicibus ad imperitos: aduersarii denique quasi immorigeri magistratibus infamantur. ANDREAS RVDIGER [1] præcipue commendauit modum disputandi per *enthymemata*, vbi sic dicta minor propositio omittitur. tandem huc quoque referenda est ars illa disputandi, quam nonnulli ex doctoribus ecclesiæ romanæ in præsidium malæ caussæ adhibent, quippe quæ tribus præcipue momentis absoluitur. *primum* solas scripturas sacras a nobis & illis, qui ecclesiæ reformatæ se addicunt, veluti vnicum probandi fundamentum postulant, nec permittunt, vt consequentiis vtamur; sed iisdem verbis propositiones nostras, quibus istas pronuntiemus, ex diuinis oraculis demonstremus. *deinde* officium probandi tantum ad aduersarios, cum quibus disputant, pertinere asserunt; sibi vero esse integrum, de rebus religionis affirmare, nec affirmationis vllam vel ex scripturis, vel antiquitate ecclesiastica adferre probationem. *tandem* adtribuunt sibi quoddam priuilegium, quod sint in possessione opinionis suæ, qua de re legi possunt GEORGIVS CALIXTVS, [2]

1 *De sensu veri & falsi lib. IV. cap. 5.* 2 *de arte noua, quam commentus est Bartoldus Nihusius.*

IO. MVSAEVS, [1] & GEORGIVS PASCHIVS. [2]

§. XLVII. Scriptores, qui artem disputandi exposuerunt, sunt vel *generales*, quo spectant illi, qui logicæ præcepta recentiori ætate tradiderunt, quorum notitiam ex superioribus possumus haurire; vel *speciales*, qui ex instituto argumentum hoc persecuti sunt, modo peculiaribus libris; modo disputationibus academicis. prioris generis sunt ANDREAS KESLERVS *methodo disputandi*, quam I. P. FELWINGER edidit; CONR. HORNEIVS libro de *processu disputandi*; FRID. DEDEKINDVS *artificio disputandi contracto*; IO. CONRAD DANNHAVERVS *idea boni disputatoris*; IACOBVS THOMASIVS *processu disputandi*; IVSTVS HENNINGVS BOEHMERVS *succincta manuductione ad methodum disputandi & conscribendi disputationes iuridicas*; IO. FRID. HEINE *methodo disputandi hodierna*: quibus etiam adiungimus *regulas bene disputandi præparantes atque in ipso conflictu adiuuantes* IV. tabulis expositas cura IACOBI GVILIELMI FEVERLINI, item *theses de ratione errores oppugnandi & veritatem defendendi*, quarum auctor est CAROLVS FRANCISCVS BVDDEVS, affinis noster optimus. posterioris generis sunt varii scriptores disputationum huc spectantium, ex quibus tantum commemoramus dissertationes CHRISTOPHORI WEISSENBORNII *de arte disputandi*; WOLLF. CHRISTOPHORI WIGANDI de *detractione disputationum nonnum-*

1 *De vsu principiorum rationis & philosophiæ in controuersiis theologicis.* 2 *de inuentis nou-antiquis p. 37. seqq.*

Digitized by Google

quam

quam iusta; IO. BERNHARDI WIDEBVRGII de *variis disputandi modis*; IO. IACOBI LEHMANNI de *certaminibus eruditorum rite instituendis*, vt de multis aliis taceamus.

§. XLVIII. Extremo dissertationis huius attingamus quoque breuiter historiam doctrinæ de *methodo*. voces *methodi* & *ordinis* sunt plerumque vnius significationis, quamuis Peripatetici istas interdum a se distinguant, ita vt methodi officium sit demonstrare; ordinis demonstrationes disponere; ordo pertineat ad integram disciplinam; methodus ad singulas partes: hinc etiam dicunt ordinem iuuare & promouere cognitionem; methodum vero eandem gignere atque efficere, vide CHRISTIANVM THOMASIVM.[1] sed hæc differentia est nullius auctoritatis, siue respiciamus rem ipsam; siue vsum. methodum diuidimus in *vniuersalem* & *particularem*: illa respicit eruditionis partes generatim & ostendit, quo ordine sint cognoscendæ; hæc speciatim veritatem, quæ duplici ratione consideratur, prout ista vel cognoscitur; vel cognita ac percepta aliis proponitur: vnde duplex oritur methodus; altera *meditationis*; altera vero *didactica*, vti adpellatur. de *methodo meditationis* omni fere tempore philosophi solliciti fuerunt, vt ostenderent, quo ordine meditatio sit instituenda hacque cognoscendum verum & falsum, quamuis non omnium labor feliciorem habuerit successum. ex antiquioribus ARISTOTELES libris τῶν ἀναλυτικῶν doctrinam hanc attigit, ac quidem multorum iudiciis solide exposuit, si modo interpretes

1 *Intr. ad phil. aulic. cap. X. §. 1.*

ipsius

ipsius opera sua functi fuissent felicius. quapropter ERHARDVS WEIGELIVS, qui magnum decus academiæ nostræ fuit, edidit *analysin Aristotelicam ex Euclide restitutam, quæ genuinum sciendi modum & natiuam restauratæ philosophiæ faciem per omnes disciplinas ichnographice depingeret*, atque in eo inprimis fuit, vt opus ἀναλυτικῶν explicaret recte ac verum illius vsum demonstraret. NIZOLIVS vt generatim magno studio philosophiæ Aristotelicæ sese opposuit; sic & censuram in hanc doctrinam exercuit: [1] quam ob caussam DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [2] de eo minus honorifice sentit atque obseruat, quod studio partium abreptus multa disputauerit aduersus ipsam veritatis rationem, per occasionem litis cum MAIORAGIO institutæ. SCHOLASTICORVM libri plenissimi nugarum sunt de hac doctrina. primum enim distinctionem fecerunt inter *notiora natura & notiora nobis*, qua posita disputant: *num bona methodus debeat incipere a notioribus natura, an a notioribus nobis?* his expositis, tradunt diuisionem methodi, quæ sit vel *analytica*, vel *synthetica*, vel *definitiua*, quam vltimam nonnulli diligentes Aristotelis asseclæ reiiciunt & duas priores retinent. *synthetica* sit, quæ progrediatur a principiis ad principiata, a simplicibus ad composita, a partibus ad totum, & propria sit philosophiæ theoreticæ ac præcipue physicæ; *analytica* vero, quæ a fine progrediatur ad media ac propria sit philosophiæ practicæ. tandem proponunt regulas specia-

1 *De vera ratione philosophandi.* 2 *polyh. litter. lib. II. cap. 7. §. 15. seqq.*

les

les de methodo, quod debeamus agere de *nomine*, *de quæstione an sit? quid sit? quotuplex sit res, de quæstione* ὅτι *&* περὶ τοῦ διότι, cuiusmodi præcepta merito perstringit CHRISTIANVS THOMASIVS.[1] ex doctoribus hisce præcipue IACOBI ZABARELLAE libri quatuor de *methodis* laudantur, de quibus BARTHOLOMAEVS KECKERMANN[2] dicit: *in libris Zabarellæ eminent illi quatuor de methodis, quibus lumen omnis methodi, vt & demonstrationis, immo præcipuarum doctrinarum logicarum maximum in germania accendit.* extant illi in operibus ipsius, quæ prodierunt MDLXXXVII. fol. vbi etiam legitur apologia aduersus FRANCISCVM PICCOLOMINAEVM, qui[3] Zabarellæ doctrinam labefactare adnisus fuerat. alios autem auctores huc spectantes recenset SPACHIVS.[4]

§. XLVIIII. PETRVS RAMVS[5] dicit: *methodus est dianoia variorum axiomatum homogeneorum pro naturæ suæ claritate præpositorum, vnde omnium inter se conuenientia iudicatur memoriaque comprehenditur.* hinc vt ex ipsius sententia spectatur in axiomate veritas & falsitas; in syllogismo consequentia & inconsequentia; sic in methodo consideratur, vt per se clarius præcedat, obscurius sequatur, omninoque ordo & confusio iudicatur. atqui ex hac ratione definitio generalissima prima erit: distributio sequetur, quæ si multiplex fuerit, præcedet in partes integras partitio, sequetur diuisio in species: partesque ipsæ &

1 *Intr. ad phil. aulic. cap. X.*
2 *præc. logic. tr. II. p. 40.*
3 *introd. ad phil. ciuilem p. 24.*
4 *nomenclator. philos. p. 247.*
5 *dial. lib. II. cap. 17. seqq.*

species

species eodem ordine sunt rursus tractandæ ac definiendæ, quo distributæ fuerint: & transitionum vinculis, si longior inter eas intersit explicatio, colligendæ sunt. hisce igitur exponit sententiam suam RAMVS ac declarat, quod vnica tantum sit methodus, de qua doctrina BACO de VERVLAMIO [1] hoc tulit iudicium: *de vnica methodo & dichotomiis nil attinet dicere: fuit enim nubecula quædam doctrinæ, quæ cito transit: res certe simul & leuis & scientiis damnosissima. etenim huiusmodi homines, cum methodi suæ legibus res torqueant, & quæcunque in dichotomias illas non apte cadant, aut omittant, aut præter naturam inflectant, hoc efficiunt, vt quasi nuclei & grana scientiarum exiliant, ipsi aridas tantum & desertas siliquas stringant. itaque inania compendia parit hoc genus methodi, solida scientiarum destruit.*

§. L. Dictus BACO de VERVLAMIO ipse [2] in hac doctrina de methodo inuenisse noua sibi visus est: quamuis nec satis distincte, nec perspicue sententias suas declarauerit, vt bene DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [3] obseruat & summam ipsius doctrinæ exhibet, quam heic repetere, non necesse est. inprimis extitit CARTESIVS, qui peculiarem dissertationem scripsit de *methodo*, qua illius duas species *analyticam* & *syntheticam* proposuit, ac præcipue artem hanc ad mathesin adplicavit. ex quo tempore mathematici methodum dictam *mathematicam* singulari cura & studio coluerunt, qua principia quædam generalia

1 *Augm. scientiar. lib. VI, cap. 2.* 2 *cit. loc.* 3 *polyh. litter. lib. II, cap. 7. §. 45.*

ponun-

ponuntur, id est definitiones, axiomata & postulata, ex quibus deinde certissimæ conclusiones deducuntur, cuius regulas ex scriptoribus logicæ AVCTOR *artis cogitandi* [1] & IO. CLERICVS [2] tradiderunt. quod ad inuentionem illius adtinet, methodus ipsa iudicatur antiqua, quum ALCINOVS [3] Platonem adhibuisse ἀνάλυσιν & σύνθεσιν commemorat: confer PETRVM GASSENDVM. [4] inter σύνθεσιν vero veterum & methodum mathematicam hæc differentia fuisse videtur, quod illa ex quibuscumque principiis efficiat conclusiones; hæc vero certa principiorum genera certumque eorum ordinem requirat. atqui hanc EVCLIDI mathematico, veluti auctori adtribuunt, teste STVRMIO: [5] *Euclides autem primus est, qui omnia Geometrica collegit, collecta in quindecim elementorum libros digessit, negligentiusque probata accuratius demonstrauit*: adde GERH. IO. VOSSIVM. [6] præ aliis istam diligentissime exposuerunt TSCHIRNHAVSIVS [7] & celeberrimus CHRISTIANVS WOLFFIVS: [8] nec non fuerunt, qui istam ad alias disciplinas adcommodarunt, vt PETRVS DANIEL HVETIVS *demonstratione euangelica*; & HERMANNVS CONRINGIVS *concussione fundamentorum fidei pontificiæ* ad res sacras; SAMVEL vero PVFENDORFIVS ad iurisprudentiam vniuersalem. at vero nostra ætate ANDREAS RVDIGER prout magnum

1 *Part. IV.* 2 *part. III. cap. I. seqq.* 3 *de doctrina Platonis cap. V.* 4 *de orig. & variet. logic. cap. IV.* 5 *mathes. inuen. part. I. p. 369.* 6 *de scientiis mathematicis.* 7 *medicin. mentis part. II.* 8 *commentatione de methodo mathematic. & in logica.*

studium

ſtudium in id contulit, vt differentiam matheſeos & philoſophiæ demonſtraret; ſic quoque obſeruauit, quod methodus mathematica non omnibus diſciplinis poſſit adplicari ac ratiocinatio philoſophica & mathematica maximopere differant. tradidit quoque methodum, quam adpellat *mathematicæ æmulam*, quippe qua obſeruatur primum ſenſio, ſiue interna, ſiue externa, ſiue vtraque; deinde vero definitio, tum diuiſio, item axiomata, concluſiones & ſcholia, ſecundum quem ordinem ſyntheticum conſcripſit *inſtitutiones eruditionis*. nec negari poteſt, quod multi magno cum detrimento veritatum abuſi fuerint methodo mathematica, id quod exempla CARTESII, BENEDICTI SPINOZAE in *ethica*; RAPHSONI *demonſtrationes de deo* ſatis confirmant. ceterum fuerunt, qui diuiſionem methodi in *ſyntheticam* & *analyticam* non magni fecerunt, quo ſpectant CHRISTIANVS THOMASIVS [1] & GOTTL. GERH. TITIVS. [2]

§. LI. Hactenus de methodo meditationis, quam ſequitur *methodus didactica*, cuius doctrina græca voce quoque adpellatur *methodologia*. recentiores præcipue ſcriptores logicæ elaborarunt, non ſolum viam ad cognitionem veritatis commonſtrare, ſed quoque oſtendere, quomodo per officia humanitatis obligati debeamus cum aliis communicare de cognitis veritatibus, quibus commoda mortalium vita promouetur. quapropter doctrinam hanc logicæ vindicarunt BAYERVS, [3] IO. CLAV-

1 *Introd. ad phil. ration. c. XII. §. 31.* 2 *art. cogit. c. XV. §. 8.*
3 *cynoſura mentis part. III. p. 373.*

BERGIVS,[1] CHRISTIANVS WEISIVS,[2] CHRISTIANVS THOMASIVS,[3] IO. FRANCISCVS BVDDEVS,[4] IOACHIMVS LANGIVS,[5] EPHRAIM GERHARD,[6] ANDREAS RVDIGER,[7] IO. FRIDEMANN SCHNEIDER,[8] CHRISTIANVS WOLFFIVS[9] aliique. methodus hæc conſiderari poteſt vel ratione obiecti, quod tractandum nobis elegimus; vel ratione auditorum ac diſcentium, quorum conditioni iſtam accommodamus. ratione auditorum diuiditur methodus in *acroamaticam* & *exotericam*, cuius discriminis veſtigia in antiquis monimentis deprehendimus, quo ſpectat diſtinctio ſcriptorum ARISTOTELIS in *exoterica*, quæ CICERO adpellat *populariter ſcripta*, & *acroamatica*, qua de re legi poſſunt MELCHIOR ZEIDLERVS,[10] OCTAV. FERRARIVS,[11] GOLDASTVS,[12] & alii, quos recenſet IO. ALBERTVS FABRICIVS.[13] ad exotericam docendi rationem *parænetica* quoque & *paradigmatica* refertur, quas aptas nonnulli iudicarunt ad mouendos animorum adfectus ideoque inprimis in tradenda doctrina de moribus adhibuerunt. præter has methodos adhuc aliæ ſunt: methodus quippe per *dialogos*, quam diligenter illuſtrauit GEORGIVS PA-

1 *Logic. part. II.* 2 *doctr. logic. P. II. lib. II.* 3 *introd. ad phil. aulic cap. XII.* 4 *phil. inſtrum. part. III.* 5 *medic. ment. part. IV.* 6 *delin. phil. rational. lib. II. cap. 8. ſeqq.* 7 *de ſenſu veri & falſi lib. IV. c. 4.* 8 *fund. phil. rat. c. 7.* 9 *von den krafften des menſchlichen verſtands cap. XIII.* 10 *de genuino veterum docendi modo exoterico & acroamatico.* 11 *libr. II. de ſermonibus exotericis.* 12 *de cryptica veterum philoſophorum diſciplina.* 13 *biblioth. græc. lib. III. c. 6. p. 176. & bibliograph. cap. XIX. §. 5. p. 606.*

SCHIVS;

SCHIVS;[1] item per *symbola*, qua ex vetustioribus præcipue vsus est PYTHAGORAS, per *fabulas*, quibus & veteres & recentiores doctrinas morales proposuerunt, vide IO. ALBERTVM FABRICIVM,[2] quo & spectant scriptores rerum publicarum fictarum & commentitiarum, quod argumentum persecuti sunt GEORGIVS PASCHIVS[3] CAROLVS ARNDIVS,[4] & IO. ALBERTVS FABRICIVS.[5]

§. LII. Sed hæc sufficiant speciminis loco. nobis enim neutiquam fuit propositum, pleniore stilo historiam omnium doctrinarum, quas complectitur logica, tradere; sed tantum elaborauimus, per exempla quædam commonstrare, quomodo talis historia consignanda esset litteris, hancque in rem adiumenta quædam indicare. ceterum ex illis, quæ diximus, non obscure possumus cognoscere, quæ fata fuerint doctrinarum logicæ, quid debeamus antiquis, quidue præstiterint recentiores,

1 *De variis modis moralia tradendi cap. I.*
2 *bibl. græc. lib. II. cap. 9. §. 14.*
3 *diatrib. de fictis rebusp.*
4 *bibl. politic. herald. p. 400.*
5 *bibl. antiqu. cap. XIV. §. 16. p. 490.*

LIBRI II.
DE
PROGRESSV AC FATIS
LOGICAE.

CAPVT III.
DE
VARIIS MODIS LOGICAM
TRADENDI SPECIATIM.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa. §. I. *Varii modi logicam tradendi generatim indicantur.* §. II. *modus, logicam tradendi per symbola.* §. III. *per hieroglyphica.* §. IIII. *per exempla.* §. V. VI. *quid sentiendum sit de his commemoratis modis.* §. VII. *de syncretismo logico.* §. VIII.

§. I.

DUo sunt momenta, ad quæ in hac logicæ historia animum debemus aduertere, quorum alterum spectat ad scriptores, qui arti huic manus operasque admouerunt; alterum ad ipsam doctrinam, quæ duplici ratione potest considerari, partim ratione obiectorum, quæ proponuntur; partim ratione formæ siue modorum, quibus materiæ explanantur & traduntur. de priori disseruimus breuiter capite superiori: quapropter ordo postulat, vt ad posterius quoque momentum adgrediamur.

§. II. Varii sunt modi disciplinas adeoque etiam logicam tradendi, quos cum methodis haud

haud confundere debemus. methodus enim respicit præcipue ordinem doctrinarum, quo istæ inter se connectuntur ac proponuntur, id quod variis modis, quamuis vbique vna atque eadem methodus obseruetur, fieri potest, quemadmodum diuersis methodis eundem modum possumus adplicare. quod ad methodos adtinet, quibus logicæ conscriptæ sunt, de illis supra disputauimus: quibus de caussis iam nobis in animo est, dispicere tantum de variis modis logicam tradendi a nonnullis obseruatis. GEORGIVS PASCHIVS edidit librum omnino elegantem de *variis moralia tradendi modis*, cuius exemplo incitatus IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS cœpit, quibusdam dissertationibus eadem ratione de variis modis logicam tradendi edisserere, atque obseruauit,[1] logicam proponi posse vel *ornate*, vel *nude* sine quodam ornatu; ornamenta vero petenda esse vel ex loco similium, quo etiam spectent *symbola*, *emblemata*, *hieroglyphica*; vel ex loco exemplorum, vel testimoniorum.

§. III. Logica igitur tradita est per symbola, id est per effata translata, grauiora & breviora, quorum sententiæ non facile intelligi ac præcipi possunt. quamuis nemo quidem integrum compendium logicæ per symbola conscriptum vsui publico tradiderit; FEVERLINVS tamen existimat, quod ex symbolis PYTHAGORAE quædam eligi possent, quæ huc spectarent, e. g. quum dixerit: *vias publicas declinato*, quod symbolum ita explicant:

1 *Dissert. de variis modis logicam tradendi cap. I. §. 4.*

non debemus sequi opiniones plebis, quippe quæ certo iudicio carent neque extra controuersiam sunt posita, vide THOMAM STANLEIVM.[1] ad cuiusmodi sensum logicum alia possent accommodari, aut ad ipsorum imitationem quædam fingi, cuius logicæ symbolicæ ipse FEVERLINVS specimen exhibet:

symbolum I. *Palladis effigiem atque caput Medusæ ob oculos tibi pone*,

id est, perfectiones atque imperfectiones, siue vitia intellectus humani animo tuo probe considera.

symbol. II. *ollæ vestigium ab cinere tollito*,

h. e. obscuros atque confusos conceptus euitato, eosdemque a mente remoueto.

symbol. III. *augustum annulum ne gestato*,

i. e. caueas tibi a philosophia sectaria omnibusque præiudiciis.

symbol. IV. *cum ea, quæ aurum habet, ne congreditor ad liberos procreandos*,

hoc est, præiudicia auctoritatis extirpato.

symbol. V. *per viam publicam ne vadas*,

h. e. præiudicia a multitudine idem sentientium desumta exue.

symbol. VI. *in Chœnice non sedendum*,

id est, præiudicia auaritiæ sunt deponenda.

symbol. VII. *Apollinem Pythium ex animo tuo eiicito*,

h. e. præiudicia ambitionis e mente tua deleto.

symbol. VIII. *sine lumine ne loquitor*,

h. e. de rebus non satis intellectis iudicium suspende, siue sobrie dubita.

symbol. VIIII. *in meridie somno ne indulge*,

1 *Histor. philos. p. 794.*

id eſt, in rebus euidentibus non amplius eſt dubitandum.

ſymbol. X. *non niſi Apellis picturas in atrio tuo ſuſpendito*,

h. e. operam dato, vt accuratas, veras atque diſtinctas ideas animo complectaris.

ſymbol. XI. *in poculi fundo reſiduum non relinquendum*,

h. e. ſcientiæ omnesque illarum partes ſolide ſunt pertractandæ.

ſymbol. XII. *cogita, cibum in matulam non iniici*,

i. e. perpendas, eruditionem veram & quæ cum ſapientia coniuncta eſt, mentem non impuram requirere, atque hinc non tantum intellectum; ſed voluntatem quoque expurgare ſtudeas.

§. IIII. Adhæc logica tradita eſt per *hieroglyphica*, id per imagines rerum creatarum modo ſculptas, modo pictas ſine quadam inſcriptione, quibus res, quæ in logica exponuntur, per ſimilitudinem quamdam indicarunt. quo referri poteſt STANISLAVS MINK von WEINSHEVN, quo ficto nomine intelligendus eſt IO. IVSTVS WINCKELMANNVS, vti DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [1] & VINCENTIVS PLACCIVS [2] obſeruarunt. hic præcipuas antiquioris logicæ doctrinas per diuerſas figuras & *imagines turpes, atroces, terribiles, abſurdas, incredibiles, inauditas, nouas, raras, viſu delectabiles, ridiculas*, vti ipſe præfatione dicit, vnica tabula repræſentauit, cuius interpretationem

1 *Polyh litter. lib. II. c. 6. §. 48.* 2 *theatro anon. & pſeud. pag. 444.*

fecit libro quatuor plagularum huius inscriptionis: *logica memoratiua, cuius beneficio compendium logicæ Peripateticæ breuissimi temporis spatio memoriæ mandari potest*, Hal. Saxon. MDCLIX. 12. vt exempla quædam inde exhibeamus, definitionem logicæ his figuris repræsentauit: *Aristoteles sedens meditabundus* indicat, logicam esse habitum animi, non corporis: *clauis*, quam dextra sua tenet, significat, logicam non esse scientiam; sed clavem scientiarum: *malleus* sinistræ manus, logicam esse habitum instrumentalem; *vngula solida & bifida incudi imposita* notant, logicam verum a falso accurate discernere. atqui hac ratione speciales logicæ doctrinas per tales imagines tradit: sic genus inter prædicabilia indicatur per *columbam*, quia columba sit inter animalia multæ generationis; vniuoca pinguntur *capite humano*, e cuius ore vna cum sono vocis centaurus emittatur, quia animal dicatur de homine & bruto: quatuor proprii modos per *medicum*, *duos pedes*, *caput canum* & *faciem ridentem* delineat, vt de aliis taceamus. huic adiungimus THOMAM MVRNERVM, cuius chartiludium hac inscriptione in lucem publicam emissum est: *chartiludium logicæ seu logica poëtica vel memoratiua R. P. Th. Murner, Argent. ord. Minorum; opus, quod centum amplius annos in tenebris latuit, erutum & in apertam seculi huius curiosi lucem productum opera, notis & coniecturis Ioann Balesdens*, Parisiis MDCXXIX. confer MATTH. BERNEGGERVM.[1] tertius sit IO. SEOBALDVS FABRICIVS, professor quondam Hei-

[1] *Orat. II. de paranda doctrina modis illegitimis.*

delber-

delbergensis, qui anno MDCLXV. edidit *theatrum hieroglyphicum*, quo continetur idea hieroglyphica vniuersæ philosophiæ, in quinque partes distributæ, quarum prima philosophiam vniuersalem; secunda rationalem; tertia naturalem; quarta posologicam & quinta moralem complectitur. tandem IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS peculiari dissertatione *de logica hieroglyphica* specimen illius dedit, Lipsiæ MDCCXII.

§. V. Commemorandæ quoque sunt logicæ *paradigmaticæ*, quarum scriptores præcepta exemplis modo ex variis litterarum disciplinis simul; modo ex peculiari quadam doctrina petitis illustrarunt, ita vt, si posterius genus illarum respiciamus, recensere possimus logicas cum *theologicas*, tum *iuridicas*. laudatus IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS anno MDCCXV. Altdorfii edidit programma de *logicis paradigmaticis theologicis*, *iuridicis aliisque*, quod quum idem argumentum breuiter persequi, nobis sit propositum, adiumento fuisse, ingenue profitemur. scriptores logicarum theologicarum sunt

ANDR. GERHARDVS HYPERIVS, theologus Marpurgensis, qui scripsit *topica theologica*, quæ edita sunt post obitum auctoris cura CHRISTOPHORI FROSCHOVERI, Witteb. MDLXV.

CASPAR OLEVIANVS, cui debemus *fundamenta dialectica*, quæ exemplis ex sacra disciplina desumtis illustrauit.

IACOB. RENECCIVS, qui scripsit *clauem sacro-sanctæ theologiæ*, cuius libro priore

continetur dialectica exemplis sacris illustrata.

IO. HENR. ALSTEDIVS, cuius studio prodiit *logica theologica.*

SALOMON GLASSIVS, qui reliquit *logicam sacram*, quæ post ipsius fata cura IO. GOTTFR. OLEARII philologiæ sacræ, quam huic summo theologo debemus, accessit.

PHIL. ZEISOLDVS, cuius *logica sacra noui testamenti* lucem vidit publicam.

IO. PAVL. HEBENSTREIT, cuius heic mentionem facimus propter *institutiones logicæ sacræ*, quas edidit.

REINH. HENRICVS ROLLIVS, qui conscripsit *breuiarium logicæ sacræ.*

IO. ANDR. SCHMIDTIVS, cui adtribuitur *logica sacra*, quæ Helmstadii cura CORN. DIETERICI KOCHII prodiit.

IVSTVS WESSELVS RVMPAEVS, cui debemus *institutiones logicæ sacræ latino-germanicas.*

præter quos adhuc possemus commemorare SELDII *topica Caluiniana*; KESLERI *examen logicæ Photinianæ* & multos alios huiusmodi scriptores; nisi breuitatis studio teneremur, quam iam lubentius sectamur, quum opere hoc clarissimus FEVERLINVS functus fuerit feliciter. quapropter id tantum obseruamus, quod hoc genus scribendi logicam ideo a multis fuerit adhibitum, vt philosophiæ ac speciatim disciplinæ, quæ functiones intellectus dirigit, dignitatem ac pretium restituerent ac cultoribus musarum sacrarum demonstrarent, quam vtilis ac necessaria ipsis quoque sit

ſit cultura logicæ. nam quum felici tempore ac diuinis auſpiciis cæleſtis doctrina, quæ multas ſordes contraxerat ſibi per ſummam hominum malitiam, purior redderetur ac philoſophia ſcholaſtica de dignitatis ſuæ ſede deiiceretur, factum eſt, vt omnes philoſophiæ litteræ ſuam amitterent gratiam. quo nomine de mediis ad conſeruandam philoſophiæ, etiam logicæ auctoritatem cogitare cœperunt, ex quibus tale inſtitutum, quo haſce doctrinas ad ſcripturas ſacras adcommodabant, fructuoſum eſſe cenſebant.

§. VI. Eodem inſtituto nonulli ſcripſerunt *logicas iuridicas*, id eſt præcepta artis cogitandi ad iurisprudentiam adcommodarunt & exemplis huc ſpectantibus illuſtrarunt, quorum principes commemoramus. ſic recenſentur

NICOLAI EVERHARDI *topica iuris*, ſiue *loci argumentorum legales*, quos nonnulli breuiores ediderunt, & inter hos GEORGIVS ADAMVS BRVNNERVS in *ſynopſi locorum legalium Euerhardi.*

FRANCISCI HOTOMANNI libri quatuor *dialecticæ inſtitutionis*, quibus adhuc præter exempla ex iurisprudentia depromta, alia occurrunt.

IO. THOMAE FREIGII libri duo de *logica iure-conſultorum.*

MARTINI SCHICKARDI *logica iuridica*, complectens regulas, præcepta & modum argumentandi per inductiones & interpretationes legum.

IO. SCHILTERI *praxis artis analyticæ in iurisprudentia.*

ADRIANI BEYERI *logica iuridica.*

CHRI-

CHRISTIANI WEIDLINGII *philosophia iuridica*, tabulis comprehensa, qua etiam deprehenduntur præcepta logica;

vt de aliis taceamus, quos iam collegerunt GEORGIVS PASCHIVS, [1] BVRC. GOTTHELF. STRVVIVS, [2] IACOBVS GVILIELMVS FEVERLINVS, [3] & IO. HENR. ACKERVS. [4] a studio erga PETRI RAMI dialecticam institutum hoc, quo conscripserunt logicas iuridicas, manasse, non immerito iudicat CHRISTIANVS THOMASIVS. [5] etenim quum magnus impetus fieret aduersus RAMVM, iuri consulti præcipue caussæ ipsius favebant, amplectebantur præcepta eius dialecticæ, componebant ad illius methodum compendia iuris, defendebant RAMVM contra asseclas & sectatores Aristotelis, quod exempla RENNEMANNI, TREVTLERI atque aliorum confirmant, atque hac occasione cogitabant de logicis iuridicis conscribendis *& locis legalibus topicis*, vti dicuntur.

§. VII. Nunc breuiter exponamus, quæ de adhuc commemoratis modis logicam tradendi, sentiamus. quod vt fiat accuratius, ponimus ante, quod bona tractandi ratio debeat esse consentanea & indoli rerum, quæ proponuntur, & conditioni auditorum & discentium, quod vtrumque efficit, vt ratio hæc sit cum solida, tum facilis, quorum illud respicit res; hoc vero discentes. quod quum ita est, sicuti est, non possumus probare rationem logicam tradendi per *symbola* & *hieroglyphica*,

1 *De inuentis non-antiquis p.* 26. 2 *bibl. iurid. cap. VI.* §. 2.
3 *cit. progr.* 4 *suppl. bibl phil. Struui p.* 48.
5 *cautel. circa præcogn. iurispr. c. X.* §. 17. *seqq.*

quæ

quæ ex ipsa horum scriptorum sententia inservire debent imaginationi & per hanc memoriæ, hinc ipse IO. IVSTVS WINCKELMANNVS, cuius tabulam supra commemorauimus, profitetur, se istam composuisse in gratiam puerorum, quorum *memoria ad retinendas dictiones & res per tales imagines repræsentatas præclare afficiatur*; & appellat interpretationem illius tabulæ *logicam memoratiuam.* at vero, si ad genuinæ logicæ artem spectamus, ista sane non pertinet ad memoriam; sed opus est iudicii, quod bene quoque DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS[1] obseruat, *cum enim*, inquit, *iudicii vim potissimum talis disciplina requirat, neque ideo a pueris apprehendi satis possit, eius per phantasiam nouis imaginibus impraegnatam turbabuntur circuli.* si etiam logica præcipue memoriæ subsidio addiscenda esset, quod de scholasticis nugis, quæ continebant tantum terminos, certa ratione dicere possumus; minus tamen adiumenta, quæ WINCKELMANNVS & MVRNERVS dederunt, debent laudari. hæc enim via, aliquid memoriæ tradendi, difficilis est admodum multisque circumsepta incommodis, quippe qua necesse est, primum significationes imaginum ac figurarum percipere ac posthac vi imaginationis istas menti repræsentare ac retinere memoria cum ipsas imagines, tum res, quæ illis significantur. quibus rationibus & hanc addere possumus, quod imagines, quas exhibuerunt WINCKELMANNVS & MVRNERVS, sint horridæ, absurdæ, nullam ha-

1 *Polyh. litter. lib. II. cap. 6. §. 48.*

bentes ſimilitudinem cum rebus, quas debent indicare: quapropter MATTHAEVS BERNEGGERVS [1] de chartiludio MVRNERI ita iudicat: *huius farinæ videri queat Monachi cuiusdam ordinis minorum Thomæ Murneri Argentoratenſis doctoris theologiæ chartiludium ſcriptum annis abhinc centum, & quod excurrit: cuius ope intra ſpatium vnius menſis etiam indoctos ac rudes artis logicæ ad miraculum vsque peritos effeciſſe ſe iactat, vt ſuſpicio ſuboriretur, aliquid magicarum artium interveniſſe. pollicitus etiam eſt, ſe daturum quatuor libros inſtitutionum Iuſtinianearum in ſimilem chartularum luſoriarum formam redactos. quo præclaro munere an ſtudioſos iuris beauerit, mihi non conſtat, nec enim vidi. logicum chartiludium vidi ſtoliditatem artis vaniſſimæ deteſtatus.* inſtitutum autem illorum, qui logicas exemplis ſacris & iuris illuſtrarunt, vti PETRVS RAMVS exempla ex ſcriptis poëtarum atque oratorum adferebat; penitus reiicere nolumus, ſiquidem exemplis interdum magna vis ineſt ad præcepta facilius capienda; ſi modo propter hæc ornamenta logicas haud inſcripſiſſent *theologicas* & *iuridicas*. inſcriptiones enim librorum reſpicere debent rem ipſam principalem, aut ſimul methodi rationem, quorum neutrum per exempla mutatur. ceterum & hodie multi vtuntur hoc inſtituto in academiis, quum litterarum ſtudioſis polliceantur, ſe in recitationibus interpretari velle logicas *iuridicas*, item *theologicas*, eum in finem, vt iuuenes maiori copia

1 *Orat. II. de paranda doctrina modis illegitimis.*

conflu-

confluant ad audiendas lectiones, id quod sæpe cum fraude quadam coniunctum esse, censemus.

§. VIII. Nonnulli instituerunt conciliationes inter diuersos philosophos, etiam inter philosophos & sacras scripturas, quod fecerunt in omnibus fere philosophiæ partibus, vt paullo post generatim obseruabimus. idem quoque accidit logicæ, quum quidam Ramum cum Aristotele & Philippo Melanchthone conciliare elaborauerint, cuiusmodi scriptores supra [1] commemorauimus. sic quoque GEORG. PAVLL. ROETENBECCIVS, logicæ & politicæ in academia Altdorfina professor quondam clarissimus, edidit *logicam veterem & nouam*, quæ prodiit MDCCIII. nec tale institutum, talem logicam scribendi modum probare possumus, quoniam multa incommoda ex conciliandi studio oriuntur. nam aliud est, num possimus instituere conciliationes; aliud num istæ sententiis auctorum, quæ inter se conciliantur, respondeant, quod posterius plerumque haud respiciunt, præcipue quum in talia studia sæpe per prauos adfectus deducantur. quo nomine trahunt philosophorum placita in sententias ab ipsorum mente omnino alienas, atque ea, quæ sibi contradicunt ac repugnant, quorum omnino aliud debet esse falsum; aliud verum, inter se volunt conciliare, quo fit, vt errores propagentur, nec nouæ veritates possint excogitari.

1 *Lib. II. c. I. sect.* 3. §. 7.

LIBRI

LIBRI III. DE VARIA EXISTIMATIONIS LOGICAE FORTVNA.

CAPVT I. DE FORTVNA PROSPERIORI.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Dicendorum summa. §. I. *de fortuna prosperiori logicæ tempore vetustiori.* §. II. III. *tempore recentiori, vbi ostenditur, quid ad hanc felicitatem reformatio doctrinæ sacræ per Lutherum contulerit.* §. IIII. *felicitas logicæ, quum a nugis scholasticorum fuerit purgata.* §. V. *illius fortuna per philosophiam eclecticam.* §. VI. VII.

§. I.

QVod non omni tempore eadem fata fuerint artis logicæ, ex dictis colligi potest haud obscure: quam fatorum diuersitatem iam breuiter exponamus, & simul in caussam illius inquiramus. disputabimus igitur de varia logicæ fortuna, quæ fuit modo prosperior, modo aduersa, quod vt fiat distincte atque accurate, necesse est, breuibus interpretari, quid per hanc duplicem fortunam intelligamus. prospera logicæ fortuna haud dependet tantum a cultu illius ac magno illorum numero, qui tradunt se eius culturæ, ac scripta logica in publicam emittunt lucem, quod si ita esset, ars hæc tempore scholasticorum in summum felicitatis fastigium fuisset euecta. quapropter felix

felix potius pronuntianda est disciplina quædam, si secundum suam indolem ita colatur, vt vtilitatem, quæ inde debet proficisci, cultoribus possit præbere. quod si ita est, sicuti est, prosperiorem logicæ fortunam a modo istam tradendi & colendi merito deriuamus, qui naturæ atque indoli eius consentaneus esse debet. dantur autem gradus huius felicitatis: prospera quidem fruitur logica fortuna, si viri negotio huic sese consecrant, qui & iudicio & animo veritatis studiosissimo valent; prosperior tamen ista erit, si per rationem status ciuilis & ecclesiastici ista, quæ acutissimus philosophus excogitauit bene, possint feliciori propagari successu. quodsi hæc a se velimus distinguere, possumus priorem adpellare fortunam *priuatam*; posteriorem vero *publicam*, quam vtramque respiciamus.

§. II. Tempore vetustiori interdum logicæ erat fortuna prosperior priuata; minus autem publica. nam quamuis multi ex philosophis græcis eclecticam philosophiam tractandi rationem sequebantur, quod exempla SOCRATIS, PLATONIS, ARISTOTELIS, EPICVRI & aliorum confirmant; ipsi tamen hoc philosophiæ genus discipulis suis haud commendabant, sed vt isti in verba sua superstitioso cultu iurarent, elaborabant. quapropter primus omnino fuit POTAMON ille *Alexandrinus*, qui scholam eclecticam constituit, quam differentiam si obseruamus, facile possunt conciliari diuersæ sententiæ, quod nonnulli originem philosophiæ eclecticæ, quam LIPSIVS & VOSSIVS *electiuam* dicunt, nominato POTAMONI vindicent; alii autem

istam a vetustiori ætate repetendam esse censeant. nam quamuis ARISTOTELES, EPICVRVS a doctrinis suorum magistrorum discesserint; ipsi tamen haud scholas eclecticas constituerunt, id quod fecit POTAMON, quam in rem pluribus legi possunt WESENFELD, [1] IO. CHRISTOPHORVS STVRMIVS; [2] GOTTFRIED OLEARIVS, [3] IO. HENRICVS ZOPFFIVS. [4]

§. III. Prosperior igitur fortuna logicæ multum debet primum SOCRATI, qui quamuis nihil scripserit; studio tamen veritatis occupatus sophistis atque auctoribus fallaciarum sese opposuit, & acuta iudicii facultate præditus, viam monstrauit ad veritatem eruendam cognoscendamque. cui addimus ARISTOTELEM, quippe qui de meliori artis huius facie multum meritus, ac primus operi huic manus admouit, vt illud ad certam formam redigeret, etiam præcepta non penitus contemnenda dedit, si modo eius sectatores atque asseclæ pari fide, eruditione atque industria salutem huius disciplinæ promouere atque augere voluissent. tertius est EPICVRVS, cuius canones, quamuis sint breuiores, superioribus iure ac merito multa adfecimus laude, quoniam solida atque vtilia contineant præcepta, a multis aliis philosophis haud cognita, multo minus tradita. atqui hi sunt, quos ex antiqua ætate nominare possumus. plures quidem adhuc logica præcepta scripserunt

1 *Dissertationibus de philosophia sectaria & eclectica.*
2 *dissert. de phil. electiu. t. I diss. academ.* 3 *diss. de philos. eclectica addita Stanleii hist. phil.* 4 *de origine philosophia eclectica.*

alios-

aliosque docuerunt, quorum & supra copiosum fecimus indicem; illis tamen prosperior disciplinæ fortuna non multum debet, quoniam plerumque sequebantur magistros, atque accessiones, quibus nonnulli istam auxerunt, leuioris erant momenti.

§. IIII. Tempore medio fortuna logicæ erat durior; quam autem felicius sidus ortum sequebatur; quum cælestibus auspiciis LVTHERVS noster doctrinas diuinas purgare ac pristinam lucem restituere nobis institueret, quo factum est, vt non solum religio christiana; sed & bonæ litteræ, & in his musæ philosophicæ priorem dignitatem, puritatem ac splendorem reciperent: ab hoc tempore sanæ libertatis cogitandi, per tot secula penitus oppressæ & in perniciosissimam seruitutem immutatæ fundamentum ponebatur, quæ posthac sensim ac sensim redire cœpit, in quo maximum fortunæ logicæ momentum positum esse, iudicamus. ipse LVTHERVS alienus fuit a studio sectarum, ac præcipue philosophiæ Aristotelicæ. iam anno MDXVI. Iodoco Isenacensi epistola quadam multas dubitandi rationes adversus Aristotelem & Porphyrium significaverat; & anno MDXVII. ipso præside disputatio quædam a M. FRANCISCO GVNTHERO habita, [a] qua Lutherus de Aristotele ita sentit: *tota fere Aristotelis ethica pessima est gratiæ inimica. error est, Aristotelis sententiam de felicitate non repugnare doctrinæ catholicæ. error est, dicere, sine Aristotele non*

[a] Tom. I. Ien. lat. op. p. 8.

fit theologus. immo theologus non fit, nisi id fiat sine Aristotele. nulla forma syllogistica tenet in terminis diuinis. non tamen ideo sequitur, veritatem articuli trinitatis repugnare formis syllogisticis. si forma syllogistica tenet in diuinis, articulus trinitatis erit scitus & non creditus. breuiter, totus Aristoteles ad theologiam est tenebrae ad lucem. bonum erat ecclesiae, si theologis natus non fuisset Porphyrius cum suis vniuersalibus. vsitatiores definitiones Aristotelis videntur petere principium, vt de aliis testimoniis taceamus, ex quibus patet haud obscure, quod Lutherus Aristotelis logicam, ethicam & physicam minus probauerit. nec deerant, qui hac in caussa ad Lutheri sententiam accedebant, vt demonstrat IO. HERMANNVS ab ELSWICH. [1]

§. V. Non negamus, quod Lutherus interdum iusto vehementior fuerit erga Aristotelem; qua in re autem facile per temporis illius rationem & nimia ac bona studia in puriorem doctrinam debet excusari. ceterum quamquam Aristoteles non penitus de sede auctoritatis ac dignitatis deiiciebatur, praecipue quum PHILIPPVS MELANCHTHON ipsi multum esset addictus; philosophia tamen scholastica magnum capiebat detrimentum ac noua illius facies oriebatur, ex quo logica quoque multa bona liberali spe sibi poterat polliceri. alii operam studiumque collocabant in humanioribus litteris resuscitandis & barbarie scholasticorum profliganda, IO. LVDOVICVS VI-

1 *Sched. de varia Aristot. in schol. protestant. fortuna* §. 10. *seqq.*

VES, LAVRENTIVS VALLA, MARIVS NIZOLIVS; alii reiecta ſcholaſtica philoſophia, Ariſtotelem ipſum eligebant, in quibus Itali inprimis eminuerunt. ac quamuis PHILIPPVS MELANCHTHON compendia philoſophica ex Ariſtotele ita componeret, vt interdum ornamenta quædam ex elegantiori doctrina adferret & a magiſtro ac duce diſcederet, quæ multorum adplauſum nacta ſunt; fuerunt tamen alii ex germanis, qui exemplis Italorum purum Ariſtotelem reuocare voluerunt, quales ſunt PHILIPPVS SCHERBIVS, MICHAEL PICCARTVS, ERNESTVS SONNERVS, CHRISTIANVS DREIERVS, MELCHIOR ZEIDLERVS, IO. ZEISOLDVS. equidem ſeculo ſexto & decimo PETRVS RAMVS ab Ariſtotele magno ſtrepitu diſceſſit, ſuoque exemplo præclare demonſtrauit, ab vnius auctoritate haud veram pendere philoſophiam; minus tamen de Ariſtotelis ſectatoribus potuit triumphare.

§. VI. Hac ratione logica a nugis ſcholaſticorum liberata fuit, quæ felicitas non exigua quidem; nondum autem conſummata erat, quum diſciplina hæc neutiquam ea ratione coleretur, vt munus de cognoſcenda veritate potuiſſet præſtare. quapropter ſeculo decimo ſeptimo feliciora adhuc tempora oriebantur, quibus acceſſiones maximi momenti logicæ fiebant, hæcque ars nobiliſſima noua induebatur facie: ſcilicet FRANCISCVS BACO de VERVLAMIO in philoſophia naturali viam monſtrabat ad eiusmodi illius culturam, quæ non aliorum auctoritate; ſed propria obſeruatione & meditatione abſoluebatur, quem alii

alii & ex Germanis præcipue DANIEL SENNERTVS & qui ipſius cauſſam egit IO. SPERLINGIVS, ſecuti ſunt. accedebant opera magnorum virorum PETRI GASSENDI & RENATI CARTESII, quippe qui in philoſophiam Ariſtotelis magnos impetus inſtituebant multaque adferebant ad ſtabiliendam eclecticam rationem philoſophiæ, quamuis GASSENDI merita adhuc ampliora eſſe, quam CARTESII cenſeamus. præter hos, iuris naturæ doctores multas operas ac labores in libertatem philoſophicam, libertatem cogitandi e exilio reuocandam contulerunt, hocque ipſo ſolidum ac verum fundamentum proſperioris logicæ poſuerunt. HVGO GROTIVS magni quidem fecit Ariſtotelem, ac varias doctrinas ſcholaſticorum retinuit; ita tamen vt ſimul libertatem cogitandi vſurpauerit; hinc dicit: *nobis propoſitum eſt, Ariſtotelem magnifacere, ſed cum ea libertate, quam ipſe ſibi in ſuos magiſtros veri ſtudio indulſit.* quid multa? GROTIVS tempori inſeruiebat, & vt operi ſuo multorum fauorem conciliaret, diſſerebat varia ex mente ſcholaſticorum, quamuis animo ſuo iſta nullius eſſe momenti, nulloque niti fundamento cognoſceret. huius exemplo incitati THOMAS HOBBESIVS, SAMVEL PVFENDORFIVS, CHRISTIANVS THOMASIVS, IO. FRANCISCVS BVDDEVS in eo ſtudia collocabant, vt veram cogitandi libertatem ab omni vi vindicarent.

§. VII. Sic propulſata ſeruitus philoſophica fuit: ſicque genuina ars cogitandi ſenſim & ſenſim coli, ſcriptis monimentis tradi, in academiis

demiis explicari, adeoque fortuna prosperiori eaque publica frui cœpit. sectatores CARTESII elaborabant, præcepta logicæ litteris consignare, quumue CARTESIVS sibi effecisset sectam quandam, haud deerant, qui ab omni partium studio cum Aristotelis, tum Cartesii alieni ad opus hoc adgrediebantur ac solam rationem secuti logicæ disciplinam explicare ac perpolire connitebantur. quo litterarum genere meritorum laude summa omnino digni sunt ex germanis CHRISTIANVS THOMASIVS & ANDREAS RVDIGER, qui & viribus ingenii & fortitudine animi, quod vtrumque hac in caussa necessarium est, operi huic satisfecerunt. illustris THOMASII merita, quæ in veram philosophiæ rationem contulit, numquam satis possumus laudare, quippe qui primus ex gente nostra de saniori logica cogitare cœpit & per varios casus, per multa rerum discrimina effecit, vt in academiis Saxoniæ eclectica philosophia fuerit culta. ANDREAS autem RVDIGER diligentius errores Aristotelicorum & Cartesianorum emendauit, ac noua multa, studioso veritatis maxime necessaria atque vtilia excogitauit.

LIBRI III. DE VARIA EXISTIMATIONIS LOGICAE FORTVNA.

CAPVT II. DE FORTVNA ADVERSA.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

Varia genera fortunæ aduersæ logicæ generatim recensentur. I. de illis, *qui logicam coluerunt, sed peruersa ratione, generatim differitur*, II. *quo spectant* primum, *qui verum logicæ finem haud cognouerunt.* III. deinde, *qui finem quidem vere cognouerunt, minus tamen genuino modo istam coluerunt propter prauos affectus, quo pertinent* sectarii & cultores syncretismi philosophici. §. IIII. de illis, *qui logicæ studium reiecerunt*, cum *fundamentum eius euertendo*, vt sceptici. V. tum *philosophiam omnem damnando, quo pertinent* Daniel Hoffmann *&* *eius asseclæ.* §. VI. *omnes cultores philosophiæ* theosophicæ. §. VII.

§. I.

QVid per fortunam logicæ aduersam intelligamus, facile illis, quæ paullo ante diximus, potest colligi. aduersa illi sunt fata, quando ipsi non debita dignitas habetur, quod duplici ratione fieri solet, quando illius cultura aut peruersa ratione instituatur, aut plane reiiciatur ac negligatur, id quod ex historiarum

rum monimentis illustrabimus, rationem habentes fortunæ huius aduersæ cum priuatæ, tum publicæ.

§. II. Quod ad prius fortunæ aduersæ genus adtinet, quod logicæ cultura peruersa ratione instituta fuerit, ista peruersa culturæ ratio in eo consistit, quod quamuis disciplinæ huic operam dederint; proprium tamen ipsius finem, id est sensum veri & falsi haud potuerint assequi, id quod duplici ratione euenit. *alii* enim proprii logicæ finis nullam habuerunt cognitionem, vt adeo haud mirum sit, quod eiusmodi tradiderint præcepta, quæ cum vera ac solida cogitandi arte nihil habebant commune; alii vero, quamuis ipsis esset cognitum & perspectum, quod logicæ munus in eo sit positum, vt intellectum nostrum ad sensum veritatis reddat aptum; minus tamen genuinam rationem, ista mentem excolendi obseruarunt, de quo vtroque genere iam disseramus distincte.

§. III. Prioris generis sunt, qui verum logicæ finem haud cognitum habuerunt, quorum iterum duas nominare possumus species. *alii* enim peruerso sensu existimabant, logicam respicere facultatem differendi, quumue sophistæ veteres id imprimis agerent, vt de quacunque re dissererent in vtramque partem, hunc quoque finem logicum sibi propositum habere, censebant. atqui hæc opinio vniuersam fere græciam oppleuerat, quo euenit, vt logica publica fatorum acerbitate adflicta iaceret, id quod breuiter atque eleganter IO. FRAN-

CISCVS BVDDEVS [1] tradit: *apud græcos quum litterarum ſtudia maxime effloreſcerent, dialecticæ ſatis plerique eum in finem operabantur, vt promte perſuadere populo poſſent, quod eum credere, e re ſua eſſe arbitrabantur, quæ tutiſſima ratio erat & honores, & opes & potentiam pariter ac auctoritatem indipiſcendi. in prima profecto ſua origine dialectica nihil aliud erat, quam ars de re qualibet verba faciendi, nullaque veritatis habita ratione, ad cupiditates ſuas fictis in veri ſpeciem argumentis, impellendi populi animum:* quam in rem adhuc legi poteſt LVDOVICVS CRESOLLIVS. [2] quibus de cauſſis hoc propoſito fine, non poterant non talia tradere præcepta, quæ ad fallacias ſtruendas tantum accommodata adeoque a vera cogitandi arte longiſſime erant remota. in idem vitium incidit RAYMVNDVS LVLLIVS, de cuius arte grauiſſimi viri obſeruarunt, quod magis ad ſermonis copiam; quam rerum cognitionem fuerit comparata. nec negari poteſt, quod PETRVS RAMVS dialecticæ vſum in eo præcipue quæſiuerit, vt ope eius iuuenes in ciuili oratoria arte fierent exercitati, quamuis iis de cauſſis magnam mereatur laudem, quod auctoritati Ariſtotelicæ ac ſcholaſticorum quisquiliis forti animo ſeſe oppoſuerit. *alii* putabant, logici munus eſſe, vt ſoli ſpeculationi ſeſe traderet ac componeret ſyllogiſmum, quæ ſententia fuit doctoribus ſcholaſticis, quorum ætate excellentiſſima cogitandi doctrina duriſſima fatorum ſorte adflicta erat. proſcribebatur omnis ſentiendi libertas:

1 *Præfat. ad artem cogitandi.* 2 *theatro rhetorum, oratorum & ſophiſtarum.*

bertas: eligebatur veluti oraculum philosophicum Aristoteles, non graecus, sed latinus: omnis litterarum elegantia sepulta iacebat: scholae plenae erant barbararum vocum, nugarum, quibus nulla dignitas, nulla vis ad veritatem cognoscendam inerat.

§. IIII. Posterioris generis sunt, qui cognitionem logicae, veluti finem quidem constituerunt; de mediis autem siue praeceptis, ad illum perueniendi haud recte sentientes a vera aberrarunt via. media enim ista haurienda sunt ex sana ratione, & partim ad naturam veritatis; partim ad modum cognoscendi, quem Deus nobis praescripsit, adcommodanda, quo patet, quod hac in caussa omne momentum positum sit in recta cogitandi libertate. qua sublata, logicae incrementa haud promoueri possunt, nec illi, qui ius sentiendi a Deo hominibus datum neutiquam exercent, quidquam ad artis huius salutem adferunt. quapropter logicae durior fortuna illata est ab illis, quibus talis philosophiae cultura placuit, vt magistrum quemdam vnice sequerentur, omnesque eius sententias, quamuis haud fuerint exploratae per iudicandi facultatem, sancte ac religiose venerarentur. id quod cum antiquiori, tum recentiori aeuo multis fuisse solemne, constat, aduersus quae sectarum studia alii iure ac merito disputarunt grauiter. nam quamuis DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS [1] dicat: *non male suis rebus quaedam academiae consuluerunt, quae veteres Peripateticae philosophiae terminos mo-*

1 *Polyh. litter. lib. II. c. II. §. 28.*

vere

vere prudenti instituto prohibuerunt. quod etsi quibusdam asperum nimis & durum videtur, qui libertatem philosophicam crepant, sciant illi, publicam philosophandi formam necessario tenendam esse; & IACOBVS THOMASIVS[1] eiusdem sit opinionis, qui his verbis philosophiam eclecticam reiicit: *retinenda sane forma regiminis monarchici, qua nulla potest esse pro statu corrupti hominum ingenii litterariae reipublicae salubrior*; rectius tamen posterioris filius CHRISTIANVS THOMASIVS[2] obseruauit, quam multa incommoda ex sectaria philosophia oriri. atqui huc quoque referri possunt cultores *syncretismi philosophici*, qui intempestiuae pacis studiosi diuersa philosophorum placita inter se conciliare elaborarunt, etiam eorum sententias cum oraculis divinis conferre, quod argumentum exposuerunt IACOBVS THOMASIVS,[3] GEORGIVS HORNIVS,[4] & IO. FRANCISCVS BVDDEVS.[5]

§. V. Hactenus breuiter de illis, qui logicam peruersa ratione coluerunt. nunc de eis quoque disputabimus, qui artem hanc neglexerunt, & iam aperte reiecerunt. quo pertinent *sceptici*, quorum praecipue duo genera constituuntur, dum alii certitudinem sensuum, adeoque omnis cognitionis, omnium philosophiae doctrinarum tollunt; alii vero in sola eaque perpetua dubitatione permanent, ac ne hoc quidem: *nihil datur certum*, sciri posse

1 *Progr. XLI. p.* 469. 2 *introd. ad philos. aulicam cap.* I. §. 91. *seqq.* 3 *oratione de syncretismo Peripatet.* 4 *histor. philos. lib.* 6. *c.* 13. 5 *obseru. Hal. t.* III. *obseru.* 13. & 14.

conten-

contendunt, quam in rem legi poſſunt cum illi, qui hiſtoriam ſcepticiſmi ac ſcepticorum ſunt perſecuti, GERH. IO. VOSSIVS,[1] DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS,[2] THOMAS STANLEIVS,[3] GEORGIVS PASCHIVS,[4] IO. ALBERTVS FABRICIVS;[5] tum iſti, qui errori huic confutando morboque expellendo operam dederunt, quales ſunt MERSENNVS *de veritate ſcientiarum aduerſus ſcepticos & Pyrrhonios*; SCHOOKIVS de *ſcepticiſmo*; PETRVS de VILLEMANDY in *ſcepticiſmo debellato*; PETRVS GASSENDVS de *fine logicæ*; IO. FRANCISCVS BVDDEVS *theſibus de atheiſmo & ſuperſtitione*. variæ ſunt ſcepticiſmi ſpecies, ſi modo res ipſas, quarum cognitionis certitudinem tollunt; modo rationem, qua id fieri ſolet, reſpiciamus. quapropter alii rationi omnia, reuelationi diuinæ nihil: alii contra reuelationi omnia, nihil rationi tribuunt, quod poſterius magno ſtudio fecit HIERONYMVS HIRNHAIM edito libro de *typho generis humani, ſiue ſcientiarum humanarum inani ac ventoſo tumore, difficultate, labilitate, falſitate, iactantia, præſumptione, incommodis, periculis*, quo omni labore id egit, vt philoſophiæ fundamenta ſubuerteret. ſed tamen quum hæc a propoſito dicendi argumento aliena ſint, id tantum obſeruamus, quod ſcepticiſmus magnam vim logicæ in maius meliusue promouendæ inferat, quin etiam ipſum fundamentum, quo recta cogitandi ars nititur, id eſt ſenſuum certitudinem euertat. etenim

1 *De ſectis philoſ. c. XX. n. 8.* 2 *polyh. tom. II. lib. I. c. 6. ſ. II. lib. 2. c. 9.* 3 *hiſtor. phil. part. XI. p. 918.* 4 *introd. ad rem litterar. mor. veter. cap. VI.* 5 *bibl. græc. lib. III. cap. 33.*

ſenſio

ſenſio eſt primum principium atque vltimum criterium omnis veritatis.

§. VI. Hoc loco mentionem quoque facere debemus DANIELIS HOFFMANNI, hoſtis omnis philoſophiæ adeoque etiam logicæ. namque philoſophiam, quam antea magno ſtudio proſecutus fuerat, veluti prauarum cupiditatum opus damnauit, eamque contrariam eſſe ſacris ſcripturis dixit, ad cuiusmodi ſententiam non paucos pertraxit, in quibus erant IO. ANGELVS WERDENHAGENIVS, IO. MVLLERVS & alii. poſthac controuerſiam hanc excitauit iterum WILHELMVS SCHILLINGIVS, quorum ſtudiis & alii fortiter ſeſe oppoſuerunt. aduerſus DANIELEM HOFFMANNVM arma ſua tulit IO. CASELIVS, cum quo faciebant CORNELIVS MARTINI, OWENVS GVNTHERVS, *Caſelianorum* nomine adpellati, quibus acceſſit ALBERTVS GRAWERVS, edito libro aduerſus Hoffmannum hunc de *vnica veritate*. ſic cauſſa ipſius ita cecidit, vt publice errorem ſuum profiteri eumque emendare, habuerit neceſſe. contra SCHILLINGIVM vero & SCHRADERVM venerunt integer ordo theologorum academiæ Vitebergenſis, quorum ſcripta hac in cauſſa compoſita continentur *conſiliis Vitebergenſibus*,[1] & IACOBVS MARTINI libro lingua teutonica conſcripto: *ſpeculum rationis*, quo vſum ac vires rationis humanæ, quæ mortalibus poſt lapſum primorum parentum relictæ ſunt, copioſe declarat, etiam ad loca illa, quæ

1 *P. I. pag.* 817. *ſeqq.*


alii aduerſus philoſophiam ex oraculis diuinis proferunt, reſpondet. liber hic editus eſt Vitebergæ MDCXVIII. 4. diuiſus in duas partes, quarum prior de *ratione*; poſterior vero de *philoſophia* agit. etenim illi, qui reiiciunt philoſophiæ ſtudia, inprimis prouocant ad verba apoſtoli PAVLLI:[1] *βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας*, quaſi his apoſtolus omnem philoſophiæ doctrinam inutilem & pernicioſam eſſe pronuntiaret, id quod erronea opinione ſibi perſuadent. nam PAVLLVS reſpicit tantum ad falſam philoſophiam, ſiue doctrinas veterum græcorum; ſiue ex iudæis phariſæorum, ac præcipue Esſæorum intellexerit, in primis quum ex EVSEBIO, IOSEPHO, SCALIGERO, DRVSIO ſit apertum, quod doctrina ſectarum Iudæorum, Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſæorum dicta fuerit *philoſophia*.

§. VII. Præter DANIELEM HOFFMANNVM huc quoque pertinent *fratres roſæcruciani*, quippe qui philoſophiam in theologia non ſolum inutilem eſſe; ſed plane etiam pernicioſam contendunt omnemque rationis humanæ vſum remouent, dum reuelationes diuinas ſibi fieri credunt, de quibus copioſe diſſeruit CHRISTOPHORVS STEPHANVS KAZAVERVS.[2] quid multa? locum heic merito tenent cultores omnes philoſophiæ *myſticæ* & *theoſophicæ*, quam dicunt, ROBERTVS

1 *Coloſſ. II. v. 8.*
2 *diſp. de roſaecrucianis.*

FLVDDVS,

FLVDDVS, VALENTINVS WEIGELIVS, teutonicus ille philoſophus IACOBVS BÖHMIVS, IO. BAPTISTA van HELMONT cum filio FRANCISCO MERCVRIO & alii. ac quis dubitaret, hos omnes veræ logicæ bellum indixiſſe, dum rationem humanam, per quam ope logicæ veritates cognoſcere debemus, penitus proſcriptam eſſe voluerunt.



DIATRIBE

849

DIATRIBE
DE
ORATIONIBVS
PANEGYRICIS
VETERVM.

Digitized by Google



Digitized by Google

ΣΥΝΟΨΙΕ.

Varia dicendi genera apud veteres recensentur. §. I. *vox panegyricus explicatur.* §. II. *origo orationum panegyricarum.* §. III. *prima classis orationum panegyricarum.* §. IIII. *num sermo Plinii nomen panegyrici possit tueri.* §. V. *secunda classis orationum panegyricarum, quæ continent laudationes.* §. VI. *de laudationibus veterum sophistarum generatim.* §. VII-XII. *quis auctor sermonum vere panegyricorum.* §. XIII. *quænam declamationes ex laudationibus ad panegyricos debeant referri.* §. XIIII. *veteres panegyrici græci recensentur.* §. XV. *ratio horum panegyricorum.* §. XVI. XVII. *de panegyricis latinis.* §. XVIII-XXII.

§. I.

PRo tribus caussarum generibus tres quoque declamandi rationes fuerunt apud veteres, quum modo in demonstratiuo; modo deliberatiuo; modo in iudiciali versarentur. hinc dicit QVINCTILIANVS:[1] *est vnum genus, quo laus & vituperatio continetur; alterum est deliberatiuum: tertium iudiciale*, quem controuersiarum siue caussarum numerum etiam adprobant ARISTOTELES & DIONYSIVS *Halicarnasseus*: confer GERH. IO. VOSSIVM.[2] quod ad genus deliberatiuum attinet, illud continebat præcipue suasionem, quo quum vterentur oratores, adhibebant argumenta vera; post hac autem mutato imperio etiam ficta, quo declamandi studio & viri & iuuenes exercebant sese diligenter, vt ex QVINCTILIANI, aut quæ sub illius nomine

1 *Instit. orator. lib. III. c. 4.* 2 *institut. orator. lib. I. c. 3. p. 16.*

circumferuntur, & MARCI SENECAE declamationibus patet. quapropter PETRVS FRANCIVS [1] dicit: *hoc itaque modo declamandi se studio exercebant, & ad veram eloquentiam viam sibi per hanc vmbraticam muniebant graci illi veteres ac romani, quod ab adolescentia inchoatum, nullo vnquam tempore intermissum, tam bello, quam pace, tam in negotio, quam otio, princeps ille gentium populus, & eloquentiæ non minus laude, quam bellica virtute clarissimus summa semper industria ac vigilantia excolebat. nec enim iuuenile hoc tantum exercitium fuisse censendum est. viri & viri principes illud sibi operæ iniungebant, neque hoc declamandi vnquam studium intermittebant.* genus autem iuridiciale in controuersiis forensibus, adcusationibus & defensionibus versabatur, quarum aliæ erant veræ, aliæ vero fictæ, quas πλάσματα dictas primus inuenisse traditur AESCHINES. per quam simulatam eloquentiam ad veram illam ac forensem ascendere contendebant, vnde etiam QVINCTILIANVS [2] hanc declamandi rationem pronuntiat vtilissimam, quam ad eloquentiam efformandam prope solam sufficere dicit. tandem in demonstratiuo genere principem locum tenebant *orationes panegyricæ*, quarum rationes ex antiquis monimentis explanare atque illustrare, nobis est propositum.

§. II. Non ab re erit, si ante omnia de ipsa adpellatione, qua orationes dicuntur *panegyricæ*, dispiciamus. atqui ista originem suam deducit a græca voce πανήγυρις, quæ apud veteres græciæ auctores præcipue significat cele-

1 *Orat. de ratione declamandi p. 9.* 2 *lib. II. cap. 20.*

brita-

britatem, conuentum, concionem hominum ſolemnem ſiue per ludos publicos, ſiue per nundinas, ſiue per alios dies feſtos inſtitutam. primum magna celebritate frequentabant ludos publicos, quales apud græcos præſtantisſimi habebantur *Olympici*, quibus vires corporis confirmabantur, quorumue primus inſtaurator credebatur Hercules, in cuius honorem etiam talia certamina ſunt repetita; *Pythii*, celebrati primum elapſo nouem annorum ſpatio, deinde & quinquenniis ſingulis redeuntibus, quibus iuuenes pugna curſuque certabant; *Nemei*, qui ex communi ſententia inter Phliuntem & Cleonas Achaiæ ciuitates ſunt celebrati & tandem *Iſthmii*, quorum magna apud græcos erat dignitas, de quibus pluribus egerunt HIERONYMVS MERCVRIALIS, [1] PETRVS FABER, [2] VOSSIVS, [3] IO. POTTERVS, [4] GEORGIVS NICOLAVS KRIEGK [5] & interpretes eruditi PINDARI. conuentus ad talia certamina dicebatur *πανήγυρις*, vt DEMOSTHENES [6] ſcribit: *ἀποσεῖλαι δὲ καὶ δωρεὰς ἐς τὰς ἐν τῇ Ἑλλάδι πανηγυρίας Ἴσθμια, καὶ Νέμεα καὶ Ὀλύμπια, καὶ Πύθια*, *mittenda etiam eſſe munera in celebres græciæ conventus, Iſthmia, Nemea, Olympia & Pythia*: & PHILOSTRATVS [7] de GORGIA: *ἐμπρέπων δὲ καὶ ταῖς τῶν Ἑλλήνων πανηγύρεσι, τὸν μεν λόγον τὸν Πυθικὸν ἀπὸ τȣ̃ βωμȣ̃ ἤχησεν*, *in græcorum vero etiam ſolemnibus conuentibus conſpicuus Pythicam orationem ex ara pronuntiauit.* ſic

1 *De arte gymnaſtica.* 2 *in agoniſtic.* 3 *de quatuor artibus popularibus.* 4 *archæol. græc. lib. II. 22. ſqq.* 5 *de inclareſcendi modis apud græcos veteres* §. 14. *ſqq.* 6 *de corona p.* 487. *opp.* 7 *de vitis ſophiſtarum lib. I. n.* 9. §. 2.

quoque vox hæc vſurpata eſt de celebritate nundinarum, cuius ſignificationis exemplum nobis ſuppeditat CICERO:[1] *res agebatur in circo Flaminio: & erat in eo ipſo loco illo die nundinarum* πανήγυρις, quæ & deprehenditur apud DIONYSIVM *Halicarnaſſeum* & GREGORIVM NAZIANZENVM. necnon adhibetur de aliis celebrioribus conuentibus, ad ſacra quippe celebranda Eleuſinia, Panathenæa, item ſpectacula & conuiuia, quæ publice a regibus principibusue exhibentur, πανηγύρεις vocantur ab ATHENAEO, HERODIANO, XENOPHONTE, vide HENRICVM STEPHANVM[2] & CAELIVM RHODIGINVM,[3] quæ omnia comprehendit IVLIVS POLLVX.[4] vox enim πανήγυρις oritur ab ἄγυρις, quod nomen ſignificans multitudinem collectam & congregatam factum eſt ab ἀγορὰ æolice o in υ mutato. erat quippe apud græcos conſuetudo, multis verbis, quibus vniuerſitatem rei cuiusdam volebant indicare, nomen πᾶν addere, vti nota ſunt nomina παμβασιλεὺς, πανδεχὲς, παμπόνηρος, πανέλληνες, & apud Athenienſes celebrata ſunt παναθήναια. ab hoc nomine alia verba ſunt deriuata, πανηγυρικὸς, hinc apud PLVTARCHVM πανηγυρικὴ θέα, πανηγυρικὸς κόσμος, πανηγυρικὰ πράγματα & apud ISOCRATEM πανηγυρικὸς ὄχλος, item πανηγυρίζω id eſt πανήγυριν ἄγω, necnon πανηγυρισμὸς, πανηγυριστὴς, de quibus auctores lexicorum græcorum conſuli poſſunt. HESYCHIVS[5] dicit: πανήγυρις, ἔπαινος, ἑορτὴ, θέατρον, & de prouerbio: κακῶν

1 *Lib. I. epiſt. 14. ad Atticum.* 2 *appendic. theſ. græcæ linguæ p. 1583.* 3 *lection. antiquarum lib. XXIX. c. 12.* 4 *onomaſtic. lib. I. cap. I. n 30. p. 10.* 5 *lexic. p. 725.*

πανή-

πανήγυρις, *malorum panegyris* differit ERASMVS.[1]

§. III. Occaſione igitur huiusmodi conuentuum ſolemnium & publicorum adpellatio, qua orationes dicuntur *panegyricæ*, orta eſt, ita vt dicamus *orationem panegyricam*, etiam ſubſtantiue, ſuppreſſo λόγυ vel ſermonis vocabulo, *panegyricum*: CICERO:[2] *Iſocrates fecit panegyricum*; & QVINCTILIANVS:[3] *panegyricum Iſocratis decem annis dicunt eſſe elaboratum.* etenim veteres oratores, quum in græcia inſtituerent panegyres ſeu conuentus ſolemniores, ac multitudo eſſet congregata, diligenter dicebant, vimque ſuam ac copiam eloquentiæ oſtentare, ſummo annitebantur ſtudio. quamobrem ISOCRATES[4] Athenas laudibus ad cælum vsque tollit, easque non ſolum propter congreſſus ſalutis publicæ cauſſa inſtitutos commendat, ſed ob certamina quoque oratoria, quando ſcribit: *ἔτι δ' ἀγῶνας ἰδεῖν, καὶ μὴ μόνον τάχυς καὶ ῥώμης, ἀλλὰ καὶ λόγων καὶ γνώμης, καὶ τῶν ἄλλων ἔργων ἁπάντων, καὶ τύτων ἆθλα μέγιςα*, *præterea non tantum celeritatis & roboris, ſed & eloquentiæ & mentis ac operum ceterorum omnium certamina, & horum præmia maxima hic cernuntur*: adde DIONYSIVM Halicarnaſſeum.[5] ex recentioribus autem IVLIVS CAESAR SCALIGER[6] hac de re teſtatur: *veteres græcos tenuit conſuetudo, certis vt celebritatibus vnum in locum vniuerſi conuenirent, vt eorum animi vel præceptionibus ſapientum, vel for-*

1 *Adag. p.* 378. 2 *de oratore cap.* II. 3 *lib.* X. *cap.* 4. *inſtit. orat.* 4 *panegyr. p.* 96. *opp.* 5 *περὶ τῶν πανηγυρικῶν p.* 33. *t.* II. *opp.* 6 *poetic lib.* III. *cap.* 108. *p.* 367.

tium æmulatione componerentur atque colerentur, vel ludorum festiuitatibus laxarentur. namque tum poetæ, tum oratores, tum aretologi, tum historici suas recitabant lucubrationes. sic apostolus PAVLLVS, vt exemplum ex scripturis diuinis petamus, dicebat *ἐν τῇ ἀγορᾷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας,* [1] in foro quippe, quod erat in Ceramico & ἁπλῶς adpellabatur ΑΓΟΡΑ, vt PAVSANIAS [2] commemorat DEMOSTHENIS statuam in Ceramico positam eamque ἐν τῇ ΑΓΟΡΑΙ esse confirmat. ac quamuis forum in Eretria etiam tantum diceretur ΑΓΟΡΑ, prout PAVSANIAS [3] *misericordiæ aram*, eo loco conspicuam ἐν τῇ ΑΓΟΡΑΙ tradit; constat tamen, [4] quod ætate imperatoris Augusti ex Ceramico translata fuerit ΑΓΟΡΑ in Eretriam, vbi illo tempore magnus fuit concursus ementium, vendentium, atque aliorum hominum, qui negotia huius generis tractabant: confer GOTTFRIED OLEARIVM. [5]

§. IIII. Orationes panegyricæ vi primæ originis, qua hæc adpellatio nata est, illæ erant, quæ in celebriori conuentu ac concione hominum recitabantur, siue argumentum laudis, siue suasionis, siue adcusationis & defensionis complecterentur, vide HERMOGENEM. [6] sic GORGIAS *Leontinus* recitauit orationem olympicam de *concordia*, adeoque de argumento ad suasionem spectante, auctore PHILOSTRATO: [7] ὁ δὲ ὀλυμπικὸς λόγος ὑπὲρ τοῦ

1 *Actor. XVII. v. 17.* 2 *Attic. cap. 8.* 3 *Attic. cap. 17.* 4 *STRABO lib. X. p. 447.* 5 *de rebus gestis Pauli in vrbe Athenensium §. 9.* 6 *περὶ ἰδεῶν lib. II.* 7 *de vitis sophistarum lib. I. n. 9. §. 1.*

μεγίστου

μεγίϛυ αὐτῷ ἐπολιτεύθη. ϛασιάζȣσαν γὰρ τὴν Ἑλλάδα ὁρῶν, ὁμονοίας ξύμβȣλος αὐτοῖς ἐγένετο, *olympica vero oratio de re maxima multa ciuili prudentia ipſi elaborata fuit. diſſidentes quippe græcos conſpicatus concordiam ipſis ſuaſit:* ſic ANTIPHON Sophili rhetoris filius, Athenienſis, pago Rhamnuſius ſermonem quoque ὑπὲρ τῆς ὁμονοίας, de *concordia* elaborauit, quem PHILOSTRATVS [1] σοφιϛικώτερον fuiſſe pronuntiat, cuiusue etiam auctor etymologici magni [2] mentionem facit. pari ratione ARISTIDES ediſſeruit περὶ ὁμονοίας ad ciuitates Aſiæ Pergamum, Smyrnam Epheſumque, vt colerent concordiam, nec de primatu inter ſe contendendo mutuum ſibi afferrent exitium exemplo Athenarum & Lacedæmonis, confer IO. ALBERTVM FABRICIVM. [3] ex quibus ANTIPHONTIS atque ARISTIDIS exemplis patet, quod ſermo GORGIAE de *concordia* neutiquam ad genera orationum, quæ argumenta laudis continent, pertineat; attamen PHILOSTRATVS illum refert ad ſermones panegyricos. quin etiam LYSIAS Athenienſis ſcripſit panegyricum in Dionyſium Siciliæ tyrannum, quem ſuadet interfici, & ISOCRATES panegyrico ſuo græcorum animos aduerſus barbaros ſumma excitauit opera: hinc *ſuaſionem* vocat CICERO [4] & SYRIANVS in HERMOGENEM [5] obſeruat, illum conſtare duplici genere cum ad laudem, tum ad ſuaſionem pertinente. equidem DIONYSIVS *Halicarnaſſeus* [6] iudicat, princeps ISO-

1 *Cit. loc. lib. I. n. 15. §. 4.* 2 *voce* Θεαιδίϛατος.
3 *bibl. græc. lib. IV. cap. 30. p. 385.* 4 *de oratore cap. 11.*
5 *pag. 18.* 6 *Iſocrat.*

CRATI fuisse propositum, Athenienses magnificis ornare laudibus, quas & illum per speciem suasionis, vt græci contra barbaras gentes suscíperent expeditionem, dixisse. & GERH. IO. VOSSIVS dicit:[1] *nam Isocratis panegyrica, quæ exstat, hortatur græcos ad suscipiendam expeditionem aduersus barbaros. verum nullo negotio eximus hunc ictum, si Halicarnassensem audimus, qui suasionem negat esse primarium Isocratis finem. nam ait, eum per speciem suasionis laudes persequi Atheniensium.*

§. V. Disputatur quoque, num sermo PLINII Neruæ Traiano Augusto dictus *panegyrici* nomen tueri possit, necne? sunt, qui existimant, quod hæc oratio potius dicenda videatur gratiarum actio, cum quod PLINIVS ipse[2] dicat: *sed parendum est senatus consulto, quo ex vtilitate publica placuit, vt consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes, quæ facerent, recognoscerent; mali, quæ facere deberent*; tum etiam, quod AVSONII ad Gratianum principem pro accepto consulis munere oratio inscripta sit non panegyricus, sed gratiarum actio. quo nomine dicit GERH. IO. VOSSIVS:[3] *at Plinius plane abusus panegyrici nomine: quippe quo orationem suam titulo redderet augustiorem, eam πανηγυρικὴν inscripsit, qua solum, conuocatis patribus Traiano pro consulatu gratias agit.* sed vero BERNEGGERVS nomen hoc Plinii sermoni vindicat ex materia, loco, dicendi genere, quanquam non negat, aliquid satyricum esse admixtum, dum

1 *Institut. orat. lib. 1. cap. 5. p. 44.* 2 *panegyr. cap. 4.*
3 *instit. orat. lib. I. cap. 5. pag. 44.*

ita

ita optimum laudat principem, vt alios perstringat acriter, qui antecesserunt. saltem antiquæ nouæque editiones hanc vocem præ se ferunt, quæ siue ipsi orationi vindicetur, siue minus, vnum idemque esse censemus. etenim orationes, vt ex superioribus constat, dici possunt *panegyricæ*, quamuis princeps argumentum non laude absoluatur, si modo in conuentu quodam celebriori siue per multitudinem, siue per auctoritatem ac splendorem auditorum recitentur. sic dixit PLINIVS in senatu amplissimo virorum ordine, breuius quidem, quem sermonem postea plenius elaborauit, antequam ederet, vt ex quadam ipsius epistola [1] cognoscimus. nec solum orationes a voce *πανήγυρις* dictæ sunt *panegyricæ*; sed & *panegyres*, vti CLAVDIANVS panegyrin Serenæ reginæ coniugi Stiliconis consecratam scripsit. eadem ratione apud romanos auctores vox *concio* significat & cœtum conuocatum, item quamlibet temere confluentem turbam; & orationem, quæ habetur ad cœtum, immo locum ipsum, de quo dicitur sermo, vt ex A. GELLIO [2] patet.

§. VI. Atqui hæc est origo orationum panegyricarum, quarum argumenta in primis ad rationem conuentuum solemnium erant composita, ac plerumque continebant varia laudum genera. etenim talis orator auspicium sermonis faciebat a laude Dei, siue præsidis in panegyri, qua exposita, effuse prædicabat vrbem illam, vbi celebrabatur conuentus, ac post hac differebat de certamine ac præmiis, quæ victoribus erant proposita, ita vt vbique fere

1 *Lib. III. epist. 18.* 2 *noct. Attic. lib. XVIII. cap. 7.*

secta-

ſectaretur laudationes, qua de re videas DIONYSIVM *Halicarnaſſeum.* [1] attamen & alia argumenta orationis lumine illuſtranda ſibi elegerunt, non per rationem conuentuum ſiue ludorum aliarumque rerum ſolemnium occaſionem; ſed celebritatem & ſplendidam populorum concionem excitati, ita vt de quacumque re, quæ ſe ipſis offerebat, dicerent. ſed poſt hac quum eiusmodi orationum conſuetudo exoleuerit, factum eſt, vt quæcumque in laudem ſplendidiſſimarum perſonarum præcipue fierent, dictæ ſint panegyricæ, quæ eſt cauſſa quoque, cur tales ſermones a magiſtris artis oratoriæ, qui tria cauſſarum genera conſtituunt, referantur ad demonſtratiuum, quibus oratores laudationem ſibi habeant propoſitam. hæc eſt veluti altera claſſis orationum panegyricarum, de quibus ea, qua fieri poteſt, breuitate dicamus, rationem habentes oratorum cum græcorum, tum romanorum.

§. VII. In græcia præcipue fuerunt ſophiſtæ, qui ſermonibus ad laudem compoſitis multam dederunt operam, quorum rationem ſi cognoſcere velimus penitus, obſeruare decet, quod orationes panegyricæ, de quibus iam diſſeramus, ad laudem quidem ſpectent; ſed ideo non quilibet ſermo, qui continet laudationem, in numero panegyricorum debeat haberi. quapropter non ab re erit, diuerſa laudationum genera, in quibus ſophiſtæ verſati ſunt, commemorare, iisque expoſitis, ipſarum orationum panegyricarum rationem habere. tres inprimis ſpecies fuiſſe laudationum, ex antiquis monimentis cognoſcimus, quoniam

[1] Περὶ τῶν πανηγυρικῶν.

niam prædicabant aut deos & heroas; aut claros viros; aut illuſtres ciuitates. primum laudabant Deos & heroas, Iouem, Herculem, Mineruam, Bacchum, Aeſculapium & alios, cuius rei exemplum exhibemus ARISTIDEM. hic enim ſcripſit orationem in *Iouem*, quum ex magna tempeſtate eſſet ſeruatus; in *Mineruam*, quæ ex precibus & hymno compoſita eſt; in *Neptunum* dictam in Iſthmiis Neptuno ſacris, qua Corinthum laudat & adpellat græciæ *ἀγορὰν καὶ κοινὴν πανήγυριν*, in *Bacchum*, quem prædicare a Baccho in ſomnis iuſſus fuerat, in *Herculem*, *Aeſculapium*, cuius beneficia ſibi exhibita effert: vide IO. ALBERTVM FABRICIVM.[1] in hiſce exercitationibus ſtudebant tantum oſtentationi, nec multum habebant dignitatis apud boni rectique cultores: hinc QVINCTILIANVS[2] dicit: *neque inficias eo, eſſe quasdam ex hoc genere materias ad ſolam compoſitas oſtentationem, vt laudes deorum virorumque, quas prima tempora tulerunt.* PLVTARCHVS[3] autem tradit, quod ſophiſta quidam quum laudare voluerit Herculem, reſponſionem acceperit: *τίς γὰρ αὐτὸν ψέγει; quis enim eum vituperat?* confer LVDOVICVM CRESOLLIVM.[4] porro extollebant magnos homines, reges, principes, duces eorumque pronuntiabant laudes, quas modo in conſpectu ipſorum dixerunt, modo orationes litteris conſignatas ad eos transmiſerunt, quod a ſe factum eſſe, THEMISTIVS[5] teſtatur. plerique ita laudarunt principes, vt vitio adula-

1 *Bibl. græc. lib. IV. c. 30. §. 5. p. 377.* 2 *lib. III. cap. 9.*
3 *Laconicis apophthegm.* 4 *theat. rhetor. lib. III. cap. 7.*
5 *orat. XIII.*

tionis

tionis se contaminauerint ac tantum gratiam plaususque sint sectati: LACTANTIVS: [1] *accesserunt etiam poëtæ, & compositis ad voluptatem carminibus in cælum vsque sustulerunt. sicut faciunt, qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur. quod malum a græcis ortum est, quorum leuitas instructa dicendi facultate, incredibile est, quantas mendaciorum nebulas excitauerit.* hinc PESCENNIVS *Niger*, qui de summa rerum cum SEVERO *Pertinace* dimicauit, apud AELIVM SPARTIANVM [2] illi dixit, qui panegyricum sibi dedicare constituerat: *scribe*, inquit, *laudes Marii vel Hannibalis vel alicuius ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt eum nos imitemur.* quæ vox ALEXANDRO *Mammææ* filio ita placuit, vt teste LAMPRIDIO [3] *oratorum & poëtarum panegyricos sibi dictos audire exemplo Nigri Pescennii stultum dixerit*: confer CHRISTOPHORVM CELLARIVM. [4]

§. VIII. Neque vero solum viuos, sed etiam mortuos orationibus funebribus ad laudem compositis ornarunt. sic GORGIAS recitavit orationem ἐπὶ τοῖς ἐκ τῶν πολέμων πεσοῦσιν, οὓς οἱ Ἀθηναῖοι δημοσίᾳ ξὺν ἐπαίνοις ἔθαψαν, *de his, qui bello ceciderant, quos Athenienses publice cum laudibus sepultura honorauerant*, auctore PHILOSTRATO. [5] apud PLATONEM est ΜΕΝΕΞΕΝΟΣ, ἢ ἐπιτάφιος, vbi exhibetur oratio in defunctos pro patria in variis prœliis Athenienses veluti scripta ab ASPASIA *Mi-*

1 *Instit. diuin. lib. I. cap.* 15.
2 *vita Pescenn. cap. XI.*
3 *vita Alexandri cap. XXXV.*
4 *program. n. XXXIII. p.* 231.
5 *de vitis sophistarum lib. I. n.* 9. §. 2.

lesia;

lesia; [1] dicta a PERICLE, quam CICERO [2] respicit, quum de PLATONIS dicendi genere iudicat, quod secutus sit *non solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, vbi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione, qua mos est, Athenis laudari in concione eos, qui sint in prœliis interfecti: quæ sic probata est, vt eam quotannis, vt scis, eo die recitare necesse sit.* extant adhuc POLEMONIS duo contrarii ἐπιτάφιοι λόγοι parentum nomine dicti in *Cynægirum* & *Callimachum* Athenienses, qui in pugna Marathonia pro patria aduersus Medos fortiter pugnantes obierant, vbi Cynægiri pater suum filium Callimacho, pater Callimachi filium Cynægiro præfert, quas declamationes binas græce edidit HENRICVS STEPHANVS. talem quoque sermonem debemus ISOCRATI in laudem EVAGORAE regis Cypriorum [3] interemti a Thrasydæo eunucho olymp. CI, 3. item DEMOSTHENI in eos, qui in Chæronea clade forti animo pro patria pugnantes obiissent, cuius orationis habitæ olympiad. CX, 3. meminit PLVTARCHVS, quamuis hanc quæ exstat, DIONYSIVS, LIBANIVS, PHOTIVS abiudicent DEMOSTHENI. necnon ARISTIDES laudationem dixit funebrem in Eteoneum, nobilem Cyzicenum discipulum in flore ætatis defunctum; & LONGINVS [4] de HYPERIDE scribit: τὸν ἐπιτάφιον ἐπιδεικτικῶς, ὡς

1 *Vide* PLVTARCHVM *Pericle p.* 165. 169. ATHENAEVM XIII. *p.* 569. LVCIANVM, HARPOCRATIONEM, SVIDAM *&* *alios.* 2 *de oratore cap.* 44.
3 *vide* MEVRSIVM *Cypr. lib.* II. *cap.* 12. 4 περὶ ὕψους *sect.* XXXI.

ὐκ οἶδ' εἴτις ἄλλος, διέθετο, *funebrem orationem cum tanta composuit ostentatione, vt, an quispiam alius talem concinnare potuerit, nesciam.* qui HYPERIDES magnam eloquentiæ habebat existimationem, ita vt DIO *Chrysostomus* [1] inter omnes oratores præ DEMOSTHENE & LYSIA legendos commendet viro ciuilis facundiæ studioso HYPERIDEM & AESCHINEM.

§. VIIII. Num a græcis, an romanis origo sermonum funebrium sit petenda? de eo disputant historiarum auctores. DIONYSIVS *Halicarnasseus* [2] commemorat orationem in funere Bruti habitam a Valerio, & quamuis haud affirmet, tum ne, an a regibus romanis talis mos fuerit institutus; hæc tamen paullo post addit: *sero Athenienses funerum legibus laudationem addiderunt; siue id in iis primum fecere qui ad Artemisium, ad Salaminem & ad Platæas pro patria pugnantes occubuerunt; siue in iis, qui Marathonico prælio periere. & vt demus, morem hunc cæpisse a Marathonensi pugna, hæc quoque sedecim annis funere Bruti est posterior;* cuius verba de industria latine tantum attulimus. quæ quum ita se habeant, romanis omnino hæc inuenta consuetudo orationes funebres recitandi, vindicanda est; at vero alii græcorum gloriam hac in re tueri contendunt. etenim muniunt sese testimonio quodam ANAXIMENIS qui auctore PLVTARCHO [3] tradat, quod Solon huius ritus apud Athenienses sit auctor, qui quum floruerit sub Tarquinio Prisco; Valerius Poplicola autem depulsis regibus, colligunt exinde, quod ro-

1 *Dissertat. XVIII. siue epistola περὶ λόγυ ἀσκήσεως.*
2 *antiquit. rom. lib. V. p. 291. t. I. opp.* 3 *in Poplic.*

mani

mani hanc consuetudinem græcis posteriores acceperint. nec sententiæ huic deesset dignitas, si partim testimonium ANAXIMENIS probam præ se ferret fidem; partim exploratum esset, quod nemo ante Poplicolam in gente romanorum orationem dixerit funebrem. id ex veterum monimentis & supra adductis exemplis cognoscimus, quod græci præcipue viros militia & fortitudine claros his honoribus adfecerint, vti dicit DIONYSIVS *Halicarnasseus*:[1] *Athenienses iis tantum, qui in bellis periissent, funebres laudationes instituisse videntur*; & SOCRATES apud PLATONEM:[2] *videtur apud plurimas gentes præclarum esse, in bello occumbere. etenim, qui sic e vita migrat, funere ac sepulcro magnificentissimo honoratur, & siue pauper quis ita decedat, laudatione non caret; siue etiam vilis quispiam & ignauus a sapientissimis viris laudatur.*[3] attamen interdum præter hanc ordinariam consuetudinem & alii hoc supremo honoris genere fuerunt ornati, cuius rei exemplum habemus in ZENONE, de quo legimus apud DIOGENEM LAERTIVM:[4] τύχῃ τῇ ἀγαθῇ δεδόχθαι τῷ δήμῳ, ἐπαινέσαι μὲν Ζήνωνα Μνασέου Κιττιέα, καὶ στεφανῶσαι χρυσῷ στεφάνῳ κατὰ τὸν νόμον, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ σωφροσύνης. οἰκοδομῆσαι δὲ αὐτῷ καὶ τάφον ἐπὶ τοῦ Κεραμεικοῦ δημοσίᾳ, *bona fortuna visum est plebi, laudare Zenonem Mnasei filium Cittieum & aurea corona rite ac legitime ornare propter singularem eius virtutem & temperantiam. prætereaque construere illi*

1 *Cit. loc.* 2 *in Menexeno p. 521.* 3 *conf.* THVCYDIDEM *lib. II. p. 123. seqq.* 4 *lib. VII. segm. 11.*

ſepulturam in Ceramico publice. ad huiusmodi laudandi munus ſæpe eligebantur viri eloquentiſſimi, quibus inerat ſumma dicendi copia, vt merita defunctorum pronuntiarent ore grauiſſimo. hinc apud PLATONEM SOCRATES & MENEXENVS hoc inter ſe inſtituerant colloquium, quod latine tantum huc transferamus: Socr. *e foro venis, Menexene? an vnde?* Men. *e foro, Socrates, & a ſenatu.* Socr. *quid tu ad ſenatum?* Men. *id circo ad conſilium profectus ſum, quoniam audiueram, deligendum eſſe aliquem, qui laudibus defunctos ornet. nam, vt ſcis, inferias facturi ſunt.* Socr. *audiui equidem; ſed quem potiſſimum elegerunt?* Men. *nullum: nam in craſtinum diſtulerunt; arbitror autem Archinum vel Dionem electum iri.* atqui tales orationes dicebantur in conuentu nobiliſſimo, ſiquidem in huiusmodi funerum ac laudationum celebritate inſignis auditorum copia confluebat, qui aures ac mentes ſermonibus, quos oratores recitabant, admouerunt. LVCIANVS [1] adhuc ritus huius teſtimonium dicit: *καίτοι καὶ ἀγῶνας ἔνιοι διέθεσαν, καὶ λόγους ἐπιταφίους εἶπον ἐπὶ τῶν μνημάτων, ὥσπερ συναγορεύοντες, ἢ μαρτυροῦντες παρὰ τοῖς κάτω δικασταῖς τῷ νεκρῷ, ſunt vero, qui ludos quoque inſtituerunt ac funebres orationes ad ſepulcrum babuerunt, tanquam patrocinantes ac teſtimonium mortuo perhibentes apud iudices infernos:* confer. IO. PHILIPPVM PFEIFFERVM. [2]

§. X. Tandem ſophiſtæ atque oratores in

1 *De luctu p. 307. t. II. opp.* 2 *antiquitat. græcis lib. IV. cap. 57. p. 760.*

amplis-

amplissimas ciuitatum nobilium effundebantur laudes, cuiusmodi sermones ARISTIDES plures dixit. etenim laudauit vrbem & imperium *romanum* oratione disertissima, & quum romanorum imperium contulerit cum persico & græco, ostendit illo nihil vnquam par fuisse, nihil secundum. ad hæc prædicauit *Smyrnam* & subito quoque recitauit orationem in laudem *Cyzici* vrbis in dedicatione magnifici templi Cyziceni iussus per somnium ab Aesculapio. alii pleniore ore laudarunt *Athenas*, vnde artes eloquentiæ, litteras, leges, doctrinas, religionem in omnes terras distributas esse putabant; item *Rhodum*, vbi musæ colebantur diligenter, etiam eloquentiæ studia, quæ AESCHINES quum Rhodum exilii locum deligeret, intulit, atque artis oratoriæ aperuit ludum; *Neapolim*, quæ præter bonas litteras certamina quoque, quibus iuuenes bello nati exercebantur, instituit, & *Massiliam* sedem studiorum aliasque ciuitates. sed tamen de nulla re tam cupide disseruerunt sophistæ, quam de Marathone, Salamine, Platæis, vti CICERO [1] dicit: *hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris.* etenim hæc argumenta, quæ Atheniensium laudes ac merita bellica continebant, ipsis erant grata atque accepta, quæ sophistæ explicanda eo maiori cura eligebant, quo vehementiori gloriæ ac plausus studio tenebantur. atqui *Marathon* victoria Atheniensium, Miltiade duce locus erat illustris: POMPONIVS: [2] *Marathon magnarum multarumque*

1 De offic. lib. I. cap. 18. 2 lib. II. cap. 3.

virtutum testis iam inde a Theseo Persica maxime clade pernotus, de qua pugna etiam differunt CORNELIVS NEPOS, IVSTINVS, PLVTARCHVS, PAVSANIAS, confer CHRISTOPHORVM CELLARIVM.[1] in pugnæ ac victoriæ huius memoriam multa Athenienses moliti sunt opera, si quidem in illo campo posuerunt insigne monimentum & tropæa, ædificarunt templum structura magnificum atque elegans; indixerunt celebritatem perpetuam & solemnem, etiam hominum eloquentium declamationes instituerunt. *Salamis* autem clarior facta Themistoclis victoria & Persarum clade: POMPONIVS MELA:[2] *in Atthide Helene nota stupro Helenæ & Salamis excidio classis Persicæ notior*: CICERO:[3] *citetur Salamis clarissimæ testis victoriæ*, item: [4] *ante Salaminem ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropæi memoriam.* sic etiam apud *Platæas* fuit nobilissimum prœlium, vt adeo haud mirum sit, quod sophistæ, qui singulari arte atque incredibili studio in aliorum affectus sese insinuare elaborabant, eloquentiam suam ad talia argumenta contulerint: confer LVDOVICVM CRESOLLIVM.[5]

§. XI. Sic varia laudationum genera, quibus veteres sophistæ sese addixerunt, commemorauimus, quibus traditis, muneris nostri est, vt ad orationes panegyricas nos conuertamus. supra iam obseruauimus, quod non quæuis laudatio, quam protulerint sophistæ, ad ora-

1 *Not. orb. ant. lib. II. cap.* 13. *p.* 1159. 2 *lib. II. cap.* 7.
3 *lib.* 1. *de officiis c.* 21. 4 *quæst. Tusc. lib. I. cap.* 46.
5 *theatr. rhetor. lib. III. cap.* 8.

tiones

tiones panegyricas debeat referri, id quod partim ex harum indole ab antiquis artis oratoriæ doctoribus tradita; partim ex ipsa laudationum, quas consectati sunt, conditione aperte cognoscimus. namque ex veterum rhetorum præceptis colligere possumus, duobus præcipue momentis absolui panegyricum sermonem, argumentorum quippe splendore, quæ magnificas atque illustres personas respiciant, ac artis oratoriæ decenti grauitate, elegantia ac pulcritudine. sed vero haud vbique in sophistis, quum laudauerint, deprehendimus vtrumque. primum prædicarunt personas ac res non adeo illustres, id quod in primis in celebritatibus funerum accidit, prout orationes veterum græcorum LYSIAE, DEMOSTHENIS, GORGIAE, PERICLIS, ASPASIAE in memoriam fortium virorum dictæ a priscis eloquentiæ magistris DIONYSIO *Halicarnasseo* [1] & THEONE [2] ab ἐγκωμίοις siue panegyricis distinguuntur. quanquam rem hanc ita enarrat MENANDER rhetor, græce apud ALDVM cum aliis græcis rhetoribus editus, [3] vt existimet, sermones funebres diu post mortem eorum, quorum memoriæ sunt consecrati, habitos non posse dici ἐγκώμια siue panegyricos: recitatos autem non diu ab illorum obitu adpellandos esse ἐγκώμια, sed tale discrimen suo carere fundamento videtur. ad hæc sæpius dixerunt eiusmodi laudes, quamuis sermones ad artis leges minus composuerint, id quod etiam de romanis testatur CICERO: [4] *nostræ*

1 Περὶ τῶν πανηγυρικῶν. 2 *progymnasm.*
3 περὶ ἐπιταφίων. *p.* 631. 4 *de oratore lib. II. c.* 84.

laudationes, quibus in foro vtimur aut testimonii breuitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime adcommodata est. paullo ante autem dixerat: *ipsi enim graeci magis legendi; & delectationis aut hominis alicuius ornandi, quam vtilitatis huius forensis caussa, laudationes scriptitauerunt: quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander aliique laudantur*; & alio loco [1] de GORGIA: *quod idem fecisse Gorgiam quum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset: quod iudicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere:* quae iterum nostram sententiam confirmare videntur. nam quamuis commemorati sermones Gorgiae, qui non tam in personis, quam rebus laudandis ac vituperandis versabantur; etiam illi fere graecorum libri, qui ex CICERONIS testimonio laudationes clarorum virorum continebant, ad posteritatem haud propagati sint; satis tamen ex CICERONIS verbis colligere possumus, quod haud fuerint orationes ex illo genere, de quo disserunt rhetores, ἐπιδεικτικῷ, nec ad artis regulas compositae. quo nomine simile est vero, veteres auctores hisce libris laudes regum aut ducum apud Graecos vel Macedonas more historicorum commemorasse, qualis hodie exstat XENOPHONTIS *Agesilaus* & de *Cyri* non tam institutione, quam perpetua laudatione: confer EZECHIELEM SPANHEMIVM. [2]

1 *Bruto cap. 12.* 2 *obseru. ad Iuliani orationem I. p. 6. seqq.*

§. XII.

§. XII. Quid multa? ſophiſtæ ſæpius res leviſſimas prædicarunt, etiam malas ac pernicioſas ad laudem ſibi propoſuerunt. ſic DIO Pruſæus laude ornauit pſittacum, POLYCRATES mures; LVCIANVS muſcam; SYNESIVS calvitiem; CLITARCHVS ſcripſit laudes teredinis, quæ exiguum eſt animal api ſimile; PHAVORINVS febris, Elienſis adoleſcens podagræ, vt de aliis taceamus. nec defuerunt æuo recentiori, qui eloquentiam ſuam in huiusmodi argumentis leuioribus conſumſerunt, vt præter alios BIRCHAIMERVS, CARDANVS, PONTANVS laudibus proſequuti ſunt podagram; IO. PASSERATIVS cæcitatem, HEGENDORPHINVS, TVRNERVS ebrietatem, HEINSIVS aſinum, confer CASPAR. DORNAVIVM,[1] LVDOVICVM CRESOLLIVM,[2] IACOBVM PROVST,[3] GEORG. NICOL. KRIEGK,[4] ZACHAR. GOEZIVM.[5] quum igitur ſophiſtæ de hiſce rebus declamauerint exercendi ingenii cauſſa, vel potius copiæ, qua pollerent, oſtentandæ; quis ſibi perſuadeat, tales orationes locum inter panegyricas iure vindicare ſibi poſſe? iam antiqua ætate ingenui eloquentiæ germanæ æſtimatores a tali inſtituto abhorruerunt atque hanc oratoriæ artis deprauationem ægro tulerunt animo, recteque obſeruarunt, princeps ſophiſtis fuiſſe propoſitum, vt oſtentarent ingenia, plauſusque captarent populares. LACTANTIVS[6] dicit: *quid dicam de iis, neſcio qui, quum ſemel aber-*

1 *Amphitheatr. ſapientiæ Socraticæ iocoſer.* 2 *theatr. rhetor. lib. III. c. 9.* 3 *ad rhetor. ad Herenn. l. I. c. 6.* 4 *de ſophiſtarum eloquentia §. 64. p. 88.* 5 *diſſert. de numis p. 33. ſeqq.* 6 *lib. III. cap. 24. inſtit. diuin.*

rauerint, constanter in stultitia perseuerant, & vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto aut ioci caussa philosophari; aut prudentes & scios mendacia defendenda suscipere, quasi vt ingenia sua in malis rebus exerceant vel ostentent.

§. XIII. Quæ sententia nostra, quod haud quæuis veterum sophistarum laudatio tueri possit nomen orationum panegyricarum, in duplicem quæstionem inquirendi, nobis offert occasionem. altera est: quis auctor sermonum vere panegyricorum, quorum indolem veteres rhetores explanarunt, haberi debeat? cuius rei primas laudes attribuimus ISOCRATI. hic enim culturæ eloquentiæ multam dedit operam, *cuius domus cunctæ graciæ quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi: magnus orator & perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio est postea consequutus*, vt CICERO [1] dicit: opposuit sese magno studio fraudibus ac fallaciis sophistarum, aduersus quos dixit etiam orationem, qua istos inter alia hoc nomine reprehendit, quod promitterent, se tradituros rationem tractandarum litium forensium, quum longe plura sint, [2] in quibus orator maiori dignitate possit versari. quod autem speciatim attinet ad orationes panegyricas, scribit anonymus HERMOGENIS enarrator: [3] *καὶ οἱ παλαιοὶ ῥήτορες τὸ παράπαν οὐκ ἐχρῶντο αὐτῷ τῷ τρόπῳ, ᾧ νῦν κέχρηνται.* ΠΡΩ-

1 *Bruto cap. 8.* 2 *conf. MVRETVM var. lect. lib. III. cap. 11.* 3 *p. 413.*

ΤΟΣ

ΤΟΣ Ισοκράτης νεώτερον ἔγραψεν ἐγκώμιον, & *prisci quidem oratores plane eo*, panegyrico quippe, *non sunt vsi ad eum modum, quo nunc vtuntur:* PRIMVS *Isocrates recentius scripsit encomium.*

§. XIIII. Altera quæstio est: quænam sophistarum declamationes ex diuersis laudationum generibus, quæ a nobis commemorata sunt, ad panegyricos sermones debeant referri? heic iterum obseruare decet, quod haud differamus de iis orationibus panegyricis, quarum vsus fuit in ludis & aliis celebritatibus græciæ, quæue a conuentibus solemnibus ita sunt adpellatæ; sed eas intelligamus, quæ contineant laudes principum aut aliarum illustrium personarum. quales sermones recitandi multiplex est occasio, siue illi, quorum honori consecrati sunt, in viuentium cœtu adhuc versentur, siue e vita excesserint, adeo vt orationum funebrium nonnullæ possint esse panegyricæ. etenim quamuis orator principi cuidam gratuletur modo ratione solemniori de suscepto imperio, de rebus feliciter gestis, quarum præcipuæ sunt victoriæ & triumphi; modo ratione minus solemni propter natalium nuptiarumque celebritatem; pleniori tamen ore laudes ipsius prædicare adeoque sermonem panegyricum dicere potest, id quod etiam ex DIONYSIO *Halicarnasseo* patet. ex quibus colligimus, quod laudationes deorum dearumque, quas susceperunt sophistæ, nullum locum in hisce orationibus panegyricis habere possint, præcipue quum prima ætate sermones panegyrici in ludis & cele-

britatibus græciæ in honorem deorum dearumque recitarentur. nec orationes funebres in memoriam pro patriæ salute defunctorum promiscue hanc adpellationem tueantur, nisi constet, quod sermo partim ad artis oratoriæ leges fuerit compositus; partim laudes principis cuiusdam personæ explanauerit. & quod ad laudationes amplissimarum ciuitatum adtinet, istas e sede panegyricarum orationum penitus eiicere, durius forsan videri posset, præcipue quum nihil impediat, quo minus sermo panegyricus præter personas etiam in rebus magnificis versetur.

§. XV. Hisce antea positis, haud alienum erit a proposito dissertationis argumento, præcipuos oratores, quorum sermones panegyrici adhuc conseruati sunt, commemorare. primus est ISOCRATES Theodori filius, Atheniensis, natus olympiad. LXXXVI. 1. archonte Lysimacho, qui audiuit PRODICVM *Ceum*, PROTAGORAM, GORGIAM *Leontinum* & alios, ac tantam eloquentiæ laudem consecutus, vt sua ætate princeps hominum eloquentium haberetur. inter orationes ipsius, quarum LX. ferebantur ætate PLVTARCHI; CAECILIVS vero XXVIII. & DIONYSIVS Halicarnasseus XXV. pro genuinis habebant, exstant nonnulli λόγοι ἐγκωμιαστικοὶ, quo pertinent Εὐαγόρας, siue oratio funebris in laudem Euagoræ regis Cypriorum, cuius iam mentionem fecimus; item Ἑλένης ἐγκώμιον, de quo sermone ita iudicat VOSSIVS: [1]

[1] *Instit. orator. lib. I. cap. 5. p. 51.*

ita

ita Isocrates in Helenes encomio plura habet πάρεργα, *quam* ἔργα. *nam quod argumentum natura sua sterile foret, magnam orationis partem consumit in reprehensione sophistarum, laudatione Thesei, excusatione Paridis ac laude pulcritudinis;* item Βύσιρις, siue laus *Busiridis* crudelissimi Aegyptiorum tyranni, ab Hercule interemti, quod argumentum omnino erat παράδοξον, prout etiam VIRGILIVS [1] dixit Busiridem illaudatum; porro ISOCRATES oratione, quæ inscribitur παναθηναϊκός, extollit Athenienses eorumque beneficia in græcos præ Lacedæmoniis prædicat. hunc sequitur AELIVS ARISTIDES, Eudæmonis filius Adrianensis, quiue sub Hadriano & Antonino Pio floruit, & quoties diceret, insigni cum plausu semper est auditus, cuius orationes iam supra enarrauimus, quas in honorem ciuitatum recitauit; heic autem inprimis mentionem habemus sermonis εἰς βασιλέα, quo laudatione M. Antonini imperatoris fungitur, eiusque pietatem, iustitiam, æquitatem, temperantiam, fortitudinem, prudentiam ac felicitatem celebrat. tertius est IVLIANVS, Iulii Constantii & Basilines filius, qui primum formatus ad cultum christianum; posthac autem annos viginti natus, quum Maximum Ephesium, philosophum & Libanium sophistam Nicomediæ audiuisset, ab isto desciuit. inter scripta ipsius & orationes exstat primum ἐγκώμιον πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Κωνστάντιον, in Constantii imperatoris laudem, qui sermo ex

1 *Georg. III. v. 5.*

oratio-

orationum genere, quæ *βασιλικοὶ λόγοι* a græcis rhetoribus adpellantur, prout de iis MENANDER rhetor [1] ait: *ὁ βασιλικὸς λόγος ἐγκώμιον ἐςὶ βασιλέως*, qui etiam [2] meminit ſcripti a CALLINICO ſophiſta ſub Antonino Pio *μεγάλυ βασιλικȣ̃.* hic autem CALLINICVS Syrus, vel vt alii habent, ex Arabia petræa oriundus docuit Athenis Galieno imperante, inter cuius ſcripta commemorat SVIDAS *περὶ τῆς Ρωμαίων ἀνανεώσεως καὶ ἄλλα τινὰ ἐγκώμια καὶ λόγȣς.* porro IVLIANVS dixit *περὶ τῶν αὐτοκράτορος πράξεων ἢ περὶ βασιλείας*, de eiusdem Conſtantii imperatoris rebus geſtis ſiue de regno, quam vtramque orationem circa annum ſeruatoris noſtri CCCLVIII. compoſitam reſpicit IVLIANVS ipſe [3] & ZOSIMVS; [4] ſic & ſcripſit *Ευσεβίας τῆς βασιλίδος ἐγκώμιον*, encomium imperatricis Euſebiæ, Conſtantii coniugis, cui plurimum debuit IVLIANVS. quartus eſt LIBANIVS natus Antiochiæ, qui plurima ſcripſit, & cum in demonſtratiuo, tum deliberatiuo genere orationes varias compoſuit, etiam fictas declamationes & controuerſias. huc pertinent *βασιλικὸς*, panegyricus in Conſtantium & Conſtantem, quo & laudat Conſtantinum magnum; item *προσφωνητικὸς*, adlocutio panegyrica ad Iulianum, cui hanc iucundam fuiſſe, ipſe indicat LIBANIVS: [5] *καὶ εἶπον παρακληθεὶς ȣ̓κ ἐνοχλήσας. ὁ δὲ ἐτέρπετο βεβαιῶν μοι τὸ προοίμιον. ἔφην γὰρ αὐτὸν ἐν προοιμίῳ πάντα τ᾽ ἅμα καλὰ νομίζειν ὑπὸ τȣ̃*

1 *Ab initio capitis περὶ ἐπιδεικτικῶν p. 612.* 2 *p. 613.*
3 *epiſt. XLI.* 4 *lib. III. cap. 8.* 5 *epiſt. VIII. ad Celſum p. 22. edit. Wolfii.*

ἱερȣ̃·

ἱερᾶν· καὶ οὕτως ἐξέβη, *persuasus autem habui orationem, nec molestus fui: ipse vero delectatus sermone proœmium meum confirmabat. in hoc enim dixeram, eum omnia mea putare eximia ex mei amore; atque ita quidem euenit:* nec non εἰς Ἰουλιανὸν, panegyricus dictus Iuliano imperatori consuli, in quem & dixit orationem funebrem panegyricam. tandem etiam commemoramus THEMISTIVM, qui non solum philosophiæ, sed & eloquentiæ meritis clarissimus fuit, ac dictus εὐφραδὴς, atque ob panegyricum sermonem imperatori Constantio sacrum donatus est statua ærea. inter ipsius orationes, quas nitide atque optimo studio edidit IO. HARDVINVS, varii sunt panegyrici laudibus imperatorum consecrati, quos cum aliis studiosissime atque erudite recenset IO. ALBERTVS FABRICIVS. [1]

§. XVI. Breuiter commemorauimus oratores, quorum sermones panegyrici adhuc exstant, qui quum etiam adpellati sint ἐγκώμια, non ab re erit, de voce hac quædam disserere. de origine nominis huius variæ sunt sententiæ. alii ex priscis grammaticis & rhetoribus tradunt, ortum id esse, quum laudes ἐν κώμαις, in vicis dicerentur, vel vt existimat græcus & anonymus APHTHONII enarrator διὰ τὸ τηνικαῦτα τὴν Ἑλλάδα κατὰ ΚΩΜΑΣ οἰκεῖσθαι, *quod tum* VICATIM *græcia habitaretur*, quod etiam adprobat HESYCHIVS: ἐγκώμιον, ἔνδημον· κῶμαι γὰρ τὰ τοῦ δήμου συστήματα, *encomium, populare. κῶμαι enim sunt populi cæ-*

[1] *Bibl. græc. lib. V. cap. 18. §. 3. p. 7. seqq.*

tus.

tus. alii vero putant ἐγκώμια dici ἀπὸ τοῦ ἐν τοῖς ΚΩΜΟΙΣ καὶ συμποσίοις ᾄδεσθαι, *quod ea in commessationibus & epulis canerentur*, vide THEONEM [1] & EZECHIELEM SPANHEMIVM. [2] qua sententiarum diuersitate omnino simile est vero, quod prima ΕΓΚΩΜΙΩΝ origo a variis laudationum generibus in epularum celebritate recitatis sit deducenda, id quod non solum ex PINDARO & PLATONE patet; sed & CICERO [3] dicit: *atque vtinam exstarent illa carmina, quæ multis seculis ante suam ætatem in epulis esse cantata a singulis conuiuis de clarorum virorum laudibus, in originibus scriptum reliquit Cato.* præter hæc disputatur, quomodo differant ἔπαινος & ἐγκώμιον. ARISTOTELES [4] adfirmat, ἔπαινον esse virtutum, ἐγκώμιον factorum; μακαρισμὸν καὶ εὐδαιμονισμὸν significare quemdam propter virtutem prædicare felicem, de quo discrimine etiam differunt THEO, APHTHONIVS ac in primis MENANDER rhetor, & inter alia tradunt, quod ἐγκώμιον sit viuentium, non mortuorum, quod autem refutat ISOCRATIS ἐγκώμιον dictum Euagoræ vita functo; aut vnius singularis virtutis, vt iustitiæ in Aristide, aut rerum gestarum solum, non autem virtutum illius, de quo agitur, laudatio, vt de aliis momentis taceamus. de cetero recte obseruat IVLIVS CAESAR SCALIGER: [5] *omnis ἐγκωμιάζων ἐπαινεῖ, non autem e conuerso. ac*

1 *Progymnasm. p. 75.* 2 *not. ad orat I. Iuliani p. 5. seqq.*
3 *Brut. cap. XVIIII.* 4 *rhetoricor. lib. I. cap. 9.*
5 *poetic. lib. III. cap. 109.*

sane

ſane ἔπαινος *videtur* ἐγκωμίου *pars*: confer GERH. IO. VOSSIVM. [1]

§. XVII. Hactenus de oratoribus græcis, qui conſcripſerunt ac dixerunt orationes panegyricas, quarum rationem & ſtructuram, item dicendi genus, quod ſunt ſequuti, ſi inſpicere velimus, conſultum eſt, hac de re conſulere priſcos rhetores, qui præcepta artis oratoriæ litteris conſignarunt, de quibus legantur DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, [2] IO. ALBERTVS FABRICIVS. [3] inprimis tali deſiderio ſatis facere poteſt ALDI MANVTII collectio rhetorum, [4] qua præter APHTHONII, HERMOGENIS, ARISTOTELIS, SOPATRI, CYRI, ALEXANDRI & aliorum ſcripta rhetorica continentur DIONYSII *Halicarnaſſei* τέχνη περὶ τῶν πανηγυρικῶν & MENANDRI rhetoris περὶ γενεθλίων & διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν, ſiue de diuiſione cauſſarum in genere demonſtratiuo, quamuis obſeruet HENRICVS VALESIVS, [5] quod altera pars huius libri rhetori ALEXANDRO ſit vindicanda; in editione Aldina autem ex duobus operibus MENANDRI & ALEXANDRI vnus liber perperam fuerit conflatus. diſſertationis enim modus haud permittit, hæc etiam explanare atque exponere, præcipue quum princeps nobis ſit propoſitum, orationum panegyricarum originem declarare, & ea, qua fieri potuit breuitate, illarum exempla ad-

1 *Inſtitution. orat. lib. I. cap. 5. p. 45.* 2 *polyhiſt. litterar. lib. VI. cap. I.* 3 *bibl. græc. lib. IV. cap. 31.* 4 *Venetiis 1508. fol.* 5 *ad Euſebium p. 28.*

tingere.

tingere. de cetero ex iis, quæ diſputauimus, facile fata huiusmodi ſermonum in græcia cognoſcere poſſumus, etiam obſeruare varias illorum ætates, quum modo proſperiori, modo duriori fortuna vterentur pro ipſis variis eloquentiæ fatis. equidem monet ſcriptor antiquus argumenti in ARISTIDIS panathenaicum, tres oratorum græcorum veterum φορὰς, ſiue prouentus potiſſimum enituiſſe, quorum primo PERICLES, THEMISTOCLES, ALCIBIADES & alii floruerunt eloquentia; nihil autem litteris tradiderunt: ſecundo eminent decem illi celeberrimi, ANTIPHON, ANDOCIDES, LYSIAS, ISOCRATES, ISAEVS, LYCVRGVS, DEMOSTHENES, AESCHINES, HYPERIDES & DINARCHVS: tertio in Aſia, nec minus Athenis clariſſimi ſophiſtæ extiterunt, quorum memoriam celebrauit PHILOSTRATVS. ſed vero tam accurate claſſes orationum panegyricarum ponere & ipſarum fata pro diuerſis temporibus diſtincte explanare, res eſſet omnino ardua & difficilis, præcipue quoniam plurium monimenta oratoria ad poſteritatem haud propagata fuerunt.

§. XVIII. Nunc ordinis ratio ac promiſſi fides iubet nos, animum quoque ad latinos auctores conuertere. romanis ſtudium eloquentiæ fuit princeps, cui omni induſtria ac vigilantia ita ſeſe conſecrarunt, vt iſtam philoſophiæ & diſciplinæ, quæ cognoſcendis legibus abſoluitur, anteferrent. multiplex eius erat vſus atque exercitatio, quum modo ſuaderent

derent aut dissuaderent, modo adcusarent aut defenderent: modo laudarent aut reprehenderent, ex quibus exercitationum generibus ista secundi ordinis fuit omnium fere nobilissima. qua propter adolescentes, vt praepararent animum ad eloquentiam forensem, adcusarunt viros, id quod fecit Lucius Crassus, qui adcusauerat eloquentissimum hominem C. Carbonem: CICERO: [1] *sed quum sint plura caussarum genera, quae eloquentiam desiderant, multique in re publica adolescentes & apud iudices & apud senatum dicendo laudem sunt adsecuti, maxima est admiratio in iudiciis: quorum ratio duplex est. nam & ex adcusatione & defensione constat: quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam adcusatio probata per saepe est:* confer PAVLLVM MANVTIVM [2] & CHR. ADAMVM RVPERTVM. [3] genus demonstratiuum caussarum etiam adhibuerunt, ita vt laudauerint splendidas personas ac res; in primis autem apud illos in more positum fuit, vita defunctos funebri laudatione prosequi. quis primus viros claros post fata laudare instituerit? de eo iam superioribus quaedam obseruauimus, quo nomine heic alia ritus huius momenta, ea qua decet breuitate, ex antiquis monimentis colligamus. scilicet primis temporibus viros tantum eosque illustres in concione funebri laudarunt, quo referunt fragmentum illud apud CICERONEM: [4] *honoratorum vi-*

1 *De officiis lib. II. cap.* 14. 2 *de legibus romanis cap.* 21.
3 *obseruat. ad Velles. Paterc. lib. II. cap.* 43.
4 *de legibus lib. II. cap.* 24.

rorum laudes in concione memorentur: easque etiam cantu ad tibicinem prosequatur. cui nomen neniæ. nenia enim generatim significat quamlibet cantionem; speciatim vero laudis, etiam funebrem, & rectius scribitur *nenia* vocali simplice, quam *nænia* per diphthongum, vti obseruat THOMAS REINESIVS.[1] erat autem apud antiquos consuetudo, vt in celebritate funerum musicæ vsum adhiberent, eamque modo tibia, modo tuba, modo alius instrumenti ope exercerent, cuius rei in antiquitatum historiis multa exstant vestigia: vide ALEXANDRVM ab ALEXANDRO[2] & CASPAR. BARTHOLINVM.[3] posthac vt eodem honore mulieres etiam adficerentur, a senatu decretum fuit, quoniam singulare liberalitatis ediderunt documentum atque aurum, quo vrbs a gallis capta liberari posset, adtulerunt, auctore LIVIO:[4] quamquam PLVTARCHVS[5] aliam caussam commemorat; in ipsa autem re a LIVIO haud discrepat. ab initio mulieres ætate grauiores sunt laudatæ; sed quum prædicandi cupiditas ceperit incrementa, iuniores quoque matronas laudatione funebri ornauerunt, qualis supremus honor habitus est Iulii Cæsaris filiæ, Cn. Pompeii vxori;[6] Octauiæ sorori Augusti;[7] Liviæ Augustæ[8] & aliis. quod ad infantes, pueros atque adolescentes adtinet, il-

1 *Variar. lection. lib. I. cap. 20. p. 80.* 2 *lib. III. cap. 7. dier. genial.* 3 *de tibiis veterum lib. II. cap. 14. 15.* 4 *lib. V.* 5 *tom. I. p. 133.* 6 *DIO CASSIVS lib. XXXVIIII.* 7 *ibidem lib. XIIII.* 8 *SVETONIVS vita Caligulæ c. 10. TACITVS annal. lib. V. cap. 10.*

lorum

lorum funera dicebantur *acerba*, siue *immatura*, atque omissis ceremoniis subtrahebantur oculis, qua de re testatur TACITVS: [1] *festinationem exsequiarum edicto Cæsar defendit, id a maioribus institutum referens: subtrahere oculis acerba funera neque laudationibus aut pompa detinere.*

§. XVIIII. Laudationes funebres habebantur pro rostris, vbi duplex erat cathedra, alia superior, quam nemo, nisi ex publica permissione ascendere poterat; alia vero inferior. hinc dicit LIVIVS: [2] *Fabium deduci de rostris Papirius in partem inferiorem iussit. secutus pater, bene agis, inquit, quum eo nos deduci iussisti, vnde & priuati vocem mittere possemus.* hæc honorum officia præstabant propinqui suis propinquis, vt liberi parentibus: HIERONYMVS: [3] *moris quondam fuit, vt super cadauera parentum defunctorum in concione pro rostris laudes liberi dicerent, & instar lugubrium carminum ad fletus & gemitus audientium pectora concitarent.* sic Q. Metellus *in supremis laudibus L. Metelli patris sui* locutus est, teste PLINIO: [4] Tiberius novem natus annos defunctum patrem pro rostris laudauit; [5] Augustus adolescens prædicauit auiam Iuliam defunctam pro concione, [6] vt de aliis exemplis taceamus. neque vero tantum propinqui munere hoc laudandi fungebantur, sed & amici, qui hæc officia amicis

1 *Ann. lib. XIII. cap. 17.* 2 *lib. VIII. cap. 33.* 3 *epitaph. Nepotian.* 4 *lib. VII. cap. 43.* 5 SVETON. *Ner. cap. 6.* 6 *id. Aug. c. 7.*

& maxime viris illuſtribus, quorum memoriam haberent ſanctam, exhibebant. quin etiam interdum grauiſſimi atque eloquentiſſimi viri defunctos laudarunt, vt tradit PLINIVS [1] de Virgino Rufo: *huius viri exſequiæ magnum ornamentum principi, magnum ſeculo, magnum etiam foro & roſtris attulerunt; laudatus eſt a Conſule Cornelio Tacito: nam hinc ſupremus felicitati eius cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus.* de funere autem Paulli romani conſulis SILIVS *Italicus*: [2]

iamque Annibal vnus
ſat decoris laudator erat.

ad hæc ſæpe numero ſenatus conſultum munus hoc impoſuit magiſtratibus, in primis quum quis pro patriæ ſalute in bello defunctus fuerit laudandus, id quod fatetur QVINCTILIANVS: [3] *genus quod laude conſtat, videtur Ariſtoteles atque eum ſecutus Theophraſtus a parte negotiali, hoc eſt pragmaticis remouiſſe. ſed mos romanus etiam negotiis hoc munus inſeruit. nam & funebres laudationes frequenter pendent ex publico aliquo officio atque ex ſenatus conſulto magiſtratibus ſæpe mandantur*: confer IO. KIRCHMANNVM, [4] IACOBVM GVTHERIVM, [5] FERRARIVM, [6] CAROLVM SAMVEL. SENFFIVM. [7] ſed tamen vt de laudationibus funebribus veterum græcorum obſeruauimus,

1 *Lib. II. ep. 1.* 2 *lib. X. v. 570.* 3 *lib. III. cap. 9. inſtitut. orator.* 4 *de funer. roman. lib. II. cap. 18.*
5 *de iure manium lib. I. cap. 25.* 6 *de concion. veterum.*
7 *diſſertationibus de concionibus funebr. veterum.*

quod

quod non promiscue in orationibus panegyricis debeant numerari; ita quoque de laudibus, quas romani in defunctorum memoriam dixerunt, sentimus. huiusmodi enim laudationes minus semper præ se habebant ornamentum artemque oratoriam, quod vel ex hoc colligere possumus, quoniam iuuenes, quibus tanta facundia aut eloquentiæ virtus haud inerat, mortuos in ipsorum funeribus prædicarunt. quid multa? CICERO sententiam nostram satis confirmat, cuius verba iterum commemorare haud inconsultum esse ducimus: *nostræ laudationes, quibus in foro vtimur, aut testimonii breuitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudem minime adcommodata est.* [1] quod si ita est, sicuti est, facile caussam deprehendere possumus, cur antiqua oratorum monumenta non multas contineant orationes panegyricas. plerique enim, vt iam obseruauimus, versabantur in caussis forensibus, quum defenderent aut adcusarent alios, id quod satis ex sermonibus CICERONIS pro Milone, Roscio Amerino, Archia poëta; contra Verrem, Catilinam patet.

§. XX. Ceterum quædam orationes panegyricæ ex antiqua ætate adhuc conseruatæ sunt, quas breuiter recensere instituamus. principem locum tenet PLINII *panegyricus* Traiano dictus in frequenti senatu anno ipsius imperii tertio V. C. DCCCLIII. seruatoris nostri C. ætatis XXXVIIII. erat quippe PLI-

1 *De oratore lib. II. cap.* 84.

NIVS orator clarissimus, vt nemo facile illi præferatur, prout vndeuicesimo anno in foro dicere cœpit [1] & per omnem ætatem caussas egit tam apud centumuiros, [2] quam in senatu nobiliores, quas hisce verbis [3] collegit in summam: *adfui Bæticis contra Bæbium Massam. quæsitum est, an danda esset inquisitio: data est. adfui rursus, iisdem querentibus de Cæcilio Classico. quæsitum est, an prouinciales vt socios ministrosque proconsulis plecti oporteret; pœnas luerunt. accusaui Marium Priscum; qui lege repetundarum damnatus, vtebatur clementia legis, cuius seueritatem immanitate criminum excesserat: relegatus est. tuitus sum Iulium Bassum; dixi proxime pro Vareno.* hic excellens orator elegantissimum quoque dixit panegyricum, qui commode in tres partes, exordium, ipsam tractationem & conclusionem diuidi potest. exordium declarat partim rationem, cur initio deos precetur, quod hæc consuetudo sit instituta a maioribus, quam a nemine sanctius obseruandam esse, quam a se dicit, quia consulem deceat religio & Traianus datus sit a diis; partim ostendit hanc laudationem susceptam esse propter senatus consultum. ipsa tractatio continet laudes vitæ Traiani cum publicæ, tum priuatæ: quod ad vitam publicam adtinet, laudat PLINIVS Traianum, ac recenset ipsius præclara opera in salutem patriæ, ita vt ordinem temporis sequatur, ab adoptione faciat auspicium & in tertio consulatu desinat. altera

1 *Lib. V. ep. 8. n. 8.* 2 *lib. I. ep. 18. n. 3. lib. VIIII. ep. 23. n. 1.* 3 *lib. VI. ep. 29. n. 8.*

parte

parte ad vitam priuatam ſpectante prædicantur Plotina Traiani coniux, & Marciana ſoror, item Traiani in colendis amicitiis conſtantia. tandem concluſione compellat Neruam & Traianum patrem, quibus de filii virtutibus gratulatur, item ſenatores, a quibus dicendi munus ſibi impoſitum erat, ac Traianum imperatorem, cui gratias agit, nec non cuſtodes imperii Deos, præcipue capitolinum Iouem, quem orat pro æternitate imperii & principis, atque iterum ſenatores, quibus pollicetur obſequium. hic PLINII panegyricus vna cum ipſius epiſtolis editus eſt cura CATANEI, IANI GRVTERI, BOXHORNII, A. C. ROTHII, TH. HEARNE, CHRISTOPHORI CELLARII; ſeorſim vero ſtudio IVSTI LIPSII, GEORG. CASP. KIRCHMAYERI, DOM. BAVDII, TAN. FABRI, IACOBI de la BAVNE in vſum ſereniſſimi Delphini, & GODOFREDI LVDOVICI, confer I. A. FABRICIVM.[1]

§. XXI. Ex ſeculo a Diocletiano ad Theodoſium ſuperſtites duodecim illi panegyrici veteres, quorum indicem exhibere & varias obſeruationes addere inſtituamus:

I. eſt panegyricus CLAVDII MAMERTINI ſenioris Maximiano Herculeo dictus, qua oratione celebrauit natalem vrbis Romæ in Treuerorum ciuitate, præſente Maximiano.

II. eiusdem MAMERTINI genethliacus eidem Maximiano conſecratus in natali die, non imperii, ſed vitæ Maximiani, vt diſerte[2]

1 *Bibl. latin. lib. II. cap.* 22. §. 4. *& ſuppl, p.* 220.
2 *cap. XVIIII.* §. 2.

prodit: *solæ cum nascentibus pariter oriuntur pietas atque felicitas*; item *quod nascentes vos ad opem generis humani bona sidera & amica viderunt*; ex quibus cognoscitur, non posse panegyricum hunc de natalibus imperii intelligi. vocat natalem *geminum* seu geminos natales,[1] vtriusque quippe principis Diocletiani & Maximiani, non quod eodem die ambo augusti nati fuissent, sed quod fratres censebantur, & vnius natalis etiam ab altero, non secus ac si vtriusque proprius esset, celebrabatur, vt dicit CHRISTOPHORVS CELLARIVS.[2] dixit hanc orationem a. Chr. CCXCII. non diu post Maximiani quinquennalia, vti ipse dicit: [3] sermonem *tuis quinquennalibus præparaueram*; quinquennalia autem, decennalia, vicennalia ab annis imperii sui imperatores augusti vocabant ludos & festos dies votorum solutione nouorumque nuncupatione celebrandos. orator hic ab adulatione haud vacuus est, nec potest excusari, Maximianum Herculeum principem malis moribus, etiam Diocletianum supra modum mortalitatis extollens, siquidem dicit: [4] vos *diis esse genitos & numinibus quidem vestris.* numina quippe, quæ heic intelligit, sunt Iuppiter & Hercules, ex quorum stirpe se progenitos prædicabant, vnde pro sua vanitate Diocletianus *Iouii*, Maximianus *Herculei* sibi cognomen adsumserunt, quod etiam ex priori panegyrico[5] patet, & in nummo apud EZECHIELEM SPANHE-

1 *Cap. I. n. 1. cap. 2.* 2 *argumento huius orationis p. 25.*
3 *cap. I. n. 1.* 4 *c. 2. n. 4.* 5 *cap. I. n. 4. cap. II. n. 3. cap. VII. n. 5.*

MIVM

MIVM de eisdem imperatoribus: IOVI & HERCVLI AVGG.

III. EVMENII pro restaurandis scholis ad præsidem galliæ sub Constantio Cæsare nondum augusto. EVMENIVS hic rhetor fuit Augustoduni in gallia, non vero Cliuiopoli ad Rhenum, vide IO. BRAVNIVM [1] & IO. ALBERTVM FABRICIVM; [2] quam vrbem Augustodunum TACITVS [3] prædicat inque præcipuis ornamentis numerat *nobilissimam galliarum sobolem studiis ibi operatam*: confer CHRISTOPHORVM CELLARIVM. [4] ex Augustodunensi rhetore EVMENIVS constitutus est magister sacræ memoriæ in aula Constantii cæsaris, cuius munus erat, adnotationes omnes dictare atque emittere & precibus respondere, vide GVTHERIVM: [5] quo honore se functum esse ipse fatetur, quando scribit: [6] *nunc quod in secundum locum distuli, quemadmodum id sine sumptu publico & cum laude sacræ largitionis fieri possit, ostendam. salarium me liberalissimi principes ex huius reipublicæ viribus in sexcenis millibus nummum accipere iusserunt, non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora & prius & postea præmia contulerunt, sed vt trecena illa sestertia, quæ sacræ memoriæ magister acceperam, in honore priuati huius magisterii addita pari sorte geminarent.* sed rursus ad scholam eodem honore & duplicato salario, quo in aula frui consueuerat, reuocatus hac oratione a perfectissimo prouinciæ Lugdunen-

[1] *De vestitu sacerdotum Hebraeor. lib. II. cap. 3.* [2] *suppl. bibl. lat. p. 222.* [3] *lib. III. ann. c. 43.* [4] *dissertat. acad. p. 368.* [5] *de officio domus Aug. III. 3.* [6] *cap. XI.*

ſis præſide petit, vt commendet principibus Mænianam ſcholam inſtaurandam. Bagaudæ enim, ZOSIMO [1] Βακαῦδαι, ruſtici galliæ propter iniquitatem præfectorum turbas ſeditionemque fecerant, vt SALVIANVS [2] tradit; EVTROPIVS [3] *factionem* vocat, quæ *Bagaudarum nomen ſibi impoſuerit*; quo tumultu etiam ſchola Mæniana vaſtata fuit. quæ inſtauratio vt feliciorem haberet ſucceſſum, ſumtus ipſe pollicitus eſt ex abundantia ſalarii ſui conferre, quamquam pater ſobolis numeroſæ.

IIII. eiusdem EVMENII Conſtantio Cæſari dictus recepta Britannia A. C. CCXCVI. quo gratulatur Conſtantio Cæſari de vindicata, eiectis Francis, Batauia & maxime de Britannia, oppreſſis Carauſio & Allecto tyrannis adſerta in libertatem, cuius rei hiſtoriam habet EVTROPIVS. [4] quod autem EVMENIVS auctor ſit huius ſermonis, patet ex ipſius principio, quo dicit ſe verſari *in quotidiana illa inſtituendæ iuuentutis exercitatione*: & paullo poſt: *ſed quum ex vetere illo curriculo me aut inter adyta palatii veſtri alta quædam ſermonis arcani ratio demouerit.*

§. V. eſt epithalamius incerti auctoris Maximiano & Conſtantino in huius & Fauſtæ nuptiis dictus A. C. CCCVIII. & vt adparet, in Treuerorum vrbe, nuptiarum loco. Maximianus bis ſocer fuit & Conſtantii per Theodoram priuignam & Conſtantini per filiam Fauſtam, qui Conſtantinus eodem tempore AVGVSTI nomen adſumſit, antea CAESARIS

1 *Lib. VI. cap.* 2. 2 *de gubern. V.* 3 *lib. IX. c.* 13.
4 *lib. VIIII. cap.* 13. 14.

conten-

contentus dignitate. cæſarum enim poteſtas fuit minor, quam auguſtorum, etiam inſignia & ornamenta minora: inprimis abſtinebant cæſares diademate, ac quamuis vterentur purpura, ſine auro tamen, ſiquidem ab auguſtis prudenter ſunt conſtituti, vt tum gerendis rebus, tum maxime ſucceſſioni proſpiceretur.

VI. EVMENII Conſtantino auguſto dictus A. C. CCCVIIII. qui Auguſtodunenſis rhetor filio Conſtantino, adoleſcenti imperatori, antequam Auguſtodunum veniſſet, in Treueris ipſo vrbis huius natali die hanc orationem habuit. ita enim [1] dicit: *hic video hanc fortunatiſſimam ciuitatem, cuius natalis dies tua pietate celebratur.* priori parte huius ſermonis laudat patrem Conſtantini Conſtantium; altera vero ipſumConſtantinum imperatorem, quem precatur, vt vrbem Auguſtodunum inuiſat: [2] *dii immortales*, inquit, *quando illum dabitis diem, quo præſentiſſimus hic deus, omni pace compoſita, illos quoque Apollinis lucos & ſacras ſedes & anhela fontium ora circumeat?* etiam commendat liberos ſuos quinque imperatori, præcipue illum *iam ſumma fiſci patrocinia tractantem.* [3]

VII. EVMENII gratiarum actio Conſtantino auguſto Flauienſium nomine dicta Treueris A. C. CCCXI. quia ipſis magnam cenſus partem remiſerat; Flauienſes autem ſunt Auguſtodunenſes. namque Auguſtodunum princeps Aeduorum ciuitas, quæ vel accepit vel adſumſit nomenFlauiæ in memoriam acceptorum a Conſtantino beneficiorum, cuius prin-

1 *Cap. XXII.* 2 *c. XXII.* 3 *cap. XXIII.*

cipis

cipis nomen hoc fuit gentile, & omnium, qui ex familia eius post ipsum imperarunt.

VIII. incerti auctoris Constantino Augusto consecratus sermo, & habitus in vrbe Treuerorum, quum Constantinus Maxentio victo in Gallias & ad Rhenum reuertisset anno Chr. CCCXIII.

VIIII. panegyricus NAZARII Constantino Augusto dictus CCCXXI. quo de bello aduersus Maxentium & Constantini clemente victoria Romaque liberatione differit facunde; laudatur autem hic insignis rhetor ab AVSONIO,[1] cuius etiam mentionem facit HIERONYMVS[2] item filiæ ipsius *Eunoniæ*, virginis christianæ & eloquentiæ laude celebris: adde TILLEMONTIVM.[3]

X. MAMERTINI pro consulatu gratiarum actio Iuliano augusto: qui Mamertinus diuersus est ab illo, cuius supra duas orationes ad Maximianum Herculeum commemorauimus, quoniam septuaginta anni intercedunt. ille enim Mamertinus recitauerat suos sermones A. C. CCXCII. huius autem panegyricus dictus est Romæ calend. ianuar. A. C. CCCLXII. quo primum Mamertinus Iuliani victorias laudat, eiusdemque virtutes singulares; deinde ipsi gratias agit, consulis atque aliis honoribus ab eodem ornatus, ac iterum amorem, quo fouebat bonas litteras, etiam modestiam, clementiam, humanitatem prædicat.

XI. MAGNI AVSONII pro consulatu gratiarum actio Gratiano augusto sacra & dicta A. C. CCCLXXIX. quum Ausonius Burdiga-

1 *Commendat, Professor. Burdigalens. XIV. v. 9.* 2 *in chron.*
3 *histor. imperator. t. IIII. p. 385.*

lensis

lenſis rhetor & poëta a Gratiano, cuius præceptor fuit, magnis honoribus adfectus eſt, poſt quæſturam præfecturamque prætorii etiam conſul prior in caſtris ad Sirmium declaratus. vt igitur animum beneficiorum memorem declararet, hoc ſermone Gratiano egit gratias, atque ipſius virtutes domeſticas maxime laudibus ornauit.

- XII. LATINI PACATI DREPANII Theodoſio auguſto dictus A. C. CCCXCI. Romæ ſpectante ſenatu, quum imperator interfecto Aquileiæ Maximo triumphans in vrbem reuertiſſet, quo DREPANIVS Theodoſio victoriam de hoc tyranno gratulatur, ipſius virtutes & priuatas & publicas imperii prædicans, vide FABRICIVM. [1]

§. XXII. Alii alium horum panegyricorum ordinem ſequuntur, etiam addunt PLINII panegyricum, haud ſubiuncta gratiarum actione AVSONII. HENRICVS STEPHANVS adiunxit quoque panegyricos CLAVDIANI verſibus ſcriptos, quorum heic nullam habemus rationem; in aliis autem editionibus deprehenditur adhuc panegyricus ENNODII Italiæ regi Theodorico dictus circa A.C. DVII. vel DVIII. qui etiam occurrit tum inter ENNODII opera a IACOBO SIRMONDO illuſtrata, tum in quibusdam CASSIODORI editionibus. hi panegyrici veteres in lucem prodierunt cura B. RHENANI, LIVINEII, IANI GRVTERI, IACOBI DELA BAVNE, AVGVSTI BVCHNERI, CHRISTOPHORI CELLARII, nec ſine elegantioris eiusque latinæ litteraturæ emolumento. nam quamuis

1 *Supplem bibl. latin. p. 224.*

ætas,

ætas, qua ingenia horum oratorum nituerunt, inclinaret ad barbariem & latinus sermo per barbaros homines magis magisque corrumperetur; tempore tamen illo, quo cælestis doctrina liberius erat propaganda, etiam latinitas magis restituta & exculta fuit, non solum a profanæ superstitionis hominibus, in quibus hosce rhetores merito numeramus; verum etiam ab ipsis christianis ARNOBIO *Afro* & FIRMIANO LACTANTIO. quapropter hos panegyricos vsui scholarum & cultoribus eloquentiæ omnino commendamus, qui pro ratione illius temporis latinitate elegantes sunt, & adhuc suppeditant modum atque indolem laudandi cum varia & recondita eruditione, etiam arcanæ historiæ momenta continent insignia. extremo dissertationis huius id fortasse vocari potest in disceptationem: num quæuis oratio, quam commemorauimus, iure ac merito nomen *panegyrici* tueri possit, nec ne? præcipue quum pateat ex superioribus, quod nonnulli adpellationem hanc ipsi sermoni PLINII abiudicent. princeps disceptationis momentum in eo positum est: qua sententia vox panegyricus sit sumenda, quæ si tantum laudationem principum ac maxime illustrium personarum aut rerum deberet complecti; cuiusmodi significatio satis etiam est confirmata, necesse omnino esset, varias orationes horum rhetorum e numero panegyricorum eiicere. sed vero hæ inscriptiones auctoritatem multam præ se habent ac facile per rationem ætatis se possunt tueri.

FINIS.



INDEX

895

INDEX RERVM.

A.

ABELARDI
dialectica 584
ABRAHAMI
logica 480. 488
ACADEMIA
Athenienſis 169
ADAMVS
ipſius logica 477
libri 485
ADCLAMATIONES
veterum ſophiſtarum 134
ADSCENSVS
Pythagoræ & Platonis 214
AESCHYLI
varii recenſentur 191
AGNOMINA
veterum eruditorum 132
AGRICOLAE
dialectica 605
ALBERTI M.
dialectica 585
ALEXANDER
Aphrodiſienſis negat animæ immortalitatem 320
ipſius ſtudia logicæ 557
AMBITIO
quod ſit cauſſa atheiſmi 359
AMMONII
ſtudia logicæ 555
ANAGNOSTAE
veterum Roman. 77
ANALYSEOS
Species ex Platone 517
ANAXIMANDRI
atheiſmus 239
ANIMAE HVMANAE
origo ex ſententiis veterum philoſophorum 212
indoles ex doctrina veterum præſertim Ariſtotelis 299
ipſius immortalitas 314
ANIMA MVNDI
quid veteres philoſophi de ea tradiderint 262
ANTIOCHVS
Aſcalonita 181
ANTONINVS
philoſophus conſtituit ſalarium rhetoribus 122
ΑΠΑΘΕΙΑ
Stoicorum 331
ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΕΙΑ
celebrarunt Stagiritæ 358

APOL-

APOLLONIA
sedes eloquentiæ 70
AQVA
Thaletis quid significet 236
ARABICORVM
hæreticorum error 323
ARABVM
studia logicæ 495. 568
ratio philosophiæ 570
ARCHYTAE
Tarentini logica 507
ARISTIDIS
orationes panegyricæ 875
ARISTO
Chius reiiciebat logicam Stoicorum 535
ARISTOTELES
eius dissidium a Platone 356
nimia diligentia in colendis litter. 356
valet magna auctoritate apud Christianos 299
apud Judæos quoque 202
accusatur atheismi 204
Judæorum fabulæ de eo confutantur 223
qualis cognitio ipsi fuerit de Deo 247
ipsius principia physica examinantur 250
æternitatem mundi credidit 257
num Spinocismi errore captus fuerit? 260
num auctor sit libri de mundo 272
quid senserit de providentia Dei 277
it. de indole animæ humanæ 299
de intellectu agente 300
de immortalitate animæ 315
ipsius libri philosophiæ moralis 325
negat certitudinem doctrinæ moralis 327
vnde deducat originem iustitiæ & honestatis 328
philosophia moralis Aristotelis quo spectet 329
iudicia de ista recensentur 348
doctrina eius de summo bono 334
probabili ratione fuit atheus 352
scriptores de eius vita recensentur 354
eius indoles animi 355
ipsius ambitio probatur 356
adula-

ARISTOTELES
adulationi eſt deditus 359
voluptati ſeſe tradidit 362
num aduerſus ſe αὐτοχειρίαν patrauerit? 362
ipſius ſcripta logica 521
præcepta logicæ diiudicantur 529
ARTIS
cogitandi auctor quis ſit 651
ASIA
muſarum doctrinis floruit 70. 185
ASIARCHARVM
veterum ratio quæ fuerit 152
ASIATICVM
dicendi genus 186
ASSYRIORVM
imperii origo 2
diuturnitas 3
reges 4
ASTAROTH
quid ſignificet 35
vocis huius origo ib.
ATHEISMVS
quid ſit 227
quotuplex ſit 229
quomodo de atheiſmo veterum philoſophorum debeamus iudicare 233
atheiſmus Ariſtotelis 197
Sabæorum 233
Chaldæorum ibid.
Socratis 234
Thaletis Mileſii 236
Pythagoræ 238
Anaximandri 239
Diogenis Sinopenſis 241
vocis huius vera ſignificatio ibid.
ATHENAE
ipſarum laus 70. 168
ATHENAEVM
quid fuerit 64
ATTICVM
dicendi genus 190
AVERRHOES
negat immortalitatem animæ 321
quid præſtiterit in logica 569
AVGVSTINVS
num quid præſtiterit in logica? 563
AVINCENNAE
logica 569
B.
BABYLONIS
muri 12
ambitus 14
origo 44
BAELII PETRI
controuerſiæ de concordia rationis & fidei 727

BELVS
num primus Assyriorum rex 3
varii huius nominis 45
BESTIARVM
cultus diuinus 9
alimenta hominibus præbentium exempla 38
BEVRHVSIVS
sectator Rami 617
BIBLIOTHECAE
veterum imaginibus ornatæ 146
BOETHII
Studia logicæ 560
BONVM SVMMVM.
de eo opinio Stoicorum 333
Epicuri 334
Aristotelis ibid.
BVDDEI IO. FRANC.
scripta logicæ 682
BVRSII ADAMI
Ciceronis dialectica 467
BVSCHERVS HEIZO
sectator Rami 617
C.
CAINI
& Abelis logica 478. 488
CAMPANELLAE
logica 660
CANONICA
Epicuri 543
CARTESIVS
quid præstiterit in logica 642
ipsius sectatores 649
CATHEDRA
veterum 65
CHALDAEORVM
atheismus 233
doctrina de dæmonibus 289
de anima 307
ΧΑΡΙΕΝΤΙΣΜΟΣ
veterum 433
CHRESTVS
sophista 124
CHRYSIPPI
Stoici dialectica 534
CICERONIS
iter litterarium 164
vita 166
studia philosophiæ 172
eloquentiæ 177
præceptores, quibus Athenis vsus est 181
studia logicæ 553
CLAVBERGII IO.
logica 649
CLEANTHIS
studia in logicam 534
CLERICI IO.
scripta logicæ 674
COGITANDI
libertas 723
COLLINI ANTON.
controuersiæ de libertate cogitandi 723

CON-

CONCINNITAS
orationis 188
COOPERTVS
fophisma 511
CORNVTVS
fophisma 512
CORONAE
veterum oratorum 138
poëtarum 139
CRELLIVS FORTVNAT.
genuinus Ariftotelis fectator 635
CRITERIA
veritatis ex mente Epicuri 545
quid de iis tradiderint philofophi 735
CROCODILVS
fophifma Stoicorum 540
CROVSAZ I. P.
logica 689
CTESIAS
quis fuerit 26
ipfius fcripta ib.
auctoritas 27
fabulæ 29
CVFFELERI ABRAH. IO.
logica 694
CYNOSARGES
gymnafium 172
D.
DAEMONES
apud veteres quid fuerint 286
eorum officium ib.
varia genera dæmonum ib. 289
dicuntur quoque angeli 287
DAGON
quem Deum fignificet 31
ΔΑΙΜΟΝΙΑ
quid fignificent 235
DAMASCENVS
quid præftiterit in logica 567
DECLAMATIONVM
veterum ratio 59
DECLAMATORES
quid apud veteres fuerint 113
DEFINITIO
doctrinæ de ifta hiftoria 755
DEI
veterum fimul mares & feminæ 33
DEMOCRTI
logica 504
DEMONSTRATIO
doctrinæ de ifta hiftoria 777
DERCETO
quæ fuerit dea 31. fqq.
DIALECTICI
vocantur Stoici 535
DICHEARCHVS
negat immortalitatem animæ 321

DICENDI GENERA
apud veteres Græcos 186
varia erant apud veteres 851
ΔΙΔΑΚΤΡΟΝ
quid fuerit 121
DILIGENTIA
veterum in colendis litterarum studiis 93
DIONYSIVS
Magnes vnde dicatur 191
DISPVTANDI
modi apud veteres 88
varii philosophorum modi 804
DIVISIO
doctrinæ de ista historia 759
DRACHMA
quid sit 125
DOVNAMVS GEORG
sectator Rami 617
DVBITATIO
doctrinæ de ista historia 798
E.
EBRAEORVM
doctrina de intellectu agente 306
studia logicæ 574
ECLECTICAE
philosophiæ origo 833
ELECTRA
sophisma 510
ELIAE
corui 39
ELOQVENTIA
comparatur natura & arte 368
eius fata apud Græcos & Romanos 105
istam colendi varii veterum modi 180
EMENDATIONES,
veterum Romanorum 86
ENTELECHIA
Aristotelis quid sit 299
ΕΝΘΕΟΣ
quid significet 372
ENTHVSIASMVS
quid sit 372
quotuplex sit 375
poëtarum 377
sophistarum 381
EPICTETI
Christianismus 207
EPICVRI
doctrinæ moralis summa 331
eius doctrina de summo bono 334
eius doctrinarum conciliatio cum scripturis sacris 207
eius doctrina de prouidentia Dei 280
EVBVLIDIS
sophismata 509
EVCLIDIS
Megarensis logica 508

EVMENII
rhetoris dignitas 64. 127
orationes 889
EXCERPENDI
consuetudo apud veteres Romanos 75

F.

FALLENS
sophisma 510
FELICITAS HVMANA
vera in quo sit posita 296
FERVLARVM
vsus apud Romanos 66
FIGVRARVM
rhetoricarum vera indoles 438
FORMA
quid sit apud Aristotelicos 252
assistens & informans num sit Deus 260
FREIGIVS IO. THOM.
sectator Rami 618
FVNEBRIVM
sermonum origo 864
exempla Romanor. 881

G.

GALENVS
quid praestiterit in logica 561
GASSENDVS PETR.
eius historia logicae 461
eius merita in logicam 656
GENVS
familiarum a Diis deductum 36
GERHARDI
scripta logicae recensentur 686
GEVLINCK ARNOLDI
logica 655
GRAECAE LINGVAE
studia apud Romanos 178
GRAMMATICORVM
veterum varia genera 56
praemia 118
Le GRAND ANTON.
logica 649
GRONOVIVS IO. FR.
refutatur 346
GROSSERI SAMVEL
scripta logicae 674
GVNDLINGII N.H.
logica recensetur 690

H.

HERCVLES
praeses facundiae 117
HERMES
praeses eloquentiae 116
HERMIAE
Aristoteles scripsit paeana 362
HERODIS
Atheniensis sophistae dignitas 155
HIERONYMVS
num quid praestiterit in logica 564
HISTORIARVM
veritas vnde pendeat 23

HOBBESII THOMAE
logica 660
HOFFMANNI DAN.
controuerfiæ de pretio philofophiæ 846
HORNEIVS CONRAD.
oppofuit fe Ramo 615
HORTI
penfiles 15

I.

IDEAE
quid de iis dixerit
Plato 736
Ariftoteles 737
Stoici 738
Scholaftici 739
quomodo idea fit definita a recentioribus philofophis 746
it. diuifæ 746
quid fenferint de origine illarum 751
IMAGINATIO
doctrinæ de ifta historia 717
IMITATIONIS
ftudia apud romanos 57
INDVCTIONIS
platonicæ fpecies 761
INFINITVM
Anaximandri quid fignificet 239
INTELLECTVS
AGENS
quid de eo tradiderint Ariftoteles 302
item Ebræi 305
Chaldæi 307
Plato & Pythagoras ib.
Stoici 311
INTELLECTVS
HVMANI
operationes 710
temperamentum 719
quomodo a philofophis fuerit diuifus 721
INTELLIGENTIAE
quid de illis dixerit Ariftoteles 264
IOBI
logica 480. 488
ISOCRATIS
orationis pretium 126
orationes panegyricæ 874
IVDAEI
num fuerint cultores logicæ 554
IVLIANI
orationes panegyricæ 875
IVSTITIAE
origo vnde a nonnullis philofophis fit deducta 328

K.

KECKERMANN.
BARTHOL.
eius hiftor. logicæ 460
KOCHIVS CORN.
DITERIC.
refutatur 472. fqq.

KYPI-

ΚΥΡΙΕΤΩΝ
sophisma Stoicum 541

L.

LANGII IO. CHR.
scripta logicæ 687

LANGII IOACH.
medicina mentis recensetur 686

LEGATIONES
veterum sophistarum 148

LEIBNIZII G. G.
obseruatio de cognitione, veritate & ideis 664

LIBANII
orationes panegyricæ 876

LIBERAE CIVITATIS
ius apud veteres Græcos 155

LIBRARII
veterum 73

LIBRI
veterum romanorum 72
in Ana apud veteres 91

LINGVAE
Mercurio sacræ 105

LIPSII
nimia studia in philosophiam Stoicam 206

LOCKII IO.
libr. de intellectu hum. 667

LOGICAE
vox quid significet 464
indoles 455
historia quomodo sit scribenda 457
historiæ scriptores 459
origo falsa 472
vera 494
num sit a deo deriuanda 473
de logica angelorum 474
de logica mythica 476
Adami 477
Caini & Abelis 478
Noachi 479
Abrahami 480
Iobi ib.
Mosis 481
Salomonis 483
quid de logica patriarcharum sit sentiendum ibid.
de logica veterum Arabum 495
Pythagoræ 496
Zenonis Eleati 498
Parmenidis 501
Protagoræ 503
Democriti 504
Socratis 505
Archytæ Tarentini 507
Euclidis Megarensis 508
Eubulidis 509
Clinomachi Thurii 512
Platonis 515

Platonicorum 520
Aristotelis 521
Aristotelicorum 532 556
Stoicorum 533
Epicuri 543
veterum Romanorum 550
Galeni 561
Porphyrii 562
Augustini 563
Hieronymi 564
Io. Damasceni 567
Mich. Pselli ibid.
Georgii Pachymerii ib.
Arabum media aetate 568
Iudaeorum 574
scholasticorum 581
Raymundi Lullii 598
Petri Rami 690
Philippi Melanchthonis 626
genuinorum Aristotelicorum 632
Bacon. de Verulamio 639
Renati Cartesii 642
Cartesii sectatorum 648
Petri Gassendi 656
Thomae Hobbesii 660
Thomae Campanellae 660
mathematicorum 661
Io. Lockii 667
eclecticorum 673
logicae doctrinarum fata 695
variae adpellationes logicae 697
quomodo definita fuerit a philosophis 701
item quomodo divisa 704
varii modi logicam tradendi 820
logica per symbola 821
per hieroglyphica 823
per exempla 825
varia existimationis logicae fortuna 832

LVCVBRATIONES
veterum 94

LVDOVICI IO. PETR.
historia logicae Turcarum 468

LVLLII RAYMVNDI
dialectica 598

LVTHERVS
reiicit libros Aristotelis ethicorum 348
ipsius merita in philosophiam 834

LYCEVM
Atheniense 171
LYCIARCHARVM
ratio quæ fuerit 154
M.
MAGNIFICENTIA
Aristotelis quid sit 346
MALEBRANCHII NIC.
logica 655
eius controuersiæ de origine idearum 752
MALI
origo ex sententia veterum philosophorum 213
MAMERTINI
panegyrici 887
MARTINI CORNELIVS
opposuit se Ramo 615
MATERIA
quid sit ex mente Aristotelis 252
ipsius æternitas 258
MATHEMATICORVM
studia logicæ 665
MEDIOCRITAS
virtutis Aristotelicæ examinatur 339
MEDITATIO
ipsius vtilitas 79
veterum Romanorum 80
MELANCHTHON
est sectator Aristotelis 349
ipsius studia logicæ 626
MEMORIA
doctrinæ de ista historia 716
MENIPPI
varii recensentur 190
MENS
humana num sit distincta substantia ab anima 303
MENSAE
vox quid significet 159
MENTIENS
sophisma 510
METENS
sophisma Stoicum 540
METHODVS
doctrinæ de ista historia 812
MINERVAL
quid fuerit 121
MIRACVLA
num ista frequentiora velit Deus edere 297
MITYLENE
domicilium litterarum 185
MOLO
Ciceronis Præceptor 194
MONLORIVS Io. Bapt.
sectator Aristotel. 634
MORALIS PHILOSOPHIAE
certitudo negatur ab Aristotele 326
ista confirmatur 327
MOSIS
logica 481. 487

MOTVS
doctrinam quomodo exposuerit Aristoteles 253
MVSEI
Alexandrini historia 157

N.

NELDELIVS
genuinus Aristotelis sectator 635
NIMRODVS
num primus Assyriorum rex 3
NIZOLII MARII
studia aduersus Aristotelem 607
NOACHI
logica 479

O.

OCCAMI GVIL.
dialectica 587
ORATIONIS
duplex genus 104
orationum panegyricarum historia 851
ORATOR
num differat a rhetore 110
cor. fata duriora 114
v. sophist.
ORATORIAE
vis 420
ORBILIVS
ipsissingenium 67
ORGANI
Aristotelis historia & pretium 525
ΟΤΤΙΣ
sophisma Stoicum 542
PACHYMERIVS Georg.
quid praestiterit in logica 567
PANEGYRICVS
vocis huius origo 852
orationum panegyricarum origo 856
auctor sermonum vere panegyricorum 872
exempla talium sermonum graecorum 874
latinorum 880
PARMENIDIS
logica 501
PAVLLVS
Apostolus Hermes habitus 117
PEREGRINATIONES
litterariae veterum 68
163
sanitatis caussa institutae 162
PERGVLA
quid fuerit 65
PERSARVM
doctrina de daemonibus 289
gens libidinosa 21
PHAEDRVS
philosophus Epicureus 185
PHARISAEORVM
sophismata 555

PHILOPONI
studia logicæ 559
PHILOSOPHORVM
paganorum conciliatio cum sacris scripturis 206
quæ philosophia ipsis fuerit 210
PISCATOR IO.
sectator Rami 619
PLATONIS
doctrinarum conciliatio cum scripturis diuinis 206. 211. 215
doctrina de prouidentia Dei 278
de anima 308
doctrinæ moralis summa 330
logicæ præcepta 535
PLAVSVS
veterum sophistarum 134
PLINII
sermo num dicendus sit panegyricus 858
ipsius argumentum 885
POETARVM
veterum præmia 139
POIRET PETRI
scripta logicæ 680
POLEMONIS
sophistæ auctoritas 160
POMPONATIVS
num negauerit immortalitatem animæ 315
PORPHYRII
scripta logicæ 562
POSIDONII
varii recensentur 195
PRAEDICABILIVM
doctrina a nonnullis reiicitur 739
PRAEDICAMENTA
doctrinæ de illis historia 740
PRAEMIA
veterum sophistarum & oratorum 118
PRAEIVDICIA
doctrinæ de illis historia 749
PRINCIPIA
veritatis cognoscendæ 730
PROBABILITAS
doctrinæ de ista historia 785
PROTAGORAE
logica 503
PROVIDENTIA DEI
vnde cognoscatur 277
quid veteres philos. de ea senserint 279
rationes, cur ista negetur 294
PSELLVS MICHAEL
quid præstiterit in logica 567
PYTHAGORAE
logica 496
atheismus 238
doctrina de dæmonibus 290
de anima 308

Q QVIN-

Q.
QVINCTILIANVS
primus ſcholam publicam accepit 63
R.
RAMVS PETR.
eius ſcholæ in liberales artes 459
ſcripta dialecticæ 609
fata 611
aduerſarii 613
ſectatores 615
RATIOCINANDI
varii philoſophorum modi 760
RECITATIONES
veterum Romanorum 81
REGVISII PETR. SYLV.
logica 650
REIMMANNVS IAC. FRID.
eius hiſtoria logicæ 462
RHETORIS
adpellatio quid ſignificet 108
differentia ab oratore 110
RHODVS
domicilium litterarum 192
ROMANORVM
præceptores litterarii 53
cultura eloquentiæ quomodo ſit inſtituta 58
ſcholæ 62
peregrinationes litterariæ 68
libri 72
anagnoſtæ 77
recitationes 81
diſputationes 88
lucubrationes 94
ſeceſſus 97
tituli propter eloquentiam 130
ratio cognomina imponendi 133
ſtudia logicæ 551
RVCELINI IO.
dialectica 584
RVDIGERI ANDR.
ſcripta logicæ recenſentur 692
S.
SABAEORVM
atheismus 233
SADDVCAEORVM
religio in quo ſit poſita 323
SALOMONIS
logica 483. 489
SALARIA
veterum ſophiſtarum & oratorum 119
SCEPTICISMVS
quid & quotuplex 844
SCHEGKIVS IACOB
oppoſuit ſe Ramo 614. 633
SCHERBIVS PHILIPP.
oppoſuit ſe Ramo 615
SCHNEIDERI I. F.
ſcripta logicæ 685

SCHOLAE
litterariæ veterum Romanorum 62
SCHOLASTICI
dicti sunt eloquentiæ præceptores 113
quid adpellatio hæc significauerit 583
SCHOLASTICORVM
philosophorum variæ ætates 582
dialectica 584
philosophiæ ratio 588
sectæ 596
SCHRAMMII IO. CONR.
eius dialectica Cabb. 466
SCOPELIANI
soph. legationes 149
fuit Asiarcha 152
SCRIPTVRARVM SACRARVM
notitia inter gentes 218
SECESSVS
litterarii veterum Romanor. 97
SEMIRAMIS
eius origo 5
educatio 8
expeditiones 17
matrimonium 9
merita 12
quomodo regnum Assyriorum tenuerit 10
num condiderit Babylonem 12
eius indoles corporis & animi 18
extrema fata 20
sepulcri monimentum 22
SENECAE
christianismus 207
SEXTVS CLODIVS
accepit præmia eloquentiæ 125
SIMILITVDO DEI
ex sententia Pythagoræ ac Platonis 211
SIMONIVS SIMON
genuinus Aristotelis sectator 634
SIMPLICII
studia logicæ 559
SOCRATIS
atheismus 234
logica 505
sophisma 511
SOPHISTARVM
adpellatio quid significet 107
eloquentia quæ fuerit 109
fata duriora 115
præmia 118
salaria 119
quis eorum primus acceperit mercedem priuatam 129
honoris tituli 130
adclamationes & plausus 134
coronæ 138
statuæ 143

SO-

SOPHISTARVM
legationes 148
magiftratus 151
fraudes 415
arrogantia 418
orationes promtæ 422
argumenta orationum 427
elocutio 428
orationum vis in animis hominum 441
laudationes 860
SOPHISTICAE
logicæ origo 503
fophismata Eubulidis 510
fophismata Stoicorum 539
SORITES
fophisma 511
SPINOZAE BEN.
logica 693
STATVAE
fophiftis pofitæ 143
in bibliothecis locatæ 146
STOICORVM
doctrina de fummo bono 333
doctrinarum conciliatio cum fcripturis diuinis 206
doctrina de prouidentia Dei 278
de anima 311
doctrinæ moralis fumma 331
ftudia logicæ 531
STRVVII IO. IVL.
hiftoria logicæ Ebræorum 465
SVBLIMIS
oratio veterum Sophiftarum 445
SYMPOSIA
veterum fapientum 159
SYLLOGISMVS
Ariftotelis quomodo differat a λόγῳ Stoicorum 538
doctrinæ de ifto hiftoria 763
SYRI
cultores columbarum 8
T.
THALAEVS
fectator Rami 621
THALETIS
Milefii atheismus 236
doctrina de dæmonibus 290
THEMISTII
orationes panegyricæ 877
eiusd. ftudia logicæ 559
THEOPHRASTVS
quomodo amplificauerit logicam 532
THOMASII CHRIST.
fcripta logicæ 678
THRONVS
triplex Athenienfis fophiftarum 122

TI-

911

TIMAEVS
quod dicendi genus secutus sit 189

TITII G. G.
logica 685

TITVLI
honoris veterum sophistarum & rhetorum 130
ipsorum exempla apud veteres 133

TSCHIRNHAVSII
medicina mentis 662

V.

VALLAE LAVRENTII
dialectica 604

VATICINANDI
facultas naturalis num homini insit 728

VERITAS
quotuplex sit ex mente Epicuri 545

VERSVS
in oratione soluta 441

de VERVLAMIO FRANC. BACO
quid praestiterit in logica 639

VESPASIANVS
constituit salarium rhetoribus 120

VIOTTI BARTHOL.
libri de demonstratione 632

VICTVS PVBLICVS
veterum sophistarum 157

VIRTVS
quid sit ex mente Aristotelis 339
quod vna tantum sit virtus 342
ipsius species secundum Platonicos 343
secund. Aristot. 344
quae doctrina Aristotelis examinatur 345

VIVIS IO. LVDOVICI
studia logica 606

VOSSIVS IO. GERH.
eius historia logicae 460

W.

WEIGELII ERH.
analysis Aristotelica 662

WEISII CHRIST.
scripta logicae 673

WOLFFII CHRISTIAN.
logica 665

X.

XENOCRATES
Platonis sectator 520

Z.

ZENO
Eleat. num sit auctor logicae 498
Epicureus, Ciceronis praeceptor quis fuerit 182
Cittieius coluit logicam 533

ZOROASTRIS
oracula 233

FINIS.

ERRATA OPERARVM.

Pag. 14. lin. 31. lege *operæ*. p. 36. lin. 23. *cubili*. p. 44. lin. 20. *origine*. p. 63. lin. 26. *Antoninus*. p. 160. lin. 14. *quo circa*. p. 247. lin. 18. ἀθεώρητος. p. 265. lin. 15. *quum*. ib. lin. 19. *pro*. p. 295. lin. 9. *perturbari*. p. 302. lin. 24. *adeoque*. p. 312. lin. 2. *in homine*. p. 354. lin. 11. *quod*. p. 360. lin. 31. *exprimit*. p. 386. lin. 2. *Scaligerum*. p. 410. lin. 16. *errat*. p. 450. lin. 13. *pondus*. p. 455. lin. 23. *&*. p. 461. lin. 16. *quorum*. p. 466. lin. 1. *Conradus*. p. 483. lin. 30. *artem*. p. 531. lin. 16. *diiudicandi*. p. 658. lin. 19. *distinguantur*. p. 672. lin. 15. *cognoscendam*. p. 680. lin. 25. *emergendi*. p. 693. lin. 5. *ratiocinatio*. p. 729. lin. 20. *prauidere*. p. 749. lin. 27. *sectatores*. p. 784. lin. 33. *particularis*. quæ vitiosa, me absente, in typographia posita sunt ac facili negotio possunt emendari.

MAG 2018326





Digitized by Google